8
56 D
25

M

Digitized by Google

8.56.D.95

DE RVSSORVM MOSCOVITARVM ET TARTARORVM

RELIGIONE,
SACRIFICIIS,
NVPTIARVM,
FVNERVM,
} RITV.

E DIVERSIS SCRIPTORIBVS, QVORVM NOmina verſa pagina indicat.

His in fine quædam ſunt adiecta, de Liuonia paciſque conditionibus, & pace confecta hoc anno, inter Sereniſſimum Regem Poloniæ & Magnum Ducem Moſcouiæ.

Nunc primum in lucem edita, cum indice copioſiſſimo.



+B+L+

Spiræ libera Ciuitate Veterum Nemetum excudebat Barnardus D'albinus, Anno

M. D. LXXXII.

856.025

Contenta huius libri, & nomina authorum.

1. *Colloquium de religione Magni Ducis Moſchorum cum Rohita miniſtro Eccleſiæ fratrum Bohemorum, quos mali Picardos vocant.*

2. *Huiuſce colloquij literis mandati ab eodem Duce Refutatio.*

3. *Laſicij Poloni, veræ religionis Apologia, falſæ confutatio.*

4. *Ioannis Fabri religionis Moſcouiticæ deſcriptio, ſeu laudatio.*

5. *Sacrani libellus quo 40. errores Moſcorum, ſiue Ruſſorum, & 12 ſeceſſiones Græcorum à Romana Eccleſia oſtenduntur.*

6. *Appendix Scargæ Ieſuitæ de iiſdem Ruſſorum erroribus, & cauſis, propter quas Græci à Romana Eccleſia defecerunt.*

7. *Alexandri Guagnini Veronenſis, Equitis aurati, de religione Moſcouitarum, omniumq́; Ruthenorum.*

8. *Narratio de Ruſſorum, & Tartarorum Religione, ritibus nuptiarum, funerum, Victu, Veſtitu, & moribus ad D. Dauidem Chytræum, recens, ſcripta.*

9. *Alia eiuſdem argumenti, de religione, & Sacrificijs Veterum Boruſſorum, ad Georgium Sabinum olim miſſa.*

10. *Quædam de Liuonia, & conditiones pacis, compoſitæ inter Sereniſ. Stephanum regem Poloniæ, & Io. Baſiliadem Ducem Moſcouiæ.*

11. *Oratio Chriſtophori Warſceuicij ad Sereniſ. Stephanum Regem Poloniæ, qua gratul[illegible] pace confecta cũ Ioanne Magno Moſcorum Duce ad Zapolciam XV. Ianuarij.*

ILLVSTRI DOMINO D. IOHANNI HLEBOVITZ, MINSCENSI CASTELLANO MAGNI

Ducatus Lituaniæ theſaurario, Onixtinenſi & Radoſcouienſi Capitaneo: Dambrowni, Ilæ, Zaſlauiæ, Wieſouieſij, ac Keblouij Domino hæredirario, Senatori digniſſimo: Iohannes Laſitzki perpetuam felicitatem à Deo precatur.

EDiturum me è tenebris in lucem, theologiam Moſcouiticam, Hlebouici heros magnanime, multa impellebant, vt tam nouo operi, illuſtre nomen tuum, & honoris & tutelæ cauſa præponerem. Primùm autem obtinet locum amor in te magnus theologiæ purioris, hoc tandem ſeculo Diuina voluntate in Europa patefactæ. Deindè haud vulgaris tua erga me beneuolentia, atq; beneficentia, ne tot annorũ in Lituaniam Remp. merita, ſempiterna laude digna commemorem inſuper, fundis tuis peramplis: noxia cum Moſcis vicinitas & cum illo ſyncere ſenatore, Iohanne Kroſtoskio mei dum vixit amante, contracta affinitas. Quæ ſingula, cùm ſint per ſe magna, nolo maiora

facere oratione mea. Nec illud nunc multis attingam, quibus te cum mandatis, idem Moſcorum princeps, cuius eſt hæc Theologia, in patriam remiſit: poſtq; vi captus ab eo, altero anni 1563. menſe, in arce Polocenſi, iam cùm omni ſuo territorio à vobis recepta, aliquot numum aureum millibus, vitam libertatemq; redemiſti. Quorum mandatorum iſthæc ſumma erat, vt ipſi regnum apud nos ſi fortè prior fatis cōcederet Rex Sigiſmūdus Auguſtus, ꝙ maximè poſſes paratas & matrimonium cum Anna regia ſorore conciliares. At homo immanis vtroq; excidit Deo vt regnum, ita virginem regiam ſeruante Stephano Bathorio à Szomlio Hungaro meliori, prudentiori feliciorią; ipſomet quoq; Moſco, nunc id ſentiente & fatente, licet inuitiſſimo. Porrò, quæ fuerit huius ſcripti, quod tibi do dedicoq; ratio, id tu quidem non neſcis, ſed alij multi ignorant. Etenim anno redemti orbis 1569. quo eſt facta Lublini in comitijs Lituaniæ veſtræ magnæ, cum regno Poloniæ arctiſſima atq; perpetua conſotiatio (vnionem vulgus vocat) ablegati in Moſcouiam induciarum gratia, à rege noſtro, & duce veſtro Sigiſmundo Auguſto Iagellonide, 7. die Iulij, 1572. mortuo, viri honoratiſſimi tam Senatorij ꝙ equeſtris ordinis, Io. Kroloskius Voiuoda Wladiſlauienſis ſocer tuus, Moſco ob ſapientiam & animi candorem in primis carus Raphael Leſcinkius, Radzicouinſis prædiues præfectus: ac totidem Lituani, Nicolaus Taluoſſius Caſtellanus Minſcēſis (cuius te hac in dignitate virtus tua ſucceſſorem fecit) & Andreas Iuanouicius, cum magno & ſplendido comitatu: vſi ſunt in ſacris concionibus opera Iohannis Rohitæ Litomiſſenſis, miniſtri Eccleſiæ fratrum Bohemorum maiorem Poloniam ab anno

1548.

1548. quo ſunt Bohemia à Ferdinando rege ob religionem eiecti incolentium. Quod vt gentis illius Dux intellexit in colloquium cum miniſtro venit: idemq́; conſcriptũ habere voluit, vtrumq; factum. homine terribili ſubinde animos Rohitæ addẽte, vt ad omnia interrogata intrepide reſponderet. Metus enim cunctis iniectus non mediocris erat propterea ꝙ certis incluſi ſeptis, quæ tranſgredi non licebat veluti captiui, dies & noctes ſeruabantur: illi abundè omnia ad victum, è fiſco principis ſuppeditabantur, ac Moſcus quidẽ noſtrates iure gentium violato tunc terruit quoſdã etiã pro ſua barbarie ignominia affecit, & malè tractauit, verũ multo magis terrori ipſi fuerũt. Vere anni inſequẽtis opinor ex cõpoſito, Tartari Præcopẽſes, cũ igni ferro, rapinis magna regionis eius parte vaſtata, & 40. milibus hominum ductore Bielſcio ſecũ cõgreſſorũ fuſis multisq́; ab actis, Moſcuuam quoq; vrbẽ, gentis caput diripuerunt, & arce excepta concremarunt. Quoniam verò contrarium ſcriptum, datum Rohitæ eo conſilio videbatur, ne nos, qui Lutheriani cognominamur, qualis eſſet Moſcorum religio ignoraremus: dedi operam Lutherum in eo imitatus, qui pro veritate Euangelica ab hinc annos duos & ſexaginta, aduerſus Henricum 8. Anglorum Regem imperterrito animo ſcripſit vt vtrumq; ad eoſdem cum fænore rediret. Quod quidem legati, cum inducijs trienalibus, hoſte decennales expetente reuerſi ita ſparſerunt vt & ad me peruenerit. Hoc tu linguæ peritus Latinæ eiuſmodi ſit quantum per negotia licebit cognoſces ac ſi quod vellem placebit, ad finitimos tuos perferri curabis, facilis enim nunc eſt cuiuis, vt tute iſthic vides in Moſcouiam aditus. Graſſatur iamdiu in ea regius miles, vrbes, oppida,

pagos comburit, arces expugnat, incolas ſacram ento regi addicit timente in aciē prodire & manu conſerta rem agere, quondam nimium glorioſo tyranno nunquam antehac quod ſciam auditum regis Poloniæ, &(ſi Vitoldum veſtrum à Tamberlane illo profligatum excipias)ducis Lituaniæ exercitus ſexaginta amplius milliaria Germanicis longiora, à finibus Lituanicis progreſſos in Moſcouiam eſſe Scythasq; & Turcas tantopere vt nunc terruiſſe. quin auctorem habeo ſenatorem quendam, nuper ex caſtris reuerſum, q ait noſtros traiecto Tanai Illuſtri & generoſo Duce Chriſtophoro Radzuilo Trocenſi Caſtellano & copiarum Lituanicarum præfecto iam Aſiam attigiſſe. adeò proſpere Rex noſter Stephanus, Deo vindice iniuriæ contumeliam mali tunc acceptorū anteceſſoris ſui legatorum vlſciſſitur tribus iam annis olim amiſſa recuperat fines Imperij ſui, & Lituaniæ veſtræ tot mala à Moſcis ꝑpeſſæ, magis ac magis dilatat, Liuoniam violenter occupatam, dura ſeruitute eximit. Quem tu, pro tua erga pium pietate, anno 1580. digno tanto rege conuiuio Radoſcouicijs excepiſti, familiam quoque maieſtatis ipſius, muneribus expleuiſti, & aſcriptis ſumtibus tuis copijs eius ſexaginta millia ſelectiſſimorum virorum ſuperantibus, trecentis equitibus, quinquaginta verò peditibus, ipſemet quoque cum alijs proceribus, (quos inter haud poſtremi, Ioannes Kiſſca Samagitiæ præfectus, & Alexander Pronski, Regi à menſa) euntem in bellum proſequutus es, vndè hoſti tantus incuſſus eſt timor, vt ad Papam Romanum, licet ſibi, vt hinc cognoſces ſubinuiſum, ſupplex confugerit, modo auctoritate ipſius, quam ſummam eſſe in Europa non ignorat, eo citiùs pax componeretur. At nondum huius ad Regem

gẽ peruenerat legatus in Moſcou[illegible] iuſſus, cũ tyrã-
n⁹ belli ſibi grauis tędio, tota ꝑpemodũ Liuonia (etſi om-
nia fallaciter) regi cæderet. Cæterũ vos Imperatore Iohan-
ne Zamoiſcio prudẽtiſſimo ac Regi cariſſimo regni Can-
cellario, Moſcos manus ab alieno cohibere, armis docete:
nos dediti literis, mendacium calamis oppugnabimus, ve-
ritatem defendemus. Quod reliquum eſt, faxit Deus, vt
& victor (iam enim nuncij certi de Liuonia nobis conceſ-
ſa afferuntur) & ſaluus cum inclyto Rege, cui Laſici-
us notus, domum reuerſus, diuturna voluptate
ex filijs bene educatis, vna cum Cathari-
na coniuge lectiſſima fruaris, tuaq́;
à Moſcis aliquando recuperes.
Cracouiæ, mẽſe Februa-
rio, Anno vltimi
temporis 1582.
* *
*

THEOLOGIA MOSCOVITICA.

Tranſlata in Latinum, & vbi neceſſe fuit refutata.

A

Iohanne Laſicio Polono.

Quæſtiones

QVAESTIONES THEOLOGICAE IOHANNIS BASILII, MAGNI DVCIS MOSCORVM, AD QVAS IO. ROHITAM, MINISTRVM CHRISTI, IN CONſpectu magnificorum Legatorum, SIGISMVNDI Auguſti, Sereniſſimi Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Kioviæ, Voliniæ, Podlaſſiæ, Livoniæ, in vrbe Moſcuua, ineunte, Anno 1570. reſpondere iuſſit.

PRIMA.

QVis tu es? *Reſponſio. Sum Miniſter atq; concionator Eccleſiæ Chriſti.*

SECVNDA.

Quid ergò tuos auditores doces? *R. Id vt firmo aſſenſu amplectantur vniuerſam Doctrinam, Propheticis atque Apoſtolicis monumentis comprehenſam, & miraculorum teſtimonijs obſignatam, cuius ſumma Decalogo, Symbolo Apoſtolorum, Precatione Dominica, Baptiſmo & Cœna Domini, duobus Sacramentis, ac doctrina de officiis vniuſcuiuſq; Chriſtiani continetur.* *Summa doctrinæ Euāgelicæ.*

TERTIA.

Iuſtificatio

Quod eſt fidei veſtræ, de hominis apud Deum iuſtificatione fundamentum? *R. Primùm doceo, vt ſe quilibet meritum eſſe pœnas æternas, propter delictum primorum ſuorum progenitorum agnoſcat: quo ſe nemo ipſe liberare, nec pro illo vllis benefactis creatori ſuo ſatisfacere poteſt. Poſt hæc, conſcientiæ, multitudine peccatorum cognitorum conſternatæ, doloreq́ ob maieſtatem Diuinam offenſam affectæ, monſtro cum Iohanne Baptiſta, Agnum illum ac Filium Dei Ieſum Chriſtum, peccata mundi tollentem, & omnium ipſi fidentium iuſtitiam. Qui quidem ſalutis noſtræ cauſa, conceptus eſt Spiritu S. natus Maria Virgine, paſſus mortuusq́, propter peccata hominum: deinde tertio die, nos iuſtificaturus reſurrexit, ac Cœlo conſcenſo, ad dexteram Dei Patris conſedit, deprecator atque Mediator noſter: venturus illinc iudicatũ viuos & mortuos, de quo hæc Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. Vnus eſt Deus, vnus Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Neceſſe eſt autem, vt homo credat, ſe à Deo Patre cœleſti, propter meritum huius ſolius Filij ipſius, recipi in gratiam: peccataq́ ſua, non ob vlla pia opera, quibus nullus vnquam coram Deo iuſtus fuit, ſed gratuitò condonari, iuſtitiam ſibi fide in Chriſtum obuenire. Omnem enim ſcripturam ſanctam teſtari, nos propter ſolum Chriſtum, à peccatis abſolui, poſtmodum vita hac trãſacta, æternum cum eodem degere.*

Homo diligetur à Deo, propter Ieſum Chriſtum.

QVARTA.

Cur erit iudicium.

Si ſola gratia Diuina ſalui fiunt homines, cur eos Chriſtus ſecundum opera ipſorum iudicaturus eſt? *R. Fides latet in corde, at fructus eius, hoc eſt, bona opera, incurrunt in oculos omnium. Porrò cùm in publico iudicio opus ſit probationibus manifeſtis: fiet vt illo ſupremo die iudicetur arbor ex ſuis, ſiue bonis, ſiue malis fructibus. Video autem Potentiſſime Princeps, nos*

apud te ab aduerſarijs noſtris deferri, quaſi homines ab agendis operibus bonis abduceremus, dum eos ſola miſericordia Diuina per fiduciam in Ieſum Chriſtum, iuſtos fieri docemus. At verò ego hic coram Deo, Angeliſq́ʒ ſtans eius profiteor, ac tibi confirmo, nos ſentire & docere, hominem Chriſtianum, ſanguine Ieſu purgatũ, Deóqʒ reconciliatum, non amplius prauis cupiditatibus frenum laxare, nec fretum hac miſericordia, regnum peccati, confirmare in ſe debere. Sed totum vitæ curriculum, ita tranſigere oportere, vt ſeruiat Deo omni ſanctitate, iuſtitia, veritate. Etenim fides abſqʒ operibus bonis, teſte Iacobo Apoſtolo, mortua eſt, nõ prodeſt, non eſt ſaluti homini, iuſtitiæ fidei, iuſtitiam piarum actionum accedere neceſſe eſt. *Fides mortua non prodeſt.*

Cæterùm opera, quibus Deus à reconciliatis honore afficitur, aimus eſſe, nõ illa, quæ ratio excogitat humana: ſed quæ ſunt præcepta lege Diuina: tam decalogo quam illis Chriſti dictis, Diliges Dominum tuum toto corde, & proximum tuum, vti teipſum, ſummatim comprehenſa. De operibus verò, extra normam verbi Diuini inuentis, illud idem, quod & Chriſtus, Matthæi Cap. 15. dicimus: fruſtra me colunt, docentes doctrinas, & mãdata hominum: at quæ à fiducia in Ieſum Chriſtum, auctore Spiritu Diuino proficiſcuntur: hæc tantopere placere Deo credimus, vt ea tam hac in vita, quàm in futura remuneretur. Idcircò omnes hypocritas, qui ſub prætextu nominis Chriſtiani flagitioſè viuũt, neqʒ vllam morum emendationem faciũt, gratia Dei excidere aimus, à ſacramentis arcemus, nec condonari illis peccata, teſtari poſſumus. De quibus hæc Paulus 1. Cor. 6. An ignoratis, inquit, iniquos non eſſe regnum Dei poſſeſſuros? neqʒ ſcortatores, neqʒ adulteri, nec ij qui concubunt cum maſculis, neqʒ idolorum cultores, fures, auari, ebrioſi, maledici, rapaces, molles, Regni Dei hæredes erunt. *Opera humana.*

QVINTA.

Quam tu Religionem profiteris? eam opinor, quam & Martinus Luther, qui defecit ab antiqua, Chriſtiana & Catholica Eccleſia, quo tamen vos in fide veſtra nitimini.

R. *Nos fundamentum religionis, in ſolo Chriſto, & Euangelio eius, velut in petra firmiſſima ſtatuimus. Verumtamen, ſi vel Lutherus, vel quiſpiam alius, doctrinam ſuam, verbo Dei congruentem eſſe, nobis probet: non ſecus illam, quàm ipſum verbum Diuinum admittimus. Sin ei repugnantia doceat, is, vt Apoſtolus præſcripſit, anathema nobis eſt. Porrò, num veſtra Ruſſica Religio, ſit per omnia ſcriptis Diuinis conſentanea, nolo in præſentia decernere. Deum toto pectore oro, vt vbiuis gentium, adeoq́ hac in tua ditione, omnia ita agat, vt ea ſint ſaluti populo Chriſtiano. Nos Eccleſiam Catholicam, nec loco, nec genti vni alligamus. Eſt enim hic cœtus per vniuerſum orbem diſperſus, eorum qui in nomine Patris, Filij Spiritusq́ Sancti baptizati, ex Euangelio viuunt. Ab hac Eccleſia, nos nequaquam deficimus ſed à Latina, cuius caput eſt papa Romanus. Ideò quòd ipſe prior cum ſuis deſciuerit, à diſciplina, inſtitutis, atq́ exemplis tam Chriſti quàm Apoſtolorum, cuius tamen facti, nemini placidè, vti conueniret, rationem reddit: non ſeipſe corrigit, nec corrigi à quoquam, doceriue patitur. quin imò omni violentia, errores ſuos & facta omnia defendit. Principatum hac in Eccleſia ſumma contentione appetit. Ac cùm Græca olim iugo ſe illius ſubtraheret, idemq́ quod & nos ab eo repoſceret, percuſſa eſt ab ipſo anathemate. Vndè natum id, quod etiam hodie videmus, inter has duas diſſidium: factumq́ eſt vt hæc Romanæ, & Romana huic ſic ſchiſmatica atq́ hæretica.*

Eccleſia Catholica.

Græca.

SEXTA.

Quandoquidem vos à vetere Eccleſia ſeiunxiſtis: age dic, à quo Luther, atq; tu ipſe, cum cæteris, vocati ad mu-

nus

nus Eccleſiaſticum eſtis? Quomodo enim prædicabunt, ſcribit Apoſtolus, niſi mittantur? ad hoc, neque vllis miraculis, de quibus Chriſtus ad Apoſtolos, dogmata veſtra confirmatis.

R. Teſtis eſt Paulus, Chriſtum cœlo conſcenſo, dare dona hominibus, ita ut alios faciat Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, ad ædificationem ſui corporis, ſive Eccleſiæ Epheſ. 4. Quapropter cum vel Lutherus, vel alii miniſtri Eccleſiæ Euangelium purè tradunt, juxta & Sacramēta à Chriſto inſtituta fideliter adminiſtrāt: hi noſtra opinione, veri ſūt ſervi Ieſu Chriſti, ſalutis humanæ cauſa, à Deo *excitati, et Doctores populo miſſi. Nam nos, quemadmodum dixi, nec Eccleſiam Catholicam, nec autoritatem inaugurandi miniſtros Eccleſiaſticos, ſoli capiti Romano tribuimus. quippe perſuaſi,* Deum *ſemper, et ubivis locorum habuiſſe, atq; etiamnum habere electos, voci ſuæ obſequentes, & Chriſtum, unicum ſalutis ſuæ caput agnoſcentes. Qui in nomine Chriſti coacti, poteſtatem habent, legendi miniſtros verbi & Sacramentorum. Habet, inquam,* Deus, *ejuſmodi homines, quamvis nonnunquam mundo ignotos, & numero paucos: uſq; eò, ut ne Eliæ quidem Prophetæ olim noti fuiſſent, niſi oraculo admonitus, illud audiſſet: Reliqui mihi ſeptem millia hominum, Baalo genua ſua minimè flectentium. Rom. 11. Ad me quod attinet, facilè id piis probare poſſum, me prius in vita, moribus, & doctrina benè exploratum ſecundum & exempla & præcepta Apoſtolorum, à ſenioribus Eccleſiæ, in nomine Chriſti congregatæ electum, miſſumq; ad id eſſe, ut pœnitentiam & Chriſtum prædicem crucifixum: in cujus nomine, offertur hominibus peccatorum remiſſio. Gala. 6. Lucæ 24. Cæterùm, qui hunc in Eccleſia ordinem frande, potentia, Simonia aliisve artibus conſequuntur: eos, Petrum Apoſtolum imitati, exſecramur. is*

Veri miniſtri.

Ordinatio illorum

enim Simoni mago, idem precio ambienti dixit Act. 8. Pecunia tua, tecum unà pereat. Facultatem edendorum miraculorum, datum eſſe à Chriſto Apoſtolis non neſcimus. quippe quòd initiò, Doctrinam Euangelicam confirmari ejuſmodi prodigijs neceſſe fuerit, quæ poſteriori tempore edi deſierunt: nec nos hodie illa facere opus eſt, ut qui non novà quæpiam dogmata, ſed à Chriſto & Apoſtolis tradita, mirandisq; teſtimoniis obſignata, poſtea verò injuria temporis quaſi ſepulta, Chriſtianis in lucem rurſus proferimus.

Miracula.

SEPTIMA.

Quid ſentis de iejuniis Chriſtianis, quæ veſtros minime obſervare intellexi? *R. Primùm ſpirituale ieiunium, omnibus diligenter commendamus. de quo illud Eſaia 58. Nonne hoc eſt, à me electum ieiunium, vt diſſoluatis nexus improbitatis, ſoluatis faſces graves, & dimittas conquaſſatos, ut ſint liberi, omneq; lorum diſrumpatis? Nonne ut frangas eſurienti panem tuum, & pauperes ejectos introduces in domum tuam? viſum nudum ut operias, & à carne tua non abſcondas te? Hæc de ſpirituali ieiunio. quod abſtinere ſe à peccatis, & miſericordiam erga proximum declarare jubet. alioquin illud abſq; hoc aliud, abominatur* DEVS. *Deindè id ex ſacris literis, auditoribus noſtris inculcamus, vt parcè ſemper & abſq; luxu, comedant ac bibant. Imminentibus verò adverſis, iram divinam nobis denunciantibus, publicum plebi ieiunium, quemadmodum id cenſuère Ionas & Ioel Prophetæ, indicimus. quò ſic omnes ieiuni et flentes,* DEVM *per Chriſtum invocent, & neceſſaria ab eo implorent. tale ieiunium non minus quàm preces, elemoſynas, aliaq; in nomine Chriſti benignè facta,* DEO *cor humile & fractum aſpicienti, gratam eſſe hoſtiam fatemur. Interim cum Apoſtolo populum docemus, iejunium non in delectu, ſed in modico uſu ciborum, & carnis*

Ieiunia duplicia.

Ieiunium in abſtinentia conſiſtit,

carnis mortificatione conſiſtere. 1. Timoth. 4. Poſterioribus, inquit, temporibus, attendentes quidam doctrinis Dæmoniorum, prohibebunt contrahere matrimonium, & abſtinere iubebunt à cibis, quos DEVS *creavit, ad participandum cum gratiarū actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.*

OCTAVA.

Quæ eſt apud vos precandi ratio? *R. Conſtat, unicum* DEVM, *per Filiū ipſius Ieſum Chriſtum invocandum eſſe. Id enim nos ipſemet hiſce verbis docuit Pſal. 51. Invoca me die neceſſitatis, & ego te exaudiam. Hoc etiam Chriſtus facere nos juſſit. Pater noſter cœleſtis, da nobis Panem, remitte noſtra peccata, & libera nos à malo. Item, Ego ſum via, veritas & vita. Io. 14. Via nimirum in cœlum perveniendi. Sanctos verò defunctos propterea non invocamus, quòd nullum hac de re exſtet divinum mandatum, nullum ſit in libris canonicis exemplum, nulla facta de precibus ejuſmodi exaudiendis promiſſio. Quid? quòd* DEVS *ſe tantum coli iubeat?* DEVM, *inquit, tuum adorabis, huicq; ſoli ſervies. Mat. 4. Idem cum nullo alio gloriam ſuam communem eſſe patitur. Eſa. 42. Conſimiliter Petrus in ſolius duntaxat Chriſti nomine, dari hominibus ſalutem ait. Act. 4. Salva igitur gloria divina, de ſanctis ea omnia ſentimus atq; credimus, quæ ſacræ litteræ credenda docent, ad Doctrinam illorum puram, & vitam ſanctam noſtros mores pro virili componentes.*

Solus Deus invocandus.

NONA.

Quam ob cauſam non adoratis imagines ſanctorum? *R. Quia non id ſolum, verùm etiam fabricari quoq; eas, & ad cultum proponi* DEVS *vetuit, Levit 26. Nec idola, nec ſculptile vobis facietis, nec ſtatuam erigetis, nec lapidem figuratam ponetis in terra veſtra, ut vos eis incurvetis. Ego enim Dominus*

Imagines.

Devs veſter, & Io. 1. Epiſtola. Filioli, cauete vobis ab idolis. Horum aliorumq́ mandatorum memores, nullas omninò imagines in templis noſtris habemus. non ignari pœnarum, quas quondam Deo, cultores illarum dederunt. Chriſtus in cœlum palàm aſcenſurus, pollicitus eſt ſe nobiſcum per Spiritum Sanctum, vſq; ad conſummationem mundi futurũ. Quam ob rem Paulus 1. Cor. 6. corpora noſtra, templa ſpiritus S. vocat, in quibus is habitat. Cùm autem ſciamus Sanctos, dum hic vixerunt, ſe adorari noluiſſe: ſurge Corneli, inquit, Petrus: nam & ego homo ſum. Acto. 10. Et Angelus Iohanni ante ſe procidenti, vide ne id feceris, Devm adora. Apoca. 22. minimè credendum eſt, id nunc eos libentius accipere, (ſi modò ſentiunt) cùm ad ſe homines auxilii cauſa magis quàm ad ipſum Devm confugiunt, munia ſibi, hoc vel illud agendi, quaſi Devs omnibus ſatisfacere, vel nolit vel non poſſit, aſſignant. Nota ſunt omnibus, quæ David de imaginibus ſcribit. Oculos, inquit, habent, attamen non vident, & aures, ſed non audiunt: ſimiles illis fiant fabricatores earum, quiq́ ſpem figunt in illis. Has ob cauſas, nullæ imagines in templis Chriſtianorum, aliquot ſeculis poſt Chriſtum natum conſpiciebantur. Id quoq; memoriæ proditum eſt, Epiphanium viſam in templo pendentem depictam imaginem concerpſiſſe, ac æditu o dixiſſe, nullum eo loco poni debere ejus rei, quæ coleretur ſimulacrum. Quòd ſi à quibuſdam noſtrûm, in ſacris ædibus imagines tolerantur: non eſt hoc perpetuum futurum. Tollentur enim poſtquam ex animis hominum, verbo Divino ejectæ fuerint. Nos id magis neceſſarium eſſe dicimus, ut voluntas Divina, & diligenter & fideliter populo explicetur. undè multò plura commoda, quàm ex imaginibus, auditores percipiunt. Quò Petrus, illud dicens reſpexit. præcepit nobis Ieſus, ut prædicaremus populo. Acto. 10.

Diu nullæ in templis Imagines fuerunt.

DECI-

DECIMA.

De coniugio Sacerdotum atq; cœlibatu, quænam eſt veſtra ſententia? *R. Hac in re, vti in alijs, ſeruatur à nobis diſciplina Apoſtolica. Laudamus enim, beatumq; dicimus eum, qui hoc donum à Deo accepit, vt tam ſpiritu quàm corpore puro, ſeruiat Chriſto in Eccleſia. Quòd ſi caret, facit melius, cùm idem munus obit in connubio: ne fortè ſua impuritate, tum Deum offendat, tum Sanctam eius Eccleſiam. Vt autem Deus quondam, Sodomam & Gomorrham perdidit propter libidines: ita idem rurſus adulteros ac ſcortatores iudicabit. Heb. 13. Quo magis anteferenda eſt Latinæ, Græca Eccleſia: in qua licet Sacerdotibus in matrimonio viuere. Quod Romana & anathemate, & ferro fieri vetat. De Monachis, quid ſcribam, ignoro. Nihil enim de illis Chriſtus, nihil Apoſtoli ſanxerunt. Deus ſit vniuſcuiuſq; Iudex & propitius omnibus. Filium eius ſpiritu & veritate inuocantibus, qui cum Patre & Spiritu, eſt Deus, in ſecula benedictus Amen. Hæc habes magne Dominator, ad tua interrogata, quantum te loquentem intelligere potui: ſoſpes abs te, ut intrepide reſponderem animatus. quæ iuſſu tuo breuiter conſcripta, tibi offerre. Quòd ſi quid à me, non omnia reor verba tua aſſecuto, prætermiſſum eſt: quæſo vt id in meliorem partem accipere digneris. Cùm verò, quibus firmamentis nitatur doctrina noſtra, videas: ne oro abs te habear Hæreticus, ſacris rebus, margaritisq; cœleſtibus audiendis indignus: vt qui eas non calcare, cùm mihi verbo diuino oſtenduntur, ſed humo tollere ſolitus ſum. Ad hæc, eſt nobis omnibus communis iudex iuſtiſſimus, Ieſus Chriſtus, Dei Filius. qui ſolus agnos ab hædis, Zizania à tritico, ſtultas virgines à prudentibus verè ſeparabit, ac mercedem vnicuiq; pro meritis dabit: oues voci ſuæ hic obſequentes, in gloriam cœleſtem recipiet: impios autem, æternis pœnis addicet, vbi erit fletus oculorum, & ſtridor*

Coniugium Sacerdotum.

Monachi.

Vnus iudex omnium.

dentium. Quod reliquum eſt, Deum id indignus eius ſeruus oro, vt te magnum principem, & Monarcham, generis Slauinici, per Spiritum ſuum omnibus bonis augeat, atq. regat. quò tuæ omnes actiones, ſint maieſtati ipſius laudi, Chriſtianæ Reipub. commodo, hoſtibus autem generis Ethnici exitio.

De hoc ſcripto. *Hæc fuerunt tradita, principi Moſcorum, Anno Chriſti 1528. 25. Die Auguſti, in perniciem hominum nato. Vides pie lector quàm verè, quàm modeſtè. Ad quæ vt is, & ineptè, & ſuperbè Reſpondit, dato eidem Robitæ ſcripto Ruſſico, eleganter ornato, id facile erit hinc cuiuis ſani iudicij cognoſcere. Quæ ego, ex inculto ac horrido Moſcouitico, verbis quidem Polonicis, at non Phraſibus expreſſo: incultè etiam fateor, ne quod videlicet verbum, adeò arguti Theologi prætermiſſum eſſe, aut purum propriè redditum videretur: tamen bona fide, quantum ſemiruſſica percipere licuit, interpretatus ſum, additis ſingulis capitibus Apologiis. adiunxi & alia Fabri, Sacrani atq. Scargæ, ex quibus omnibus, tam vera, quàm falſa religio Ruſſorum, facili negocio cognoſci à lectore poterit.*

* *
*

RESPON-

RESPONSIO IOHANNIS BASILII, MAGNI DVCIS MOSCORVM, AD HANC RAHITAE CONFESSIONEM

fidei: datã ipſi in vrbe Moſcwa, Anno 1570. Kalend. Maij.

* *
*

PRAEFATIO.

DIxi antea coràm, quod nunc etiam repeto, nolle me tecum vllum colloquium inſtituere. Non enim eo ſciſcitaris animo, vt aſſentiaris dictis: ſed quò noſtra explores. Faciendum igitur mihi exiſtimaui, id quod nos Dominus noſter docuit: Nolite, inquiens, ſacra dare canibus, neque noſtras margaritas ante ſues proiicite, ac ſi dicat, nec Dei verbum, cum canibus infidelibus, Sacræ ſcripturæ credere nolentibus communicandum, nec Diuina myſteria iiſdem eſſe ponenda. Vtpote qui hiſce arcanis cognoſcendis, indigni ſint, ac innata malicia, veluti canes, ea allatrẽt, & dilacerent inq; ſuis ſordibus, ceu ſues volutentur. Proindè indigna res eſt, vt pretioſa verba, ante iſtiusmodi homines ſpargantur: quippe qui ea non tantùm diſſipent, verùm etiam docentem mordeant: eóq; inſolentiæ deuenerint, vt nondum percepta, alios doceant, ac ita in dete-

rius ruant. Quo fit vt verbum ſaluificum, vertatur illis in perniciem. Præterea Apoſtolus Paulus, Epiſtola ad Timotheum, iubet nos hæreticum hominem, ſemel vel bis admonitum vitare: quòd talis erret, & peccet, damnatus à ſeipſo. Itaq; hæc tua, ſilentio præterire volui. Huc illud accedit, quòd in multis noſtris regiis negotiis occupato, non liceat, de his, è ſcripturis ſanctis viritatem tibi demonſtrare. alioqui me dicentem, æſtas aſſequeretur. attamen nonnihil reſpondebo. ne me fortè, vel non intellexiſſe, quàm lethale effuderis venenum: vel adeò rudem ſacrarum litterarum eſſe exiſtimes, vt veſtra refellere nequeam: neúe me ad tam doloſas tenebras, negligentiâ deflexiſſe, aut gratè tua dogmata accepiſſe putes. veri enim eſt Christiani, Myſteria ſuæ religionis tenere. Quapropter conſcientiæ veſtræ cauſa, paucis mihi compellandi eſtis.

Adagium moſcorum Vbi longa Hyemes.

LASICIVS.

Qualia ſint futura iſtius hominis, ea quæ ſequentur dicta, ſatis oſtendit ipſa præfacio. qua omiſſa, ad ea quæ infrà, non minus perperam ſcripſit, pro ingenii mei tenuitate Reſpondebo. neutiquam prætereundam ſilentio ratus, tantam in homine barbaro, Chriſtianitatis arrogantiam. Neq; enim cauſam video, cur nobis compertiora tradere, verumq; tueri non liceat, ſi iſti incerta falſaq; ſcribere libuit. Quæ à Chriſtiana Religione, non ſunt aliena, vel ſaltem non eſſe, mihi videntur: ea non refellam. Sicubi prolixior fuero, Zelo id pio aſcribet pius lector. Impiorum hoſtiumq; veritatis iudicia, nihil moror. verorum Chriſtianorum ſententiæ, mea omnia ſubijcio. Sed prætermittendum non videtur, quòd Rohitam nihil minus quàm hæreticum, iſte tot errorum defenſor, in numero

mero ponat hæreticorum,ab Apoſtolo vitari iuſſorum. melius de hæreticis Aeneas Syluius,in geſtis Concilii Baſilienſis.Hæreticus, inquit,nemo eſt,niſi q̄ Catholicā fidē reſpuit.Cōſtat autē hāc 12.articulis cōplexos eſſe Apoſtolos. quam nos, qui Euangelici vocamur, ſubſcribimus, purè confitemur, ac mordicus defendimus. Præter hæc, prima illa quatuor Concilia ſuſcipimus. videlicet Nicænūm. Anno Chriſti 326. (etſi paulò plus triennio durauit) contra Arrium, inæqualem Deo Patri Filium ſtatuentem: Conſtantinopolitanum 383. contra Macedonium, Spiritum S. Creaturam eſſe dicentem. Epheſinum primum. 434. aduerſus Neſtorium,non Deum,ſed merum hominem Chriſtum, Maria eſſe natum aientem: & Calcedonenſe.453.aduerſus Eutychetem,corpus Chriſti, poſt eius cum Deitate coniunctionem, in Diuinitatem eſſe conuerſum ſomniantem, celebratum, à quibus conciliis qui diſſentiunt, ij Imperatoris quoque iudicio hæretici ſunt.Quicunque,inquit,ita non credunt, vt 318. Sancti patres tradiderunt, Catholicam fidem in ciuitate Nicæa fundantes: centum quoq; & quinquaginta alij venerabiles Epiſcopi,qui in alma vrbe Conſtantinapolitana poſtea conuenerunt:& ſicut Athanaſius,& Theophilus & Cyrillus ſanctæ recordationis, Epiſcopi Alexandrinæ ciuitatis,credebāt,quos etiam Epheſina Synodus,(cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit,in qua Neſtorii error expulſus eſt)in vniuerſis ſecuta eſt: quos & nuper venerabilis Chalcedonenſis Synodus eſt ſecuta, prioribus conciliis Sacerdotum,ex omni prorſus parte conſentiens, nihilq́; adimens Sacroſancto Symbolo,neq; adiiciens, ſed Eutychetis dogmata funeſta condemnās: ſciant ſe eſſe hæreti-

Hæreticus.

Prima 4 concilia.

cos Iuſtinianus Codicis lib.1.tit.5.de hæreticis. Quod de nobis hiſce omnibus ſubſcribētibus, minimè dici poteſt. Carpere vitia, tam doctrinæ quàm morū, quæ tanto æuo, prætextu religionis irrepſerunt in Eccleſiam, nequaquam eſt hæreſis habenda.

CAPVT I. DE LVTHERO.

SIt autem primum de Luthero doctore veſtro, meum verbum, qui vt vita, ita cognomine ſibi vſurpato (Lut enim ſermone noſtro, trucem ſignificat) trux erat. Etenim impetu in Chriſtum, lapidem angularem facto, tam inſtituta eius euertit, quàm Apoſtolorum ſanctorumq; Patrum doctrinam diſtrahit, deſtruit, in obliuionem adducit & ſacras ſcripturas inuertit, ſenſum illis affingens, non quem in ſe habent, ſed quem ipſi deprauatâ mens atq; libido ſuggerit. Cæterùm væ illis, ait Eſaias, qui fratribus ſuis turbidam aquam dant bibendam, id eſt, qui eos, à vera fide, doctrina inconuenienti abducunt. hactenus de nomine. nunc rem ipſam magis declarabo.

LASICII APOLOGIA.

VIdes prudens lector, quàm imperitè is homo, etymon Lutheri, media Germania in oppido Isleben, Comitum Manſfeldenſium, Patre Iohanne Luther, Matre verò Margareta

retæ 10. Die Nouembris Anno 1483. nati, ac ibidem 18. Februarii 1546. flagrante bellis Germania mortui, è lingua deriuet Moſcouitica: cùm ſi origo illius inſpicienda foret, non ab aſperitate, ſed à puritate tractum eſſe videatur. Lauter enim ſuperioribus Germanis, Luter Saxonibus, purus claruſq; eſt. aut ſi literam h, interponas, Luther populi Dominum ſignificat. quod nomen Germanis antiquum eſt. ac Lambertus Aſſafunburgenſis (ita enim cognomen eius legi debet) in hiſtoria Germanorum, quibuſdam in libris titulo carente, Anno Do. 842. Lutherum regem & certè negari non poteſt quin fato quodam, huius viri opera, doctrina Eccleſiæ reddita ſit purior. Non minus Moſco ineptit Gilbertus Genebrardus, Theologus Pariſienſis, cùm eundem virum, lib 4. ſuæ illius Chronographiæ maledicæ, Hebraice Luther cognominat. niſi forte cultor ſcribere voluit. ex quo poſſe elici illum Antichriſti numerum 666. Apoca. 13. pueriliter ratiocinatur. contrà lib. 3. Anno Chriſti 671. Vitaliani Papæ res geſtas commemorans, ex Μαομέτις *verbo, ſecutus opinor Poſtellum, eundem numerum exprimit. At, quod illi Antichriſto indet cognomentum, quem ſub finem mundi, vti Iudæi Chriſtum, exoriturum, & duos tantum ac quadraginta menſes, regnaturum, cum Romana Eccleſia credit? Cuius opinionis, etſi ſit Iodocus quoq; Chlichoueus, eiuſdem ſcholæ alter Magiſter: tamen negat ea quæ in Daniele, Euangeliis Epiſt. ad Theſſal. de Antichriſto ſcribuntur, poſſe facilè Mahumeti accomodari: aut in eo completa complendaue videri. vt de grauiſſima tribulatione, ventura circa finem mundi, de arrogantia diuini numinis, qua extolletur Antichriſtus dicens ſe Deum, de diebus abbreuiatis propter electos, cùm lex corruptiſſima Machumetana, in dies maius ſumat incrementum, de Elia & Enoch mittendis contra Antichriſtum, de Iudæis ipſum pro ſuo Chriſto recepturis,*

Lutherus natus.

Cromerus lib. XI. Rerum Polonicarum Lutherum ducem ſeu Magiſtrum ordinis Teutonici in Pruſſia nominat.

Antichriſtus.

& reliquis. quæ ille ſcribit in Cap. 27. Damaſceni lib. 4. adeò tam hi, quàm Moſchus, opinione de Antichriſto errant. Quòd ſi hoc Moſcicum Argumentum, alicuius momenti habendum eſſet: tum ſanè & illud oppidum Anglicum Luterüort, hoc eſt puri verbi in quo Iohannes Vicleuus Luthero puritate Doctrinæ penè par, ducentis ab hinc annis concionatus eſt, attrox & immite habendum foret. Cætera à Moſco ſimpliciter dicta, eodem pacto negamus. ad ſpecies corruptæ à Luthero Chriſtianæ Doctrinæ, euerſorumq́ Apoſtolicorum inſtitutorum, ſi deſcendiſſet, nos quoq; reſponderemus, Lutherum id feciſſe, omninò negamus. vitia eum Eccleſiæ Romanæ oſtendiſſe, corrupta emendaſſe, ſuperflua reſecuiſſe aimus. Qui ſe tamen diſputationi publicæ ſemper offerebat, & Iudicibus non ſuſpectis ſubmittebat. Verùm vt à Papa Leone x. Anno Chriſti 1520. 17. Iulij condemnatus eſt, non conuictus: ita nunc damnatur à Moſco non viſus non lectus, nō expenſus. Cuius rudi præiudicio, ego hoc multò grauiùs oppono Eraſmi Roterodami, de eodem iudicium. Anno 1520. Coloniæ typis editū. Optimus quiſq; & Euangelicæ doctrinæ proximus, minimè eſt infenſus Luthero, is omnibus æquis, æquum petere videtur, & quia nihil ambit: ideò minus ſuſpectus eſt. Qui hactenus ſcripſerunt contra Lutherum, improbantur etiam à Theologis. Mundus ſitit veritatem Euangelicam, & fatali quodam deſiderio videtur huc ferri. Vndè quia id fortè à Deo, non oportet odiſſe, reſiſti. Idem Eraſmus, Marino, & Eleandro, legatis Leonis x. Papæ pollicentibus ſibi, magnorum cenſuum atq; vectigalium Epiſcopatum, ſi aduerſus Lutherum, pro ſede Romana ſtylum ſtringeret. Maior eſt, inquit, Lutherus, quàm vt ego in illum ſcribam: maior eſt, quàm vt à me intelligatur. Planè Lutherus tantus eſt, vt plus erudiar & proficiam ex lectione vnius pagellæ ipſius, quàm ex toto Thoma Aquinate. Et libr. 22. Epiſt. ad Iodocum Decium. Sigiſmundi

Vicleuus.

Eraſmus de Luthe.

Regis Poloniæ Secretarium, Anno 1529. Quæ Lutherus deſtomachatur in noſtros veriora ſunt quàm vellem. De libero arbitrio, de bonis operibus ac meritis, deq; ſimilibus, & quæ vrget ſi moderatè tractentur, mea ſententia propius accedunt ad vigorem Euangelicam. Themata cum fructu pietatis, diſputari poſſunt inter eruditos, ſi abſit peruicatia veritatis inimica. Sic Oecolampadius, vir itidem ſuo tempore doctiſſimus, qui Baſileæ deceſſit Anno 1531. vti Eraſmus. 1536. Lutherus, inquit, Euangelicæ veritati propius accedit, quàm aduerſarij ſui. Mirum, cùm meliora non offerunt, quod ſole clarius eſt, tamen condẽnare non verentur, quod improbare quantum ſatis eſt, non poſſunt. Verè dicit Ennius: pellitur è medio ſapientia, vi geritur res. Quæ ego Lutherana legi, non enim omnia legi, adeò immeritò reijciuntur, vt fiat etiam iniuria ſacris literis, quas ipſe ſyncerius exponit. Pleraq; ab eo dicta, tam certa ſunt apud me, vt ſi etiam cœleſtes Angeli contradicant, non me ſint à ſententia mea depulſuri. Refert & Io. Manlius in locis communibus Maximiliano 2. Imp. Anno 1562. dicatis, hæc Philippi Melanchtonis verba: Dux, inquit, Fridericus Elector, Eraſmum Roterodamũ in eo conuentu, quem Carolus 5. Imp. poſt coronationem Coloniæ habuit, amanter orauit, vt liberè diceret, num erraret Lutherus in iis, de quibus præcipuè diſſeruit controuerſiis. Vbi Eraſmus planè dixit, rectè ſentire Lutherum. Interrogans vlterius Princeps, quid tandem ô Eraſme peccauit is meus miſer Monachus, quòd ipſi tam infeſti ſint omnes, & ſic eum perſequerentur? Duo inquit, clemẽtiſſ. Princeps peccata commiſit. Nam coronã Papæ & Epiſcopis, Monachiſ autem ventrem abſtulit. Hæc docti viri de Luthero. Quùm & ipſemet ita de ſe ad Henricum 8. Anglorum Regem, Anno 1525. Tomo 2. Vittembergenſi: Tua Maieſtas apud ſe cogitet, quidnam mali poſſum docere, qui nihil aliud doceam, quàm fide Ieſu Chriſti,

Oecolampadius.

Duo peccata Lutheri

Lutherus de ſe.

Filij Dei pro nobis paſſi & ſuſcitati, nos ſaluos fieri oportere. ſicut teſtantur Euangelia & Epiſtolæ. Hoc enim eſt caput & fundamentum doctrinæ meæ ſuper quod poſtea ædifico & doceo charitatem, erga proximum, obediẽtiam erga politicos magiſtratus, tum crucifixionem ſeu mortificationem corporis peccati, vt itidẽ præſcribit doctrina Chriſtiana. Porrò ꝙ abuſum & tyrannidẽ pontificum taxo, qui ãlia quàm iſta prædicta, imò contraria docent, interim cenſibus, pompæ, ventribus, imò regnis & principatibus, omniumq́; opibus inhiãtes nónne idipſum & vulgus ſentit & dãnat. Atq; ipſimet cogũtur fateri? cur nõ emendãt ſeſe, & recta docent, ſi odio & correptione liberi eſſe volunt? videt maieſtas veſtra, quot viri ſapientiſſimi, quot illuſtriſſimi principes, & ciuitates mecum faciant, & Deo gratia, doctrinã Euangelij ſingulari Chriſti beneficio per me repurgatam, cupiant indemnatam.

Repurgat doctrinã.

CAPVT 2. DE LVTHERIANIS CONCIONATORIBVS.

ALterum eſto meum verbum, de cognomine veſtro, nimirum quòd imitati magiſtrum veſtrum Lutherũ, Kaznodzieie vocamini. neq; id ab re. Etenim nimia præditi calliditate, verbum Dei falsò explanatis. Vt autem Diabolus cœlo deiectus, pro Angelo lucis, nomen tenebrarum & deceptoris acquiſiuit, Angeliq; illius, Diaboli appellati ſunt; eodem modò etiam vos, ac quemadmodum Satan;

origo

origo eſt diabolorum, & Angeli ipſius diaboli dicuntur: ſic & veſter auctor, vocatur Luther: voſq; Kaznodzieie dicimini. Qua de re hæc Paulus, electum illud inſtrumentum. Non mirum, inquit, nam ſicut ſe Satan in Angelum lucis transformat: ita miniſtri etiam eius, ſeruos ſe eſſe veritatis dicunt. Similiter præceptor & Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Cauete à falſis Prophetis, ad vos in veſtibus ouillis venientibus, qui intus ſunt lupi rapaces: quos ex fructibus ipſorum cognoſcetis, id eſt, ex doctrina, qui à Deo ſint, quiq; falſa doceant intelligetis, nō ex titulo doctorum, quo tanquam veſte ſimplici ornati, intus fouent ſpiritum malitiæ, falſas, fraudis plenas, & inhoneſtas doctrinas, Iohanne id ſcribente, Qui non intrat per oſtium in ouile, ſed caulam tranſcendit, is eſt fur & latro. Simili modo vos ſepta verbi Diuini tranſiliiſtis: occupatiſq; doctorum cathedris, oues Chriſti, pretioſo ſanguine quæſitas, doctrinis veſtris depredamini: & veluti fures, nequaquam per oſtium ingreſſi, nec id à quoquam agere iuſſi, ſurripitis mactatiſq;. At ille oſtiarius dixit Petro ſuperiori Apoſtolo: Paſce oues meas. Idq; ter ideò repetiuit, quòd ipſum toties abnegaſſet, initium pœnitentiæ omnibus oſtendens. Quam ſalutem vos reieciſtis. Sic alio etiam loco eidem dixit. Dabo tibi regni cœleſtis claues, quicquid ligaueris in terra, id & in cœlo ligatum: ſi quid ſolueris in terra, id quoque ſolutum in cœlis manebit. Poſtea idem beatus Apoſtolus, poteſtatem à Chriſto omnium rectore accepit, quā ſuis diſcipulis tradidit, & per oppida Epiſcopos, id eſt, viſitatores, qui vſque ad nos peruenerunt, conſtituit. Hi verò per oſtium introierunt, & Chriſtus oſtiarius, fores illis aperuit: cuius oues, pro viribus quiſq; ſuis

Fructus Prophetarū doctrina.

Petrum Chriſtus ter compellat.

Epiſcopi.

pauerunt. At vos nequaquam per hoſtium ingreſſi, petulanter vobis munus docendi arrogaſtis. ideoq; fures ac latrones appellamini. ſed de his ſatis.

LASICII APOLOGIA VOCATIONIS MINISTRORVM, REFORMATARVM ECCLESIARVM.

SI mihi ſingula verba, iſtius inſulſi hominis confutanda eſſent, ac ea quorum nos inſimulat diluenda, in immenſum opus excreſceret: nec id ſine bili, cui & ipſe indulſit, fieri poſſet. quocirca multa, tam hic quam alibi, ex induſtria prætermitto: aliis ea iudicanda relinquens. nec minus rurſum inepte ludit, in verbo miniſtrorum Eccleſiæ: qui Kaznodzieie lingua noſtra, non à corrumpendo, vt is egregius ſcilicet grammaticus autumat: ſed à contionibus habendis, appellationem ſortiti ſunt, toto hoc ſcripto, inſigni iniuria ab illo grauati, calumnijs obruti. Cæterùm nos illud tempus futurum aliquando ſperamus, quo æquiorem Chriſtus feret, de veris Eccleſiæ ſuæ Miniſtris ſententiam. Non conuenit vt conſeruus damnet conſeruum. Dei enim eſt hoc omne iudicium, cui omnes vel ſtamus vel cadimus. Non eſſe ante tempus iudicandum. Apoſtolus monet: ac de talibus iudicibus, qualis Moſchus vnus eſt. Hæc ad Corinth ſcribit. Ego, inquit, minimi facio, de me, vel à vobis, vel ab humano die iudicari. Diem, tēpus hominum intelligens, quo alij de alijs, (plerumq; perperam) iudicare ſolent. Omiſſis igitur alieniſſimis à verbo criminationibus, ad rem ipſam accedamus. Qua ratione Miniſtri Eccleſiarum reformatarum extiterint, vocatiq; ad docendum ſint, reſponſum eſt paucis quæſtione 6. Plura dicentur ad caput 9. Verùm & hic aliquid. Etenim nos, quotquot nomina Chriſto dedimus, ſcripturas ſcrutari, Spiritus probare, & id quod acceptū ſit domino, quæq; eius

De Miniſtrū reformatarum Eccleſiarū

voluntas

voluntas eſſet explorare, Prophetas ex fructibus ipſorum cognoſcere, Babylone ſpirituali excedere, ac ut Pater cœleſtis operarios in meſſem ſuam extruderet, petere orareq́; iuſſi, id fecimus: corda noſtra (abſit dicto inuidia) ad ea omnia ſpiritu Diuino impellente. Tum verò, cognitis falſis ſpiritibus & Prophetis, id eſt, legis Diuinæ interpretibus, ad meliores, & ad illos ſapiẽtes tranſimus, quos ſe Chriſtus cœcis Phariſæis, qui nec hodie quidem non ſunt, miſſurum recepit. Matth. 23. Accepti hi à vera Eccleſia, reiecti à falſa. Haud aliter quàm, vti olim & Chriſtus: & Apoſtoli ſpreti à Iudæis non electus fuere. Ac vt eorum ſeries, à Waldenſibus in Sabaudia, circiter Annum Chriſti 1 1 6 0. à Fratribus Bohemis, in Bohemia, Anno 1 4 6 7. à Luthero in Germania 1 5 2 5. Semel inſtituta eſt: ita adhuc ſucceſſione doctrinæ eiuſdem, integra durat. Hi porrò, dum accepta à Deo ſapientiæ dona, cum alijs communia faciunt, populum Dei captiuum Babylone educunt, eductum rudimentis puræ fidei imbuunt, Antichriſti, tam diu latè dominantis, fraudes, ſcelera, errores detegunt: manet penes illos, eadem ligandi ſontes, ſoluendiq́; reſipiſcentes poteſtas, qua veri anteceſſores ipſorum, idem agentes prædicti fuerunt. Enimuero Petri, Pauli, Timothei ſucceſſor habendus eſt, non qui in cathedris eorundem, vt doctrina diſſimilis, ita moribus diſpar ſedet: ſed qui virtutes exprimit, officium exequitur: nempe vt Turca, non eſt ideò Cæſar habendus, quòd Conſtantinopolim, Cæſarum ſeu Imperatorum ſedem occupauerit: ſed ſolus Rudolphus 2. qui nunc Rempublicam Chriſtianam fœliciter adminiſtrat. Licet igitur talem Apoſtolorum ſucceſſorem, homo vetet Euangelium alijs nunciare: tamen quia miniſter Dei eſt, præſtare id, vel vitæ ſuæ periculo debet. Clama, inquit, nec ceſſato: attolle tanquam tuba, vocem tuam. Eſaiæ 58. item prædica ſermonem, inſta tempeſtiuè, intempeſtiuè, increpa, exhortare. 1. Tim. 4. Ita Apoſtoli prohi-

Ordo illorum.

biti ab illis, legitimæ ſucceſſionis ſacerdotibus, ne in nomine Domini Ieſu docerent: non paruerunt id vetantibus. Act. 4. Aldad quoq; & Medad, afflati à ſpiritu Diuino prophetarunt, non petita à Moſe id agendi facultate. Nume. 11. Prophetauit etiam Saul, quamuis extra vatum numerum. Idem fecerunt illi, quos ſolos ſpiritus Domini inuaſerat, præteritis ſuperbis Epiſcopis & Phariſæis. Act. 2. Tantò minus hodie, minor Moſe Papa, à noſtris Aldadis atq; Medadis, ab eodem ſpiritu voluntatem Diuinam edoctis, & à patre illo familias, ad vineam ipſius, melius prioribus colonis excolendam miſſis, conſulendus ſuper hac re fuit. Ad hæc, ſi quid hoc ad rem pertinet, vncti raſiq; in papatu fuerunt, & docendis alijs deſtinati, qui primùm veritatem Euangelicam, è tenebris, in quas conuerſus erat mundus, Dei beneficio, in apertũ protulerunt, vt ſponſo breui venturo, ſponſam Eccleſiam, vera fide atq; caritate exornarent. qui tandem conſentiente Eccleſia, collegas ſibi ſacro ritu aſciuere: delegatiq; ſibi à Deo muneris, alios participes fecere. Verùm licet ij tales non eſſent: tamen Babylone, voce Angelica exire iuſſis. Apoc. 18. tacitè permittitur, meliorum ductorum, miniſtrorumq; nouus ordo. Cœtus enim omnis tamdiu durare ſolet, quàmdiu capita habet. Cognita ſemel voluntate Diuina, opus præconibus erat. per quos ea ad poſteros propagaretur. Inſuper, nemo ſana mẽtis inficias iuerit, datam eſſe Eccleſia Chriſti, duodecim capita catholicæ religionis profitenti, (quod certè nos, vt ante dixi facimus,) ſicut peccata remittendi, tenendiq;, & iudices idoneos, cæteraq;, quibus ordo conſeruetur conſtituendi facultatem: ita homines ad docendum accommodos, eo quo id in Actis fecerunt Apoſtoli modò, & Paulus præſcripſit, ad miniſterium publicum vocandi. Mitto Phariſæos, ſibi ſolis Eccleſiam, à qua tamen ſunt remotiſſimi arrogantes, & hæc omnia negantes. Quid enim amplius cum iſtis diſceptaremus, quos pridem inſtin-

ctu Diuino, haud temerè miſſos fecimus? Mortui ſunt nobis, vt nos ipſis. de vtriſq; autem, iudicet Deus, iudex incorruptiſſimus. Porrò, qui hos noſtros, vt vocatos eſſe à Deo appareat ſui muneris, miranda aliqua teſtimonia edere volunt: illi eodem iure, ab omnibus, qui hodie ſunt Chriſtianis, miracula exigant, quæ credituros in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum ſecutura Chriſtus prædixit. Matth 16. Iohan. 14. aut neget illos fuiſſe Chriſti diſcipulos, qui Dæmonium lunatico eÿcere nequiuerunt. Matth. 17. Quamuis poteſtatem in Dæmonas, iam ante acceperant. Matt. 10. Verus Dei legatus atq; miniſter erat Iohannes Baptiſta: tamen nullum ſignum fecit. Io. 10 Quid enim nunc miraculis opus ÿs, qui nihil diuerſi ab illis adferunt, quorum tot prodigÿs firmata roborataq; eſt doctrina Euangelica? Pulchrè autem IOHANNES CALVINVS, de hoc nouo Miniſtrorum ordine Cùm inquit, nobis Spiritus Dei, per os Pauli præſcribat, vt decenter & compoſitè fiant omnia: ordinarium Miniſterium reuerenter ſemper colendum eſſe cenſeo. Sic igitur fert, vera ratio & Dei mandatum, vt nemo ſe temerè ingerat, nec priuatus quiſquam ſibi paſtoris munus vſurpet: ſed vt paſtorum iudicio electus, & gregi oblatus, ipſo conſentiente approbetur, huc accedat ſolennis manuum impoſitio, quàm ordinationem vocant. De qua ſola, cùm tantopere nobiſcum litigent Papiſtæ. ſatis oſtendunt, quod præcipuum erat, ſe negligere, nempe electionem. Et infra. Quia Papæ tyrannide, abrupta fuit, vera ordinationis ſeries, nouo ſubſidio nunc opus eſt, ad Eccleſiæ inſtaurationem. Remedium verò affert Deus ipſe, dum idoneos & probos doctores excitat, qui Eccleſiam in deformibus papatus ruinis iacentem ædificent. Atq; omninò extraordinarium fuit hoc munus, quod Dominus nobis iniunxit, dum opera noſtra, ad colligendas Eccleſias vſus eſt. Qui ergò ita præter ſpem hominum, inſolito more repentè apparuerunt, ſynceræ pietatis vindices: eorum

De miraculis.

Caluinus de ordine miniſtrorum.

vocatio, à communi regula æſtimari non debet. Cæterum hac lege Diuinitus vocati ſunt, vt Eccleſijs rectè compoſitis, alios paſtores ſubſtituant in ſuum locum. hæc ille epiſtola ad Sigiſmundum Auguſtum Regẽ Poloniæ, Anno nati vnici Sacerdotis omnium 1554. Ait Moſcus ex doctrina iudicandũ de doctore eſſe accipimus conditionem. modo ne ſit cæcus. neq; ſurdus iudex. At quis cæcus, niſi ſeruus meus? aut ſurdus. ſicut nũcius meus quem mitto. Eſa. 42. Cætera. ſunt mera conuitia, ab eo qui nunquam guſtavit Lutherianam doctrinam profecta. Nos ouile Chriſti nequaquam trãſgreſſi ſumus, vt fures dici iuſtè poſſimus. Sed nati in eo ciues, veritatem Euangelicam aſſerimus, oues Chriſti, quorum hoc intereſt, melius mercenariis paſcimus. De Petro quod adducit, nihil ad rem facit fatemur cum Auguſtino, Chriſtum non ſoli Petro, ſed toti Eccleſiæ, quam Petrus ſignificabat, locutum fuiſſe. tractatu ſuper Iohan. 118 & 124. Cap. 21. Conſtitutos eſſe ab Apoſtolis Epiſcopos, quorum ſeries adhuc duret verum eſt. eodem pacto propagati ab Adamo homines, vſq; ad diluuium peruenerunt. Sed vtrique corruptiſſimi. Adeò, vt illos priores Deus eluuie perdiderit, octo exceptis, iſtis verò Apoſtolorum ſucceſſoribus, vt videre eſt ſpretis, filios Abrahæ fidelis è lapidibus excitauerit, qui ſub hunc mundi occaſum clamarent, quod iidem anteſignani, non abſque ſcelere tam diu reticebant.

Serui Dei cæci.

Petrus ſignificat Eccleſiam.

CAP. 3. NEGAT ROHITAM ESSE Chriſtianum.

CHriſtianum te appellas, at nos eadẽ re filius tonitrui ſic edocuit. Qui non confitetur Ieſum Chriſtum, in

carne veniſſe,nec hãc doctrinã adfert: hunc vos gratulantes ipſi,ne quidem alloquamini.alioqui qui hoc fecerit,is particeps fiet, malorum eius operum. Secũdum quod dictũ,non es tu Chriſtianus.nam quemadmodum Chriſti, ita Sanctorum Patrum Doctrinam & peruertis,& reiicis.

LASICII APOLOGIA.

QVod Moſcus, huic Miniſtro Chriſti,omnia religionis Catholicæ capita,ab Apoſtolis tradita amplectẽti, nomen Chriſtiani adimit : id eodem iure facit, quo Liuones ſolo illorum exuit ,& Lituanis pridẽ multa abſtulit. Deinde, tam hoc verè dicit, quàm illud iudæi de Chriſto in Talmud,Nizahõ cap.209. At inquit nouerunt, quòd maleficus magus fuit & omnia miracula eius fuerunt veneficium.propterea ſententia mortis,iure in eum lata eſt ſicut præcepit nobis Deus noſter. Iudæorum ſententia de miraculis Chriſti. *hæc Io. Reuchlin in defenſione contra calumniatores ſuos Colonienſes, Tubingæ.1514.Poſſe autem ô Moſce demõſtrare,peruerti a nobis diciplinam Chriſtianam, nec nos ſacroſanctam habere ſcripturarum diuinarum authoritatem,hoc opus hic labor eſt.ſane hæc facilius nobis,à malis obijciuntur,quàm probantur.Nos cum Iohanne Ieſum in carne in mundũ veniſſe, eamq́ certo in loco ſemper eſſe credimus.alij olim erant,qui hoc non credebant.Profectò nimium ridiculus es, qui adeò inſcitè,oracula diuina contra nos inflectis.* Moſcus ridiculus. *Proinde tam his,quàm alijs criminationibus tuis,illud bona conſcientia opponimus. 2 Cor. 6. vt deceptores, & tamen veraces. Et ipſe Dominus Mat. 5. Beati eritis cùm conuiciati fuerint vobis, & perſecuti fuerint,ac dixerint omne malum aduerſum vos,mentientes.propter me.Idem apud Lucam.cap.6. Beati eritis,cùm vos oderint homines,& ſepa-*

rauerint vos, & conuiciati fuerint, nomenq́; veſtrum, vt malum eiecerint, propter filium hominis. Gaudete illo die & ſalite. Satis autem conſtat, iſta omnia, etiam hodie, veros Chriſtianos experiri falſos, alta pace frui.

CAPVT 4. DE PATRIBVS SEV Doctoribus Eccleſiæ.

AIs te id tuos docere, vt quilibet Chriſtianus, firmè credat omnibus ſcripturis, à Vatibus & Apoſtolis, nobis traditis, magnisq́; miraculis confirmatis. At verò vos ipſi, ea quæ alios docetis tranſgredimini: omnia à Sanctis Patribus accepta peruertiſtis atque abieciſtis. Ite, inquit, Ieſus, ac Paganos omnes erudite, Baptizātes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Docenteſque ſeruare omnia, quæ præcepi vobis. Ego autem vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Hîc aduerte, quam diu ſe nobis affuturum polliceatur. Vbi autem nūc ſunt Apoſtoli, illæ diuinæ aquilæ? An non ſecundum dictum eiuſdem, ibidem vbi illud cadauer Diuinę incarnationis cum Patre ſedet? Eſſe eum nihilominus hodie cum credentibus, futurumq́; non ſolùm vſque ad exitum noſtrum, ſed etiam donec ſecula finiantur, id quod dixit declarat. Et illi quidam tanquam boni ædificatores expleto munere; à ſuo rectore ſibi

Apoſtoli ſunt in cælo.

ſibi demandato, ad cœleſtia gaudia commigrârunt, Ieſus enim Chriſtus, poſtea quàm impletum fuit illud prædeſtinatum myſterium miſit prædicatum Diuinos diſcipulos Apoſtolos. quibus cum fuit, ac etiamnum eſt cum fidelibus. quin futurus cum iiſdem vſque dum mundus conſummatur, & ipſe veniat iudicatum viuos & mortuos. Ad hæc, cùm pro nobis pœnas lueret, naturæ corporatis explens arcanum cumque patri pro diſcipulis, & mundo vniuerſo ſupplex eſſet, dixit ſe illos ita in mundum mittere, ſicut ipſe in eum demiſſus erat. Nec, inquit, pro his ſolùm te oro: verùm etiam pro credituris in me, ad horum verba. Vt omnes ſint vnum, quemadmodum tu in me, ô Pater es, & ego in te. Donec, inquam, omnes idem ſint in nobis, & mundus fidem accipiat. Vides Sanctorum Patrum multitudinem: quodq; Chriſtus genitorem ſuum pro illis etiam orarit, qui propter verba Apoſtolorum, credituri erant in ipſum: quò vnum fieret cum Patre Filio & Spiritu Sancto. At non eſſentia, ſed fide, mandatorumq; Diuinorum obſeruatione, vt deinceps cœleſtibus bonis exſaturarentur. Pater enim in Filio, ac is in Patre, faciunt, vt homo præſtandis mandatis idoneus ſit, habitetq; in Deo. Apud Marcum quoq; hæc idem. Credentes, iſta ſequentur miracula. Nomine meo expellent Dæmonia, exteris linguis loquentur, ſerpentes tollent, ac toxica illæſi bibẽt, ægri ad impoſitas ſibi manus illorum ſanabuntur. Multa verò talia fecêre Sancti Patres. Magnus ille Baſilius Cæſareæ archimyſta, præſcriptam Theophoro atq; Ephremo Syro precationem lingua Syra, mandauit vt recitarẽt ſermone Helenico, quarum rerum multa ſimilia, ſi voles, in Diuinis monumentis reperies. Quòd ſi illi falſi Pa-

Chriſtus nobiſcum ſemper futurus.

Fide ſumus vnũ.

Baſilij miraculũ.

ſtores fuiſſent, nec per oſtium ad paſcendũ gregem Chriſti ingreſſi: nullo modo iſta ſtupenda, de quibus Euãgelium, patrare potuiſſent. Quomodo autem habendam fidem eſſe, omni ſacræ ſcripturæ dicitis, quam ipſi & deprauatis & reſpuitis? Quod de miraculis ſcribis, de his Paulus, miſſa ad Corinthios. videlicet miracula & Prophetias fieri, non credentium, ſed infidelium cauſa. Quapropter ſi vos è numero credentium eſſetis, Sacris literis fidem adiungeretis, miracula non ſpectaretis. Sic & apud Iohannem Chriſtus. Quæritis me, non ideo quòd miracula videritis, ſed quia pane ſaturati eſtis. Et vas electũ ad Hebræos, Sapuiſtis veluti pueri, iique quibus lacte, non ſolido cibo opus eſt. omnis lactens iuuenis eſt, nec in verbo exploratus. Sic igitur vos etiam de miraculis perſuaſi eſtis, eaque tanquam lac requiritis, ignari potentiæ ſcripturæ, qui ſolidus eſt cibus. Idem Paulus priore ſua miſſa Iudęi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. nos verò prædicamus Chriſtum crucifixum. at de his ſatis.

LASICII APOLOGIA, DE PATRIBVS ET MIRACVLIS.

Quatenus Patribus credendũ.

PRoferenda erant ô homo, hæc Patrum placita à nobis ſine cauſa abiecta. Nos enim nihil agimus aliud, quàm quod ſuadet Pater Auguſtinus, neq; inquit, quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum virorum, velut ſcripturas Canonicas habere debemus, vt non liceat ſalua honorificẽtia, quæ illis debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare atq; reſpuere: ſi fortè inuenerimus quod aliter ſenſerint, quàm veritas habet, Diuino adiutorio

adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Hæc ille ad Bonifaciũ. Et in Prologo Lib. 3. De Trinitate. Noli meis libris, quaſi Canonicis ſcripturis deſeruire: ſed in illis, & quæ non credebas, cùm inueneris, incunctanter crede. In iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum tenere.

Quòd ſi ea intelligis Moſce, quæ longo poſt Apoſtolos tempore, paſtores Eccleſiarum, nec iuſſi à Deo, nec vlla neceſſitate adacti, tenenda Eccleſiæ obtruſerunt (qualia ſunt quæ enumerat Eraſmus Epiſt. lib. 18. ad Piſtorium. Conſtitutiones, inquit, Eccleſiaſticæ, quædam ſunt Conciliorum generalium, vel perpetuæ, vel ad tempus datæ. aliæ inuiolabiles, vtputa nixæ diuinis literis. aliæ pro rerum præſentium ſtatu poſſunt mutari. quædam ex reſcriptis, quædam Epiſcoporum peculiares quædã Romani Pontificis. ſed inſtar plebiſcitorum, quales ſunt cõſtitutiones Imperialis Cameræ) ſi inquam iſta adeò varia intelligis, verum eſt. Placuit enim Spiritui Sancto, & Apoſtolis, ne grauetur Eccleſia multis oneribus Acto. 15. ac ipſe Chriſtus, væ ait legis interpretibus homines oneribus portatu difficilibus onerantibus nec ea ipſis vel digito attingentibus. Lucæ 11. Sin de Apoſtolicis ſtatutis hoc accipis falſiſſimum eſt. nam ea nos ita aſſerimus, vt non aliam ob cauſam, in odium iſtorum legis interpretum incurrerimus, & cognomen Euangelicorum nacti ſimus. Secta inquit, breui tempore mirabiliter creuit. quæ Euangelica dicta eſt. eo quòd haud vllam aſſeueret recipiendam eſſe legem, quæ ad animarum ſalutem pertineat, niſi quam Chriſtus aut Apoſtoli dediſſent. primumq; Anno 1519. ſuum veſtigium in terris poſuit. manſurum vt videtur, quoad Chriſtus ipſe populum ſuum, culpa rectorum, ita in duas ſectas ſciunctum, rurſus coiuerit. hæc presbyter Polidorus Virgilius, libro de inuentoribus rerum 8 cap. 4. Eſt Patribus apud nos ſua authoritas: ita tamen ut Chriſti, magiſtri omnium maior. audiuntur, hi à

Conſtitutiones Eccleſiaſticæ multiplices.

Secta Euangelica

Quomodo audiendi Patres.

nobis, vti paſtores & Doctores Eccleſiæ: ſed quatenus, conſona diuinis oraculis tradunt. Homines enim ſunt: ſancti illi quidem, attamen Apoſtolis nequaquam conferendi. Ita imitandos eſſe maiores, Cicero 1. offi. monet, ne vitia imitemur, quod maximè in religione ſpectãdum eſt. Qui veri, qui falſi Paſtores ſint, quibus vitijs laborarint, virtutibus ornati fuerint, quæ per illos miracula Deus, infidelium cauſa ediderit, nos id non latet. Quin ipſe Chriſtus vnus omnium doctor, ita nos ſcribis Phariſæis in ſede Moſis ſedentibus morigeros eſſe voluit, vt fermentum illorum, tam doctrinæ vitiatæ, quàm corruptæ caueremus. Multò maiorẽ illis Patribus honorem exhibemus, qui antè quàm vinculis ſolutus eſſet Apocalypticus Satan vixère. At, qui hoc poſt mille annos ſoluto fuerunt, quæque miranda fecerunt, hæc nobis meritò ſuſpecta, ipſiq́ minoris apud nos auctoritatis ſunt. Fatemur Baſilium, aliosq́ ei ſimiles, veros Epiſcopos Eccleſiæ Chriſti fuiſſe. verũtamen ex prodigioſis illorũ geſtis, veritatẽ doctrinæ legitimumq́ in Eccleſiam ingreſſum colligere velle, infirmum admodum argumentum eſt. quippe quòd ea communia ſint, tã Moſi, quàm magis Ianni & Iambri Exodi 7 2. Timo. 3. tam Chriſto, quàm Antichriſto 2. Theſſal. 2. ſive illi beſtiæ Apoca. 13 & ſpiritibus dæmoniorum cap. 16. multi illo poſtremo die dicent mihi inquit Chriſtus Mat. 7. Domine an non tuo nomine dæmonia expulimus, & tuo nomine, multa prodigioſe fecimus? conſimiliter cap. 24. ſurgent pſeudoprophetæ, qui edent ſigna magna & miracula. Quæ autem in Eccleſia. hæc iam pridem fiant, quis non videt? In noſtra, nulla ſunt maiora, quàm quòd impotentes & rudes potentiſſimi verſutiſſimiq́ regnum Antichriſti. adeò feliciter demoliantur, vt non aliter nũc exiſtimatio ſedis Romanæ minuatur, quàm quẽadmodum nix, ſole magis aſcendente liqueſcit. Miracula, vt iam diu vera eſſe deſierunt, aucta vbiq́ fide in Chriſtum: ita Antichriſtiana

Miracula.

chriſtiana, Eccleſiam in tot erroribus retinent. Oſtendunt id in templis, varij generis tabellæ. Quæ miracula ſi ad regulam verbi diuini exploraueris, nihil aliud efficiunt, quàm homines inſuperſtitioſo cultu Sanctorum confirmant, à Chriſto auocant. Itaq; nos ea minimè expetimus, fiducia in Chriſtum abſq; illis donati. Citat Moſcus, ridenda planè ſtultitia, tam hoc quàm alijs capitibus diuina teſtimonia, quaſi de nobis Euangelicis ſcripta. atqui nos omnibus verbis Canonicis, & veteris & noui fœderis, plenam fidem habemus. Quæ cùm quibuſdam in locis, ſenſu ardua ſint: quis ſapiens miretur, opinionum de illis, quæ nunquam non fuerunt variæ in Eccleſia, diuerſitatem? Et tamen hac diſſenſione, tantopere quidam hac tempeſtate offenduntur, vt quamuis id quod verius meliusq; eſt intelligant: tamen ab eo ſunt auerſi. concors ad nocendum alijs error, illis eſt melior, conſenſus cum malis iucundior multitudo cæcorum paucitate ſapientū, viam in cælum certiorem monſtrantium potior. Sunt hodie, fateor, quædam hæreſes in Eccleſia. Sed enim tempus dari poteſt nullum, quando eæ non fuerint. Auguſtinus inde ab initio Euangelij, vſq; ad ſuum ſeculum, quadringentorum à Chriſto Annorū 87. recenſet tomo 1. opuſculorum Philaſter Brixianus: ibidem 128. ponit attamē ij perſtiterunt in ea doctrina orthodoxa, quam & nos profitemur. etſi iam tum doctrina humana pullulare incipiebāt. *Hæreſes ſemper fuerunt*

***

CAPVT 5. QVO DECALOGVS ABROGATVR.

* *
*

QVòd ex libro Moiſis ſecundo, decem præcepta Diuina profers: ſcito ea, præter hæc duo, Diliges Dominum Deum tuum, toto pectore tuo, proximúmque tuum, vti teipſum: abrogata ab Apoſtolis eſſe, quæ ne vos quidem ipſi præſtatis. Sic autem ille beatus. Qui ſe dicit in Deo permanere: is ita incedat oportet, quemadmodum Chriſtus Dei Filius inceſſit. Quid vos ad hæc? cuncta abieciſtis & deceptam vitam veſtram concupiſcentiis cordis, peſſumdediſtis. Quod attinet ad alias, alterius legis doctrinas: hæ ſi obſeruandæ forent, neceſſe eſſet nos cùm omnia eiuſdem præcepta, tum verò Circumciſionem retinere, atq; adeò Iudaizare, quod veris Chriſtianis, nequaquam conuenit. Chriſtus enim prædeſtinatæ humanitatis, Diuino myſterio, Legem deſtruxit: ac in locum veteris, nouam iuſtituit. Qua dè re hæc Iohannes, Lex per Moiſem: gratia verò cum veritate, per Ieſum Chriſtum exhibita eſt: & Apoſtolus ad Hebræos, de altera lege. Si prima Lex, inquit, inculpata, ſeu perfecta eſſet, non quæſitus fuiſſet ſecundæ locus. Porrò noua Lex, eſt Chriſtiana gratia, nobis poſtea facta. Ita etiam protomartyr Stephanus in ſua illa, vt eſt in Actis confeſſione, de vetere lege. Accepiſtis, inquit,

quit,Legem mandata Angelorum,quàm nō cuſtodiiſtis. Similiter Apoſtolus ad Hebræos. Moiſes fidelis erat ſeruus in omni domo eius,in teſtimonium dicendorum: at Chriſtus,tanquam in domo ſua filius:quæ domus, nos ſumus.Dedecet igitur veros Chriſtianos,à doctrina Euāgelica,ad veterem Legem trāſitio:quin is,qui ad illam tranſit:deplorandus apoſtata eſt,& vnà cum Iudæis, Chriſtum crucifigit.De Circumciſione verò ita Paulus ad Galatas. Si circumcidamini,Chriſtus vobis nihil proderit. Ideoq; qui præter Euangelium,vel parum,vel multum, quod ſit legis alterius obſeruat,is Chriſtum abnegat.Scripſiſti etiā capitum Matthæi vſus teſtimonio,de fide,precatione,cultu Diuino,quem cum Baptiſmo,& cœna Domini confudiſti.Cæterùm nos, Apoſtolica doctrina, Sanctorumque Patrum inſtitutis edocti, nō neſcimus,quid de his ſentiēdum ſit,te verò percontati ſumus, vt quomodo hîc te gereres,alioſque doceres,nobis explicares, quod non præſtitiſti:hæc hactenus.

AD CAP. 5. LASICIVS, ASSERTIO DECALOGI.

NOn obſcurè hic Moſcus,ſuam prodidit inſcitiam, vt in prioribus conuicijs, malitiam. Qui enim hæc ſcribit. Ergo inquit legem deſtruimus per fidem? abſit. imo legē ſtatuimus: an is abrogat legem? Rom 3. Simili modo. Scimus bonam eſſe legem: ſi quis ea legitimè vtatur non iniuſto poſitam,ſed iniuſtis. 1. Timo. 1. Et rurſus ad Rom. 7. vocat eam ſanctam, ſeq; ipſi ſeruire mente, ac delectationem ex ea capere ait. Quin ipſe Chriſtus,negat ſe ve-

niſſe, ad diſoluendum legem Mat. 5. Et quendam volentem ad vitam ingredi, mandata ſeruare iubet Mat. 19. quæ Marci 10. enumerat. vbi loco poſtremi de concupiſcentia rerum alienarum, damnum proximo dare vetat. quod Moſtica inexplebili habendi cupiditati, omnino aduerſatur. Excitant nos ad legem præſtandam, Apoſtoli Iacobus Cap. 2. & Paulus ad Roma. 2. item 1. Cor. 7. nihil eſt Circũciſio, nihil Præputiũ: ſed obſeruatio mandatorum Dei. Inſuper Ioannes. Per hoc ſcimus nos Deum noſſe ſi mandata ipſius obſeruemus. 1. Io. 2. Quomodo autem ea obſeruabis, ſi nulla eſſe dices? Si igitur hæc nobis ſuadent præcipiuntq́, Apoſtoli, an hi abolent legem? Et ſeruator hominum cuidam ſummam legis recenſenti, id fac & viues reſpondit. Luc. 10. Adeò illam, nuſquam inuenio, abolitam eſſe. Lex enim hæc moralis, eſt Dei unius rite colendi, hominis ſyncerè amãdi, honeſteq́. viuendi perpetua norma, animis omnium mortalium, natura impreſſa Rom. 2. Eſt & pactum Dei cum Iſraelitis ictum Deut. 9 quibus Chriſtiani ſubſtituti ſunt. Rom 11. Qua ſublata nec peccatum cognocitur: Peccatum inquit, non cognouiſſem, niſi per legem Rom 7. nec Chriſtus qui eam ſolus pro nobis impleuit expetitur. Cum ergò eiuſmodi ſit, minimè eſt tollenda. Moſis ad cærimonias pertinentes, & ad tempus in una illa repub. duraturas, aduentus Chriſti aboleuit. Legem mandatorum in ritibus ſitam, ait Paulus, carne ſua ſuſtulit Ephe. 2: idem ſcribit de chirographo delcto. Coloſ. 2. Liberauit nos igitur Chriſtus: verum ab execratione legis Gal. 3. Deut. 27. Iere. 11. ita ut ea nos non damnet amplius: nec iram Diuinam in ijs operetur, qui fide in Chriſtum, iuſti facti ſunt. Rom. 5. attamen ex leges, nos eſſe noluit. Non ego id nego, complexum eſſe Chriſtum ſummã legis, tã Dei quàm hominis amore: nec eo inficias Paulum, caritatem expletionem legis vocare 1 Timo. 5. totamq́, legem hiſce verbis contineri, Diliges proximum tuum vti teipſum. Gala. 5.

Lex moralis eſt perpetua.

Liberati ſumus ab lege.

Sedit

Sed is amor. ſuas in partes deductus: quid aliud eſt, quàm decalogus? Quid diligere toto animo Deum. quàm ſe ſimulacro non incuruare, in nemine præter Deum, ſpem auxilij habere, neminem alium, tempore periculi inuocare. Quid hominē amore proſequi, quàm nihil falſi de illo (quod tamen hic oblitus eſt Moſcus) vnquem dicere? Quid nullam rem alterius concupiſcere, quàm manus à Liuonia, Lituania, Ruſſia, noſtræ pridem ditionis, noſtri imperij prouincijs, abſtinere? Rectè autem Moſcus, Opus nobis aliena iuſtitia. *negat nos exequi legem, at ipſemet eodem tenetur crimine: nec melius cor noſtris habet. Idcirco omnibus nobis Chriſto neceſſe eſt, ad quem nos lex deducit. Gal 3 opus nobis aliena iuſtitia, cùm ſalui eſſe nequeamus propria Iuſtum fides non lex facit gratià, non meritum. iuſtus non lege, ſed fide viuit. Habacuc 2 Nunc inquit, abſq; lege, iuſtitia Dei patefacta eſt per fidē Ieſu Chriſti, in omnes qui credunt. Rom. 3. Quæ verba, non abrogant legem: ſed infirmitatem eius ſeu hominis potius, ad viuendum ex illa oſtendunt. Et alibi. cum legis impotentia nihil poſſet in carne. Deus ſuo ipſius filio miſſo, condemnauit peccatū in carne. Rom. 8. item, mandatum præcedens abrogatur, quod nullis ſit viribus præditum. & inutile Hebre. 7. Quod de Circumciſione obſeruanda admiſſo decalogo Moſcus ſcribit. puerile eſt. alia enim eſt legis naturalis, recta perpetuò imperantis. prohibentis cōtraria: alia temporalis, morte Chriſti finitæ ratio. Etſi Ccirumciſionem quod obſeruent, ſimul cum* Chriſtiani circumciduntur. *Baptiſmo AEthiopes, qui tamen ideò Chriſtiani eſſe non deſinunt, idq; eam ob cauſam. quò hac nota filij credentis Abrahæ à cæteris nationibus diſcernerentur. id quod illi ab Annis 2649 faciunt Baptiſtiſmi myſterijs, ab eunucho AEthiope, de quo Acto 8. Initiati: vt autem hanc ipſi tueantur ceremoniam. & præter mares, fœminas etiam circumcidant, Maquedæ Reginæ inſtituto, quæ auditum Salomonis ſapientiam venerat, filiumq; Dauidem ex illo*

ſuſceperat:id quiuis legere poteſt in libro Damiani à Goes de moribus & fide AEthiopum. De Cœna Domini dicetur cap. 11. Baptiſmus eſt, cultus Diuini, prima pars. qui apud fratres Bohemos, Picardi. *quos vulgus Waldenſes. mali Picardos vocant, datur infantulis, quorum eſſe regnum cœlorum, Chriſtus teſtatus eſt, in nomine Patris, Filij & Spiritus S. Ab his tribus, in quos piè creditur, quiq; in Baptiſmate vt nominantur, ita inuocātur, omnia vitæ neceſſaria ijdem precantur: his in hos, de his. phraſi Eccleſiæ ſuæ peculiari credunt. hi, Deus illis ſunt. pares inter ſe natura, æternitate, potentia, maieſtate. Itaq;, non confudit hæc Rohita: ſed quæ benè dixit: ea Moſcus, alia tum cogitans, malè intellexit.*

CAPVT 6. DE STATV MORTVORVM ante natum Chriſtum, Bonis operibus, Sanctis Patribus, Maria virgine. S. Trinitatis æqualitate.

SCribis etiam nos omnes, propter Adami peccatum, naſci morti obnoxios, atq; ob hanc cauſam, Deum verbum, carnem eſſe factum, & habitaſſe in nobis. Sic enim Deus dilexit hominem, in errorem abductum, vt ipſe factus ſit homo, natus Maria virgine caſtiſſima. Nā mors dominabatur ab Adamo, vſq; ad Abrahamum: & ab hoc, vſque ad Moiſem: ab iſto, vſq; ad Ieſum Chriſtum, etiam iis qui non peccauerant. Iuſti quoque donec Chriſtus natus foret, mortis damnabantur, & ad inferos deſcendebant. At verò Chriſto in lucem edito, fracta eſt vis mortis. Is enim reno-

Iuſti ad inferos deſcendebāt

renouauit viam, bene agentibus commodam, & credentibus veritati ſalutarem. Nullæ iam nunc morti vires ſunt. omnes iuſti, tanquam ſomno correpti, poſſeſſionem regni æterni adeunt: tenere illos aërei Cacodæmones non poſſunt. Anima bonis corruſcans operibus, lucidius ſole ſplendet: non poteſt à ſpiritibus ſibi inimicis, vtpote qui nihil ſui in ea inueniant retardari. Principes huius mundi, inquit, apud Iohannem Chriſtus, venit: ſed in me nihil habet, ſic nec in illos, qui Chriſti veſtigiis inſiſtunt, idem quidquam iuris habet: nec morti eſt in eos poteſtas. At illi qui ſe vltrò, huic Principi dedũt, fallaciaſq; ipſius ſequuntur: hi ſe regno mortis ſubiiciunt. Quorum animæ cum ingenti acerbitate, à corpore auulſæ, in cruciatus perpetuos deferuntur. Liberi enim arbitrij hominem, Chriſtus Dominus noſter creauit, quò ipſius veſtigia imitaretur, quemadmodum Adam, peccato obſequens factus eſt. Tranſgreſſio Adami, vita iuſtorum ſoluitur: neque mors habet in hos Imperium. Contra peccatoribus, vel apoſtatis, non modò illud Adami delictum imputatur: verum etiam, ſuis id ipſi augent ſceleribus. propter quæ, tanto magis torquẽtur: iique ſunt, quibus mors dominatur, quòd mandata Chriſti præſtare neglexerint. Scribit autem ad Romanos Paulus, tam Iudæos quàm gẽtes peccato teneri. Iam verò antehac dictum eſt, vt apud Deum non ſit delectus perſonarum: nulla inter Barbarum & Paganum, liberum ac ſeruum, virum atque fœminam differẽtia: omnes hos vnum eſſe in Chriſto: benefactis differe inter ſe. Quod ſcribis, neminem bonis operibus, ſeruari poſſe. ſimul & oſtendis ea de re Pauli ad Romanos & Galatos teſtimonia: verbigratia, operantibũs dari mercedem, non gratia, ſed

Homo liberi arbitrij

De bonis operibus.

merito: iſti verò qui non operatur, ſed credit in iuſtificantem impium, fidem pro iuſtitia imputari: ſcribitur hac de re ad Hebræos. quoque. Iuſtus, inquit, fide viuit. quòd ſi dubitauerit, non benedicet illi anima mea. & cætera quæ ibi Apoſtolus de fide tradit. verùm & hoc conſiderādum eſt, quod Iacobus in ſua catholica ponit. Quæ eſt vtilitas fratres mei, ſi quis ſe habere fidem abſque operibus dicat? num hunc fides abſque operibus ſeruare poteſt? Et poſt haud multa ſic concludit. videtis igitur, operibus iuſtum fieri hominem. non vnica fide. Quid ergo hîc nobis faciendum eſt, Paulo de fide, Iacobo de operibus ſcribente? An putas eſſe inter Apoſtolos diſſenſionem? nulla eſt, imò verò magna eſt, hos inter concordia. vnus enim opera, alter fidem firmat. vtriſque nobis ſtudēdum: quòd illorum eadem ſit vtilitas, ſalus hominis. Animũ aduerte, vt idem Paulus fidem deprædicet, opera verò ſtabiliat. Niſi enim Abel ſacrificium feciſſet, non fuiſſet iuſtus pronuntiatus. Nec Enoch fidelis fuiſſet, ni tranſlatus eſſet: ac niſi Noe nauem ædificaſſet, non credidiſſet. Ni Abrahamus Iſaacum cædi obtuliſſet, haud credidiſſet, poſſe Deũ mortuos excitare. ideò acceptus eſt, & amicus vocatus. Vide mihi eundem Paulũ, quid præter ea tradat de operibus. vbi, inquit, abũdauit peccatũ ibi ſuperat gratia Dei. Et ſicut per mortē dominatur peccatũ, ita & gratia. Quemadmodum autem Chriſtus à mortuis ſurrexit, cũ gloria Patris: ſic etiam nos in nouitate vitæ ambulemus. Animaduerte hîc vt ſit mos Deo gerendus, bonis operibus. Inculcas hoc identidem, dari ſalutem hominibus, per vnicum Ieſum Chriſtum: eamque ob rem traditiones, & cōſtitutiones Patrum contemnis. verùm quid dicas, non intelligis, nec te hîc firmas.

Cōciliatio Iacobi & Pauli.

Scriptura

Scriprura enim negat poſſe iaci aliud fundamentum præter iam poſitum, qui eſt Chriſtus Ieſus. Porrò cùm Sanctæ Fidei fundamentum, in lege ſit poſitum, & præſcripta Chriſtianitatis forma: idcirco tam Apoſtoli quàm Patres, tanquam boni ædificatores, & manuductores, homines ad obſeruanda Diuina mandata adducunt, ignaris myſteria aperiunt, mentes illorum ad Diuina cognoſcenda erudiunt. Tu ergo mi filii Timothee, ſcribit Paulus. Corrobora te gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu. quod autem ex me multis teſtimoniis audiſti, hoc exponas fidelibus hominibus, & ad docendos alios idoneis. Conſideráſne vt duces, exemplaria aliorum, doctoreſque eſſe iubeat? inter quos, nullus eſt, q ipſe fundamentũ eſſe voluerit. Omnes deducebãt homines ad Chriſtũ baſim ſolidam. Id ꝙ illis verbis Paulus docet. Dei ſumus imitatores, Dei cœtus, Dei ædificium eſtis. iuxta gratiam mihi datam, velut ſapientiſſimus architectus fundamentum poſui, ſupra quod, alius ædificat, at quilibet videat, quomodo ædificet. Nã fundamentum aliud præter iam iactum, qui eſt Ieſus Chriſtus, nemo ponere poteſt. Et ad Timotheum. Gratiam illi habeo, qui me fidelem expetiit, quem miniſtrum faceret. qui antea blaſphemus perſecutor, obtrectator fui, verùm dilectus eram ignarus: quod feci, cùm eſſem in incrudelitate. Exuberauit autem gratia Dei ſupra modum, cum fide ac dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu mediatore inter Deum Patrem & homines. Et ſanè perfectione carnalis prædeſtinationis, ſublatum eſt Adami peccatum: iuxta & id, quod quis ante ſuſceptum baptiſma ignorans fecit. hæc omnia, gratia Chriſti purgantur. poſt ſumtum baptiſma. fit homo expers peccati, ac veluti infans ſuo in lauacro ab-

De patribus.

Hominis officium poſt baptiſmum.

lutus.cui iam ſeruanda ſunt omnia præcepta. alioqui peccanti, nihil proderit Chriſti natiuitas. Etenim ſi Dominus pro ſeruis paſſus eſt: cur ii viciſſim propter eundem non paterentur, neque præcepta eius exequerentur? Dicit hoc' is ipſe. Si quis mihi ſeruit, me ſequatur. Et. non omnis intrabit in regnum cœlorum. qui mihi dicit Domine, Domine, ſed qui facit, quod vult Pater meus cœleſtis. Cernisne vt nos minimè pigros eſſe, in bene agendo velit? Et alibi. Niſi veſtra veritas Phariſaicum ſuperauerit, non introibitis in regnum cœlorum. Quod teſtimoniũ ex epiſtola ad Galatas citas. Tute tibi contradicis. Apoſtolus enim ibi abolens legem, ad quam tu confugis, de altera loquitur. Addidiſti etiam Baptiſtam Chriſtum monſtraſſe, eundemque agnum Dei peccata auferentem appellaſſe. Ego verò ſupra iam oſtendi, vti Chriſtus peccata ſuſtulit. Timeo enim multa loqui, ne cũ Iuda damner ſi hoſtibus myſterium patefacerẽ. De quibus diuus Paulus ad Philip. Sępe vobis dixi, at hodie flẽs dico, de hoſtibus crucis Chriſti. quorum finis eſt interitus, Deus venter, & gloria ad pudorem: quòd in rebus mundi huius, ingenijs indulgeant. Preter hæc commemorabo tibi verba triũ adoleſcentum ad Regem Nabuchodonoſorem. Scito, inquit, ó Rex, Deum eſſe in cœlis potẽtẽ, qui nos fornace ardente liberare poteſt: nos enim Deos veſtros non colimus, nec coloſſo abs te erecto genua flectimus. Paucis hęc dico, volẽs vincere ſilentio impietatem veſtrã Chriſtum hac in re imitatus, qui cum Pilato & Senioribus Sacerdotum paucis verbis egit. Vt autem ſuperiora repetam, aio vos effrenatis cupiditatibus ventri ſeruire, & inferioribus partibus connubia ſoluere.

Abolens legem.

Hæreſis

Hæreſis eſt, quod ſcribis de incarnatione verbi Dei, qui filius eius eſt. hunc conceptum eſſe, ex virgine puriſſima Apoſtolus Philipenſibus hiſce verbis perſcribit. Idem ſapite, quod et de Chriſto Ieſu. qui cùm in forma Diuina eſſet, non reputauit pro rapina, eſſe Deo æqualem: ſed ſeipſum effudit. Et aſſumta ſerui figura, in ſimilitudine humana fuit. habituq; repertus eſt, tamquam homo. Vides non alium genitũ Maria eſſe, quàm illud, ſemper exiſtens verbum Diuinum cum Patre & Spiritu Sancto? Is vnicus à Patre filius, primogenitus principio carens, ex illibata virgine, noſtræ ſalutis cauſa, corpus ſumſit. quemadmodum omnis maſculus, vterum aperiens, Sanctus ſit Deo. Vocatus & Deus & homo perfectus. De cuius ſupplicio, reſurrectione, in cœlos aſcenſione, ad dexteram Dei Patris. cõſeſſu, & ad iudicandos viuos mortuóſq; reditu, nos nõ ignoramus. At tu vt hæc inteligas, non expoſuiſti. Mediatorem eum eſſe, ac ſe pro nobis, vt Paulus ſcribit interponere ais. Sed heus tu? ſi hæc legens. Apoſtolorum ſcriptis credis, dic quo eoſdem, illóſque honore afficies, qui nobis eiuſmodi myſteriũ declarârunt, quiq; errantes in verã viã induxerũt, & docuerũt? Profecto enim honorẽ merentur. Colimus aurifrabros, geometras, philoſophos, ędificatores, lapicidas, ac quoſuis alios mundanos opifices: verũ quãtò magis honorãdi ſunt doctores, ac præfecti noſtri, q nobis ſummã ſapientiã detexerũt, & ad poſſeſſionẽ eius cõſequẽdã præcepta tradiderũt? Tute noſti, vt in regionibus veſtris aurifabri aliiq; ingenioſi artifices, pro opere benè elaborato, duplicem mercedem capiant, qua ſi digni ſunt nihili atque caducarum rerum fabricatores: multo illis maior honor debetur, qui nos ad veram beatitatem inſti-

De Chriſto.

De Doctoribus Eccleſiæ.

tuunt, cognitione Dei imbuunt, & quaſi manu ad Chriſtum perducunt. Eſto autem, vt ſcripto tuo, de auctoritate verbi Dei, fidem habeam. quid? ſi Euangelia non fuiſſent ſcripta, dicito quomodo verba Diuina intellecta eſſent? ſi Apoſtoli, neque docuiſſent, neque legationem ſuam ſcriptis mãdaſſent, qua id ratione, quod ablegati ad homines erant, eoſdem ad obeunda mandata, & ad ipſummet Deum adducebant, notum mundo fuiſſet? Beati non ſunt, neque honorem, venerationem, laudem merentur tum Apoſtoli tum patres Sancti, qui tale lumen cordibus noſtris intulerunt, creditum ſibi à Domino theſaurum auxerunt, & fructum nobis ingentem attulerunt? Quamobrem nos veri Chriſtiani, credimus Chriſtum Deum, deprecatorem noſtrum apud Patrem, ſalutiſque originem, & mediatorem eſſe. Cuius ſupplicio redemti ſeruatique, veneramur creaturæ ideò eum, vti & Patrem Spiritumq; Sanctum, vnius eſſentiæ, ſed trium perſonarum Deum. precamur quoque eundem, celebramus, omnipotentiam ipſius perpetuò extollimus, remiſſionem peccatorum regni cœleſtis hæreditatem, & omnia cùm animarum: tum corporum noſtrorum neceſſaria, ab hoc eodem rerum conditore omnium, cuncta manibus ſuis tenente petimus.

S. Euangelia non fuiſſent.

Moſci Veri chriſtiani.

Quod ad Mariam ſanctiſſimam & virginem intemeratam, ſic habeto. Hæc cùm ſit digna inuenta, quæ tantorum myſteriorum miniſtra foret, ignem Diuinitatis ſuo ventre innocua complecteretur, incomprehenſibilem Dominum comprehenderet: cùmque per eam reconciliati Deo ſimus, & illæ Adami inimicitiæ ſublatæ ſint: merito eam: quippe matrem gubernatoris omnium, rectricem, reginam, deiparam, cõfidentia ma-

De Virgine Maria.

terna apud Filium pollentem, defectus noſtros, eiusdem gratia ſupplentem, (prout Apoſtolus potentiam Chriſti, in infirmitate perfectionem accipere ſcripſit) pro vniuerſo Chriſtianorum genere orantē, illudque protegentem, inuocamus, auxilium ab ea imploramus, ac vt nobis veniam peccatorum, ſalutem, dulcemque futurorum bonorum poſſeſſionem à ſuo nato impetret, rogamus. Accipe etiam de Apoſtolis. quos abſit vt pro diis habeamus. Ait enim vnus illorum. Ego plantavi, Apollo rigauit: Chriſtus verò auxit, ideò neque is quidquam eſt, qui plantauit, neque qui rigauit, ſed qui auxit. Honoramus verò beatos Apoſtolos, quòd ſint verbi Diuini doctores, legati, ſalutis noſtræ adiutores, viæ ductores, hos oramus atque invocamus, vtq̄ nobis tradiderūt, ea percipiamus. Simili honore proſequimur, cum Sanctos Patres, emendatores, & in vera beatitate noſtros magiſtros, tum martyres, multa propter veritatem atque beatitudinem perpeſſos, quorum æmulatione inflammati, eo ſtudioſius piis moribus incumbimus. Nec minori honore à nobis coluntur cæteri electi, qui doctrinam Apoſtolicam reapſe præſtiterunt, quos æmulati, viæ ad beatam vitam ducentis, eò impenſius inſiſtimus. Summa hæc eſt. Et Ieſum Chriſtū, vnicum eſſe noſtrum interceſſorem: & huius caſtiſſimam matrem interceſſione ſua opitulari omnibus Chriſtianis credimus. omnium etiam Apoſtolorum, Prophetarum, cæterorumque ordinem Sanctorum nobis in veri cognitione ſeruientium, & noſtrorum ad Chriſtum ducum, memorias colimus, ad oſſa illorum genua flectimus: vt eò maius auxilium ipſorum ſentiamus. Ita pronunciavit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum:

Rurſus de Sanctis.

Memoria Sanctorū.

ſed perfectus eſt futurus, ſi ſit magiſtri ſui ſimilis, vides vt id vetet, ne nos ſupra magiſtrum efferamus, ſed ſolum ipſum imitemur. & beatus Apoſtolus Paulus. vnicuique datur declaratio Spiritus ad vtilitatem. vni quidem datur Spiritu, ſermo ſapientiæ, alii intelligentiæ, alii fides ab eodem Spiritu, alii donum ſanationū, & alia plura ibidem. Satis iam demonſtratum tibi eſt, quo ſint afficiendi honore, tam Apoſtoli quàm patres illuminati. Quod de mediatore Chriſto deque huius ſolius, quo ſeruamur nomine, peccatorum remiſſione, ac vita æterna ſcribis, eadē nos quoque credimus. ſic tamen, vt nos ad ea, viamque veram ab Apoſtolis, & beatis patribus perduci confiteamur. Dixiſti etiam de fundamentis. verùm ipſi Apoſtoli non ſe fundamentum hominū: ſed miniſtros gratiæ ſummi rectoris, atque ædificatores, Chriſto fundamento innixos, eſſe faſſi ſunt. Scripſiſti & id, condonari nobis, delerique peccata noſtra gratuitò, non propter vlla humana opera: & defectus gratia ſuppleri. Cæterùm niſi præcederent opera, cur illud Chriſtus diceret in Euangelio, ſi quis non reliquerit parentes, vxorem, liberos, bona, nec ſe ipſe abnegauerit, non poteſt eſſe meus diſcipulus, ac niſi quis ſumta cruce ſua me ſequatur, nō eſt me dignus? Vocat autem crucem, rebus omnibus mundi huius crucifixum eſſe hoc eſt omnes mundanas cupiditates poſthabere, à congerēdis opibus, poſſeſſionibus, paſtu, potu abſtinere, nulla re egere, iis tantùm quæ fortuitò acciderunt cum omni continētia, fortitudine, continua precatione contentum eſſe, inimicos, eoſque à quibus opprimaris diligere, Deum pro ſibi moleſtis orare, quæ habes quaſi non habeas iuxta facere, ſollicitum de illis non eſſe, aſſiduis precibus,

Moſci conſentiunt nobiſcum.

Crux Chriſtiana.

ieiunijs, obeundiſque Diuinis mãdatis, magno cum ſtudio incũbere, vt peregrinos decet viuere, ac vt dicit Paulus, futura bona expetere, in æterna illa tabernacula velle migrare, id eſſe crucem ſuam portare, id mundo crucifigi, hoc Chriſtum ſequi. Quòd ais Deum Patrem, propter merita filii ſui, hominem in gratiam recepiſſe, peccatiſq; illius gratuito ignoſcere, hæreſis Arriana eſt. Filium enim obligatũ Patri facis, nos autẽ filius tonitrui ſic docuit. In principio erat verbũ, idq; apud Deũ. Et Deus erat verbũ, ꝑ quẽ omnia facta ſunt. Nũ cernis abſq; initio Filiũ cũ Patre, propter huius erga eũ caritatẽ, indiuiſum, nec tamẽ cõfuſum eſſe? Qua de Diuinitate ſunt, illa etiã dicta. verba q̃ vobis dico, nõ de me dico, ſed Pater manẽs in me facit opera credite mihi, vt ego in Patre ſum, ſic & ille in me eſt. Si qd à Patre meo nomine petieritis, hoc faciet: vt inclareſcat Pater in filio. Alio quoq; loco id dicitur. Pater diligit filiũ, mõſtratq; ipſi omnia quæcunq; facit. Et ſicut Pater excitat mortuos, & vita donat, ita & Filius quos vult viuificat: nec Pater quenquam iudicat, ſed omne iudicium dedit filio: vt omnes honorent eum, ſicut honorant Patrem, qui miſit ipſum. *Miſſio filii* Miſſionem autem intellige, non humilitatem, ſed vnicam Patris & Filii & Spiritus Sancti voluntatem, vnicus tamen hac in trinitate filius verbũ Dei, prædeſtinata carne myſterii, ſui peperit hominibus ſalutem, cum Patre & Spiritu S. vbi enim eſt filius, ibidem & Pater ac Spiritus. ac vbicunque is, ibi & Pater ac Filius. Cum inquit venerit cõſolator, quem ego vobis mittam à Patre, Spiritus verax, & à Patre procedens de me teſtabitur. En vt Pater abſque ætate, Filius ſine principio, & Spiritus ſubſtantia ſemper exiſtens: vnius ſunt gloriæ, honoris, poteſtatis,

actionis, voluntatis, quod eſt opus Sanctæ Trinitatis. præterhæc idem ait. Poſtquam venerit verax ille Spiritus, inducet vos in omnem veritatem. Non enim de ſe loquetur: ſed omnia quæ audit, & res futuras aperiet vobis. Quæ habet Pater mea ſunt: ideo dixi, à me accipiet. Animaduertiſne æqualitatē, & vt filius miſſus, paterna ſuaq; volūtate ac Spiritus Sanct. opera, ſalutem attulit hominibus. vtque Spiritus Sanct. non de ſe ipſo locutus ſit, ac eiuſdem cum Patre & filio ſit voluntatis? Proinde miſſio filii, de corporali cōſpectu eius intelligenda eſt. Ad hæc ſcriptum extat in Euangelio Ioannis, de vna eſſentia, & Filio apud Patrem abſque principio. Eam ob cauſam Diligit me Pater, quòd ego animam ponam meam, rurſumque eam recipiam: nec eſt quiſquam, qui mihi eam auferat. Vltrò illam pono, præditus poteſtate reſumendi eam. quod mandatum accepi à meo Patre. Hîc obſerua illum qui apud Patrem, expers eſt, principij nemine egere per quem à mortuis excitaretur: ſed ipſummet vi ſua reſurgere à mortuis. Prout Paulus vas electum ſcripſit. Non arbitratus eſt rapinam eſſe Deo æqualē, ſed ſeipſe effudit ſerui ſimilitudine ſumta. Ita exitaturus Lazarū. Gratias tibi, inquit, ago Pater quod me audias. egò verò ſciui audiri me abs te verum propter populum circumſtantem dixi. vt me abs te miſſum eſſe credant. Et alibi idem. Si quis me diligit, verbum meum obſeruat, & diliget eum Pater meus. ad eundē manſuri veniemus. Vbique videre eſt, quemadmodum ſit Patri æqualis, Filii poteſtas, non vlla demiſſio. Rurſum idem. Pater glorifica Filium, vt & is te glorificet. Plura eius generis in Diuinis ſcriptis reperies de Filio, vt non ſit ſeruus, ſed honore Patri par. de quibus hactenus.

AD

AD CAPVT 6. LASICIVS.

Multa hoc caput habet ſuperuacanea, quædam etiam reprehendenda. Primùm quòd Moſcus, oblitus eorum, quæ paulò poſt veriùs ſcripſit. Peccatum originale tolli autumet ſanctimonia iuſtorum, Apoſtolo diuerſum ſentiente, ad Rom. 5. Sicut, inquit, per vnū delictum reatus venit in omnes homines ad condemnationem: ita per vnius iuſtificationem, bonum in omnes homines ad iuſtificationem vitæ. Et 1. Iohan 3. Scitis Ieſum eſſe patefactum, vt peccata noſtra tolleret. Alterum aſt, (aliæ enim alii notent) quòd vt alibi, ita hic parum accomodatè ſacram ſcripturam citet: ac ex ea, illa inferat, quæ nihil ad rem faciunt, nec Diuinis hominibus, hæc ſententia vnquam in mentem venerunt. Noe prius credidit Deo, quam arcæ extruendæ manus admouit. ita & alter. Credidit inquit Abraham, Iehouæ, & inputatum eſt ipſi ad iuſtitiam Gen. 15. capite verò 22. poſt. mactare vult Dei iuſſu filium. ſed Moſcus vt opera humana tueatur, peruertit teſtimonia Diuina. Tertium minime tolerandum. non prodeſſe homini Baptiſato natiuitatem Chriſti ſeruatoris mundi, niſi is omnia mandata Dei præſtet. Atqui ſupra Moſcus negauit plura duobus eſſe, Diuina mandata. Neceſſe fateor, nos Deum atq; homines. toto animo diligere, & hæc ipſa mandata, quæ ſunt norma viuendi. ſemper ob oculos habere. Veruntamen, ſi inquàm maximo id agendi conatu, vi peccati in nobis hærentis. Rom. 7. à via ſalutis abripi aliquem contingat, nequaquam eſt de ſalute lapſis deſperandum. Quinimo, quiquid in-

Moſcus peruertit ſcripturã.

operibus credentiū,(ſi nō ſponte peccauerint. Heb.10.deſideratur: iā imbecillitati illorum.propter Chriſtū condonatur.ut Moſcus, ita quondam Diabolus, diſceptās cum Sancto Martino Pānonio, negabat dari veniam criminoſis.& ſemel lapſis nullam a Domino clementiam præſtari contendebat. cui Martinus.ſi tu ipſe ô miſerabilis, ab hominum inſectatione deſiſteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cum dies iudicij in proximo eſt, pœniteret: ego tibi verè cōfiſus in Domino, Chriſti miſericordiam pollicerer. Antiqua delicta, meliori vita purgantur:& miſericordia Diuina peccatis abſoluuntur, qui peccare deſinunt, hæc Sulpitius Seuerus in vita Martini: veriſſimè.Datus enim nobis ſemel, ille filius virgine natus ſaluti eſt ſemper omnibus, in gratiam cū eo per reſipiſcentiā redeuntibus ſibiq; ipſum fide vendicantibus. Quare omnes ad ſe peccatis onuſtos vocat, omnes nos Patrem cæleſtem, cum ſpe impetrabilis ueniæ, orare iuſsit omnibus nobis, legatus ipſius faciē dum cenſuit, primùm ne peccemus:deinde vt peccata confiteamur cōmiſſa.1.Io.1.Miſericors eſt enim is Pater:etiā pditiſſimis liberis, ad frugem reuerſis.Luc 15.Cōuertimini inquit, filij rebelles:ſanabo rebelliones veſtras.Miſericors ſum.Iere.3.Ego ſanè nihil magis miror, quam quòd iſte homo, qui ſæuiendi in Chriſtianos tam ſuæ ditionis, quàm quos ſibi violentia ſubiecit, modum facit nullum, tantopere vrgeat bona opera:fiduciam in Chriſtum, hominum abſolutam iuſtitiam.Iere.23 Eſa 56.1.Cor.1. Leuiter præterit. Hoſtes nos appellat.at cuius? ſi Diaboli et progeniei Agarenicæ, omniumq; veritatem corrumpentium, verum eſt:ſi Chriſti, aut veritatis, tam id falſum, quàm quod maximè. addit, & in libidinem proiectos nos eſſe.verùm ſi hoc de omnibus intelligat, callūnia eſt. Habet ſua frena, Chriſtiana libertas, veri cultores Dei, memores dicti illius, Niſi abūdauerit iuſticia veſtra, plus quàm ſcribarum, non intrabitis in regnum cælorum. Mat.5.Et illius.Reddet vnicuiq;

Diaboli colloquiū cū S. Martino.

Moſci crudelitas

Calūnia.

cuiq; ſecundum opera eius. Rom. 2. Dant pro virili operam, omni virtutum generi. alijs gula, venter, religio eſt, mundus amicus, hæc vita ſumma voluptas. De incarnatione Filij Dei, vt & de quibuſdam alijs hic commemoratis, nos quoque idem ſentimus. Sunt nõ pauci in Regno Poloniæ, quibus ſolus Pater cœleſtis eſt Deus: Filius autem huius, Ieſus Chriſtus, merus homo, omnia precario à Patre adeptus. Qui tũc primum eſſe cœperit, quãdo eum virgo peperit: Dei appellationem, vti Moſes & omnis magiſtratus ſortitus. Negant iidem Spiritum Sanctum Diuinæ naturæ eſſe, aut ſuam hypoſtaſim habere: nec eum inuocãt, multò minus credũt in ipſum, ac ſumtum in Papatu Baptiſmum in fluminibus renouant. ad quem non niſi adultos admitunt. Animas vnà cum corporibus dormire, donec tuba Archangeli exitentur, opinati. Heretici in Polonia.

Quibus cùm, nulla eſt nobis fidei communio. Multus eſt Moſcus in præconijs Sãctorum, quaſi nos Deo caros vituperemus: Sed quòd eos tam hic, quàm capite 13. Diuinæ atq; Apoſtolicæ voluntati ſatiſfeciſſe putat: facit Chriſti proprium cum hominibus commune. De hoc enim ſolo id ſcriptum eſt. veni vt impleam legem. Matt. 5. Et. Qui peccatum non fecit. 1. Pet. 2. Contrà, de omnibus hominibus iſta. Fraudulentum eſt cor hominis. Iere. 17. Cor mundum crea in me Deus. Pſal. 51. Nemo bonus, niſi vnus Deus. Luc. 18. Quis ſe mente purum, quis mũdum à peccato dicat? Prou. 20. Non eſt homo qui non peccet. 2. Paralipo. 6. Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt. 1. Io. 1. Omnes peccauerunt nõ eſt qui rectè faciat, nõ eſt ne vnus quidem. Rom 3. In multis labimur omnes. Iacobi. 3. Quid eſt mortalis vt mundus ſit? & vt iuſtus ſit natus muliere, qui imbibit vt aquam iniquitatem? Iob. 15. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato. Gal. 3. Scio nõ habitare in me. id eſt, in carne mea bonũ. & facio malũ quod nolo. Rom. 7. Et ipſe Chriſtus ad di- Quales natura homines.

ſcipulos. Si uos cùm ſitis mali. Luc. 11. Et Salomon. Septies cadit iuſtus. Pro. 24. Ac Deus de Moſe. Morere in monte vti Aaron. Nam culpam in me commiſiſtis. Deut. 32. De ijſdem & Prophetis. Tui interpretes in me deliquerunt. Eſa. 43. Nec ſecus Dauid, nos vitiorum negotium ſuperauerat, ſed tu delicta noſtra condonas. Pſa. 65. & 40. Plures ſunt iniquitates meæ, pilis capitis mei. Et 106. Peccauimus cū Patribus noſtris, deliquimus, impij fuimus. Hæc is de ſe aliјſq; ſui generis. quem tamen Petrus. Acto. 2. & Patriarcham & Prophetam fuiſſe dicit. Rurſus Eſaias. Cap. 64. Omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt menſtruati panni ſimiles. Et Apoſtoli de ſeipſis. Paulus. Chriſtus, inquit, venit in mundum, vt peccatores ſeruaret. Quorum primus ſum ego. 1. Tim. 1. Idem cum Barnaba. Nos quoque ſumus homines, ijſdem affectionibus quibus & vos obnoxij. Acto. 14. Iacobus. Elias homo erat, ijſdem affectionibus, quibus & nos obnoxius. cap. 5. Iohannes. Dilexit nos & lauit à peccatis noſtris ſanguine ſuo. Apoc. 1. Liquet hinc, ne plura eiuſmodi adferā, vt ſe Sācti nequaquam ſatiſfeciſſe Legi Dei fateantur. Nec ſe res habet aliter. Dauidis, Ioſephi, Abrahami, Zachariæ, Eliſabetæ, Pauli, aliorumq; piorum externa iuſtitia, remiſſione peccatorum perficiebatur. Omnium noſtrum ſordes tediumq; animi, Chriſtum abluere neceſſe eſt. Quorum autem non abluit ij non ſunt futuri, regni cœleſtis participes. Iohan. 13. Tales ſunt Sancti fueruntq; ſemper, qui has ad Deum voces attollunt. Remitte nobis debita: vel vt Lucas habet cap. 11. Peccata noſtra: quiq;. Dum viuunt credunt: peccatorum ſuorum remiſſionem prout fert ſymboli Apoſtolici formula. Alioqui qui hæc neq; confitetur, neq; ſibi condonata eſſe credit: is ita non erit tanti beneficij particeps, quemadmodum Iudæi ex AEgypto educti, non ſunt potiti terra ſibi promiſſa: quòd id Deum, vt ea potirentur præſtare poſſe non crediderunt. Tu, pſallit Diuinus ille cantor, iniquitatem peccati mei remiſiſti.

Sancti peccant.

Iuſtitia ſanctorū.

Pro hac te omnis Sanctus orat, tempore opportuno. Pſal 32. Pelagiani, inquit, Auguſtinus, in id etiam progrediuntur, vt dicãt vitam iuſtorum in hoc ſeculo, nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam in hac mortalitate perfici, vt ſit omnino ſine macula & ruga. quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis debita noſtra, Hæc ille libro de hæreſibus. Sanè nemo longius abeſt à vera religione atq; perfectione, quàm qui ſibi videtur, eſſe bonus ac religioſus. errabant peccabãt. fallebãtur quiq; Sanctiſſimi, mortui iam nõ peccãt. Quæ omnia cùm ipſi in ſeſe experirentur, ita de ſua iuſtitia ſcripſere. Baſilius, concione de humilitate. Qui gloriatur, in Domino glorietur, quod Chriſtus nobis factus ſit ſapientia à Deo, iuſtitia, Sanctificatio & redemptio. Hæc enim eſt integra & perfecta gloriatio in Deo. Quando neq; propter iuſtitiam ſuam quis effertur: ſed agnoſcit ſibi deeſſe veram iuſtitiam, fide autem ſola in Chriſtum iuſtificari. Chryſoſt. in cap. 3. ad Galatas. Dicebant Iudæi. Qui ſola fide nititur, execrabilis eſt. Paulus autem demõſtrat, qui ſola fide nititur, eum benedictũ eſſe. Ambroſius in epiſtolam ad Roma. Hoc etiam conſtitutum eſt à Deo, vt qui credit in Chriſtum ſaluus ſit ſine opere, ſola fide, gratis accipiẽs remiſſionem peccatorum. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos. Tunc iuſti ſumus, quando nos peccatores fatemur: & iuſticia noſtra non in proprio merito ſed in Dei conſiſtit miſericordia. Bernardus in cantica ſermone 22. Quiſquis pro peccatis compunctus, eſurit ac ſitit iuſtitiam, credat in te qui iuſtificas impium: & ſolam iuſtificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. Plura eius generis in iiſdem Sanctis Patribus leguntur. Honorandos eſſe Dei miniſtros, & quidem duplici modo, vt iubet Paulus, quis negauerit? At venerandos, vel ſimul atq; homines eſſe deſierunt inuocandos, quis zelo Dei præditus cenſuerit? habet ſuos limites honor, habet cultus, habet veneratio. Sic nos æſtimet ho-

Pelagiani.

Sola fide iuſti ſumus.

Sancti honorandi.

mo vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorũ Dei.1.Cor.4. Item Quis eſt Paulus, quis Apoſtolus, niſi miniſtri per quos credidiſtis. Et nec is qui plãtat, nec qui rigat eſt aliquid, ſed qui auget Deus. Contemſit is adorationem ſui, qui nos de ſe hæc ſentire iuſſit. Nouerat enim, vti & alij, nihil ſe ſolum in homines conferre. Deum tantum eſſe, qui mortales quæcunq. & quando vellet doceret, corda eorum ad bona impelleret, ac multiplicibus beneficijs afficeret. Itaq. unus illorum in hac verba prorupit. Quid ô Iſraëlitæ miramini, quaſi propria vi aut pietate effecerimus, vt hic ambulet? Acto.3. Et alter de Paulo. Virtutes non vulgares edebat Deus, per manus Pauli. Acto.19. Iiſdem alios docentibus, non plures dictis ſuis obedientes habuerunt, quàm quot ille voluit, qui eſt vnicus doctor omnium Mat.23. Et crediderunt, inquit, quotquot erant ordinati ad vitam æternã. Acto.13. Et: Per miniſtros credidiſtis, vt cuiq. Deus dedit.1. Co.4. Itẽ. Dominus addebat quotidie Eccleſiæ, qui ſalui fierent. Acto.2. Sic & Moſes olim. vos vidiſtis omnia facta Iehoua in AEgypto. Sed nondum dederat vobis Iehoua mentem ad cognoſcẽdum, vſq. in diem hunc. Deut.29. Non diſſentit ab his Auguſtinus. nolite putare quẽquam hominem quicquam diſcere ab homine, admonere nõ poſſumus per ſtrepitũ noſtræ vocis: ſi nõ intus ſit qui doceat, manifeſtè inanis fit ſtrepitus noſter: hæc tractatu 4. in epiſt. Iohan. Rogat Moſcus quomodo voluntas Diuina, nota hominibus fuiſſet, ſi ſuas Apoſtoli legationes, ſcriptis non mandaſſent. Dignus profectò, cui tum demum reſpondeatur, cum ſcripta interierint Euangelica. Idem iacto de Sancta Triade, bono fundamento, prorſus ligna, fœnum, ſtipulam, in eo ponit. Ait enim doctores corda hominũ illuminaſſe. Cõtrà Paulus Spiritum S. datorem eſſe fidei ſcribit.1. Cor.12 Id quod apparet ex illis igne cœleſti, ab eodẽ Spiritu collustratis. Acto.2. Facit hoc idem occulta vi in alijs, adeò vt & ipſemet Moſcus, Patres ipſos illuminatos

Nihil per ſe agunt.

Fundamẽtum Moſcorum bonum.

tos vocet. Si illuſtrati: an non ab illo, de quo hæc Simeon effatus eſt? Lumen ad illuſtrationem Gentium. Luc. 2. & Eſa. 42. atque 49. Iacobus quoq; de eodem cap. 1. Progenuit nos ſermone veritatis. Et Iohan. cap. 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. Quòd ſi omnem: ergo & Patres. Vocãtur quidem lux mundi Apoſtoli. Mat. 5. & Paulus lux Gentium dicitur. Act. 13. Sed quam ipſi ab illa vnica mutuati ſunt, quemadmodum luna ſuam ſumit à ſole. Sic idem nimius hominum admirator, de dignitate beatæ Mariæ talia adfert, quæ ipſa nõ agnoſcit. ita enim de ſe. Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. non dixit, vidit in ea dignitatem. Item. fecit mihi magnifica ille, qui potens eſt. Et exultat Spiritus meus ſuper Deo ſeruatore meo. Inſuper Angelus. Aue gratis dilecta, inueniſti gratiã apud Deũ. Nulla hic dignitatis viſa ante in ea, quàm mater eſſe ſui Domini cœpit, mentio. Quæ ſi in ipſa fuiſſet, cauſa non erat, cur ſuã ſubmiſſionem, ſui dilectionem gratuitam, aut ſe ancillã, Deum verò, ſeruatorẽ erga ſe beneficũ agnoſceret, atq; ab Angelo, gratiam inueniſſe apud Deum more aliorum. Iud. 6. Ruth. 2. Gen. 18. & 30. 2. Tim. 1. diceretur. Scimus qui inire gratiam apud alios ſoleant. Etſi alia apud Deum, vbi omnia gratuita, alia apud homines eſt ratio. Nec id nos fugit, ſeruatorem dici, vel pereuntium vel perditorum reſpectu. Chriſtus, inquit, venit in mũdum, vt peccatores ſeruaret 1. Tim. 1. Factus eſt nobis redemptio 1. Cor. 1. Eos qui ſub lege erant redemit. Gal. 4. Seruauit populum ſuum à peccatis ipſius. Mat. 1. Hinc conſequi neceſſe eſt, vel non eſſe conſeruatã redemtamq; Mariam, ſub lege itidem natam, quod credere nefas: vel eam è numero illarum ancillarum Dei fuiſſe, quas Chriſtus, vti alios omnes electos peccatis liberauit. Sicut igitur illi tãtùm beati ſunt, quorũ remiſſa ſunt peccata. Rom. 4 Ita & Maria beatiſſima eſt fœminarum, non ſuis meritis, ſed ob Dei in ſe ſingularẽ gratiam: quòd Filium ipſius &

De B. Maria.

proprium & vnicum pepererit. Beata quæ credidit, inquit, Eliſabetha. Nam perficientur ea quæ ipſi à Domino dicta ſunt. Luc. 1. Et ipſamet ibidem. Ecce ex hoc, beatã me dicent, omnes ætates. Profectò omnis hominũ dignitas, in Deo eſt. Rogate, inquit, omni tempore, vt digni habeamini, qui effugiatis iſta omnia futura. Luc. 21. Profecti ſunt à conſpectu Concilij gaudentes, quòd digni habiti eſſent, qui pro nomine Ieſu contumelia afficerentur. Act. 5. Iuditium certum eſt, iuſti iudicij Dei, vt digni cenſeamini Regno Dei, pro quo etiam patimini. 2. Theſſal. 1. Quæ de eadem virgine Moſcus addit, & vt ſolet cap. 13. repetit, quaſi opera eius recõciliemur Deo quæq; nobis deſunt ab ea cõſequeremur: iniuſtè trãsfert filij beneficiũ in genitricem. Clarè enim tradidit Apoſtolus, Deum ſibi omnia in cœlis & in terris, per filium ſuum reconciliaſſe. Col. 1. Et Deus in Chriſto mundum ſibi reconciliauit, non imputando eis peccata. 2. Cor. 5. ac ad Rom. 5. Si cùm inimici eſſemus reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius: multò magis reconciliati, ſeruabimur per vitam ipſius. Conſtat autẽ Mariam quoq; illam, Ioſepho pactam, partem mundi fuiſſe: ergo hæc etiam reconciliata Deo eſt, olim omnibus infenſo, per eũ cuius ipſamet parens fuit. Idem Apoſtolus diſertis teſtatur verbis, nõ aliũ hominem, quàm Ieſum Chriſtum, eſſe Dei hominumq; mediatorem. Qui ſemetipſum dedit redemtionis pretium pro omnibus. 1. Timo. 2. Cur igitur ingratus hic mundus, alios ſibi homines ſtatuit, per quos redeat cum Deo in gratiam? Nec Moſcus minori errore eam reginam vocat, & omnia materno iure apud filium agere poſſe, peccata noſtra tegere, Eccleſiæ patrocinari, ſcelerũ humanorum expiationem eſſe, cum latina Eccleſia putat. Quæ omnia ex vno et eodem fonte, vel ignorantiæ, vel malitiæ promanârũt ſimulatq; Satan homines à creatore, ad rerum ab eo creatarum cultum, propter earum quandam vtilitatem, excellentiam atq; vitæ ſanctitatem auertit. Is enim ſeducit

Dignitas hominum in Deo eſt.

B. Maria Deo recõciliata.

Diabolus orbem decipit.

ducit totum terrarum orbem. Apoc. 12. Ita vt hodie, à multitudine credentium ratiocinari, ad rei veritatem demonſtrandam infirmiſsimum ſit argumentum. Cæterùm execrabilis eſt omnis, qui confidit homini. Ierem. 17. Veris Chriſtianis ſolus Deus eſt cœli terræq́ rector. Nec ſocium creatum, in adminiſtranda hac mundi mirãda machina habet vllum, nec aliquam patitur adiutricem, aut natus eius, aliam præter ſeipſum expiationẽ. Solus eſt ſpes omnium finium terræ. Pſal. 65. Huic ſoli ſeruiendum eſt. Matt. 4. Is tantùm in auxilium vocãdus. Pſal. 50. Is nouit quibus ſit nobis rebus opus, prius quàm petamus ab ipſo. Matt. 6. Abraham non nouit nos. Eſa. 63. Hunc eundem inuocauerunt Patres noſtri, & conſeruati ſunt: ſpem in eo ſuam poſuerunt, nec fruſtrati ſunt. Pſal. 22. Non falsò id. Hic enim Noe à diluuio, Lothum à cœleſti incendio, Iſaacum ab imminenti gladio, Ioſephum à calumnia, Iacobum ab Eſau, Moſen, Aaronem, nec non omnes Iſraelitas ab AEgyptijs, Danielem à leonibus, Suſannam à falſis teſtibus, alioſq́ innumerabiles ſe inuocantes ſemper liberauit. Diues enim eſt miſericordia. Ephe. 2. Diues in omnes inuocãtes ipſum. Rom. 10. propinquus ijſdem. Deut. 4. Valdè clemens Pſa. 86. Exorabilis & ad iram tardus. Pſal. 145. Non agit nobiſcum pro noſtris peccatis, neq́ pro delictis noſtris mala nobis reddit. Pſal. 103 Credentes cuſtodit. Pſ. 31. Cura eſt illi de nobis. 1. Pet. 5. Conſeruator eſt omnium hominum, maximè fidelium. 1. Tim. 4. Huius ſolus filius, propitiatio eſt pro peccatis noſtris vita hominum. Io. 1. Solus complacitus eſt Patri Matt. 17. Cauſam noſtram apud eum agit. 1. Iohan. 3. Vnicus eſt inter ipſum, & homines mediator, vnicus noui fœderis pacificator, deprecator. 1 Tim. 2. Hebr. 8. & 12. Lumen ad illuſtrandas gentes cœlitus demiſſum. Matt. 2. Via in cœlum. Iohan. 10. Per hunc patet aditus ad Patrem. Epheſ. 2. & 3. Inteligentia contingit ſcripturarũ. Luc. 24. Cognitio veracis 1. Iohan. 5. Ex huius ſolius plenitudine omnes ac-

Vera de Deo ſententia.

De Chriſto.

cepimus. Iohan. 1. Plures ei his in officijs addidit collegas, hominum partim ſuperſtitio, partim adulatio. At tibi ô homo, perdiu expectandum erit, antequam Petri, Pauli. Nicolai, Baſilij aliorumq́ue beneficio, tradita nobis Diuina myſteria, cognita habeas. In quorum auxilijs, cùm ſpem fixeris tuam. probè videmus vt ſacra intelligas. Et tamen tibi tuisq́ue, tot erroribus ſcatentibus, nomen verorum Chriſtianorum, ſuperbè arrogas, diſſentientes abs te damnas? Flectis genua ante oſſa mortuorum, interea viuos ſanctos contrucidas? Signum crucis, fronti, pectoriq́ue toties adhibes, & de collo ſuſpendis, interim tot immeritos, in cruces agis? Alios vrſis famelicis diſcerpendos, crudeliſſimè obijcis? ô inſignem viri pietatem? Qui ſunt ij, quæres fortaſſis? Sunt Sancti Moſcæ ſemper, non tãtùm vt vulgus putat in cælis, verùm etiam in terris, quibus cum colendum eſt nobis fidei vinculum. Sunt illi omni tempore inter nos, de quibus hæc omnium noſtrum iudex. Amen dico vobis: quatenus id feciſtis uni fratrum meorum minimorum. mihi feciſtis. Matt. 25. Quorum, quot millia in Liuonia, Lituania, ac in tuo regno, vel nulla, vel leui de cauſa interfeceris, nec tute ignoras, neq́ue nos præterit, qui hæc prodita literis Latinè, Polonicè, Germanicè legimus. Huius nunc crudelitatis, Deus à te expetit pœnas, per Regem noſtrum Stephanum, æterna memoria dignum: grauius ſibi illud iudicium in poſterum relinquens, de quo hæc Apoſtoli. Damnatio abſq́ue miſericordia erit ei, qui non præſtiterit miſericordiam. Iaco. 2. & 5 Agite nunc diuites flete vlulantes ſuper miſerijs veſtris ſuperuenturis. In delicijs vixiſtis ſuper terram & laſciuijs, condemnaſtis, occidiſtis iuſtum: non reſiſtit vobis. Item. Opera carnis ſunt, adulterium. ſcortatio, idololatria, inuidiæ, homicidia, ebrietates, cõmeſſationes. qui talia agũt, Regni Dei non erunt hæredes. Galat. 5. His addit auaros, maledicos, rapaces. 1. Cor. 6. Ac certè tales ſunt Moſci, qui tam multa aliena rapiunt,

Crudelitas Moſci.

Qui damnabũtur.

piunt quiq; veris Christianis adeò maledicunt, vt eos canes appellent. Et in Apocalypſi. cap.21.& 22. dicitur. Homicidis, ſcortatoribus, veneficis, idololatris, & omnibus mēdacibus, pars eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure. Verùm cōſideret lector, vt is homo, nihil abſq; compendio faciat. Et memoriam, inquit, Sanctorum colimus & oſſa mortuorum veneramur: vt hoc maius auxilium illorum demereamur. At cur non potius auxilio demerendo ſtudes, omnes nos ad ſe invitantis Chriſti! an non Deum ſuum homines conſulere debent? Eſa 8. Tua eſt pernicies Iſraelita: ſed in me eſt auxiliū tuū Oſeæ.13. ô Beatum illum cuius eſt auxilium Deus Iacobi. Pſalm.146 Conatur idem, allato in medium teſtimonio de ferenda cruce, quam Monachorum more definit, ſententiam orthodoxam de gratuita peccatorum remiſſione infringere: Deum immortalem, quàm ineptè. Multò aptius & verius. Auguſtinus. cap.14. De fide & opperibus, legis opera ſequi iuſtificatum, non præcedere iuſtificandum ſenſit. Oſtenſum etiam ſupra eſt, ne vnum quidem eſſe iuſtum, qui ſuis factis, uitam æternā mereri queat. Plenæ ſunt Sanctæ literæ huiuſmodi dictorum, Deum iuſtificare impium, nos prius dilexiſſe, in dilectos ſuos, Spiritum S. bonorum operum auctorem effundere, non operibus ſed ſua miſericordia, homines ſeruare. Semel abs ſe vocatos, iuſtificare. Porrò quæ in Biblijs de mercede, merita ſequente leguntur: eam vnuſquiſq;, qui ſe modò benè nòrit, gratuitam eſſe, neceſſe eſt fateatur, licet enim vel omnia nobis præcepta faceremus: tamē ſerui inutiles ſumus. Luc.17 Quis autem inutili ſeruo præmium iure perſolucrit? Itaq; vera ſunt illa, vt alia confeſſionis Auguſtanæ verba. Quanquam Euangelium requirit pœnitentiam: tamen vt remiſſio peccatorum certa ſit, docet eam gratis donari, hoc eſt, non pendere ex conditione dignitatis noſtræ, nec dari propter vlla præcedētia opera, aut dignitatem ſequentium. Hæc articulo.4. Vera & hæc Auguſtini. Tanta

Moſci oſſa mortuorū venerantur.

Merces piorum gratuita.

eſt erga omnes homines bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona: & pro illis quæ largitus eſt æterna præmia ſit donaturus. c. 32. Libri de Eccleſiaſticis dogmatibus. & cap. 26. omnia opera & merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudemq́; referenda ſunt. Quia nemo aliundè ei placet, niſi ex eo quod ipſe donauerit. Sic. & epi. 95 ſup. Iohan. Tract. 3. De verbis Domini ſermone. 6. De æqualitate venerandæ Trinitatis perſonarum, non fuit Moſco neceſſe cum eo diſputare, qui ipſam adeò non negat, vt Patrem Filium & Spiritum Sanct. vnum eſſe Deum profiteatur.

Dei dona noſtra merita.

Arrij quoq; hæreſim malignè idem, obijcit, miniſtro Chriſti, nihil magis quàm Arrium deteſtanti. Arriani, inquit. Auguſt. de hæreſibus. nolunt eſſe Patrem & Filium & Spiritum Sanct. vnius eiuſdemq; naturæ atq; ſubſtantiæ, non poteſt equidem Filius eſſe genitori, natura ſua par: veruntamen, quia diues cùm eſſet, noſtra cauſa pauper factus eſt, 2. Cor. 8. ſeq. vſq; ad mortem crucis, vltrò demiſit. Philip. 2. Seruus ab Eſaia cap. 53. miniſter ab Apoſtolo Rom. 15. vocatur. cuius myſterij reſpectu Patrem, nunquam in carne conſpicuum factum Iohan. 5. ſe eſſe maiorem dixit.

Arriani.

CAPVT 7. MALEDICTA CONTINET. Item quomodo Moſci Biblia diuidunt.

PErſcripſiſti cauſas futuri aduentus Chriſti, ad homines tam viuos quàm mortuos iudicandos. De quibus ſuprà memoratum eſt. Etſi tu ſententiam noſtram non es aſſecutus. Nos enim quid de iudicio Dei, mortuorumq; reſurrectione ſentires quærebamus. Verùm tu aliud quidpiam locutus, ad mea non reſpondiſti. Quòd autem negas, ea opera eſſe habenda bona, quæ ſibi ipſe homo excogitat: id

abs

abs te, de Apoſtolis, Sanctiſque Patribus ſcriptum eſt. De quo iam ante diximus, vti & de verbis decē. Nam ſi legem Moſis recipis, æquum eſt, vt ſabbathum etiam ritu Iudaico obeas. Paucis quidem de his ſupra: ſed tamen accuratè explicatum eſt, etenim circũſis canis, & crucis Chriſti hoſtis, nolo tecũ multis agere. Quæ capita ex epiſtolis Apoſtolicis, atque ex euangeliis in mediũ adducis, cum noſtris non conueniunt. ea vobis tradidit Lutherus, cætera mentiris. Scribis etiã haberi hæc in Matthæo. Cur me colitis inuentis hominum? Verùm hæc in eo nuſquam leguntur, præterquam in Luca. Idq; aliter ac tu ſcribis. Nam ibi dicitur. Quid me compellatis, Domine, Domine, nec ea quæ vobis dico perficitis? Sed tu hoſtis, Chriſti crucis, in medio tritici paleas ſeminas, & vt Chriſtus ait, mendatium in veritatem trãsformas. vos inquit, ex patre veſtro Diabolo eſtis, deſideriiſq; eius vultis obſequi. Is cũ loquitur mendacium, de ſuo loquitur, & ſanè mendax eſt, mendaciique pater. Citas & Pauli verba ad Corinthios. non eſſe regni cœleſtis hęredes futuros, adulteros, illos qui vel manu, vel alio modo obſcœna agũt, Sodomitas, fures, ebrioſos, maleficos, obtrectatores, latrones. Quæ omnia, apud vos Lutherianos fiunt. Quæ verò dicta de idolis, vos Lutheriani ad cultum imaginum refertis, de his infra. Nec minus in aliis quæ ſcribis mentiris. Hæc enim in Diuinis ſcriptis non leguntur.

* *
*

AD CAP. 7. LASICIVS.

GRauè hic, Phalaris affutiit maledictum, cùm verùm Chriſtianum canem: capite autem 12. Onagrum: & ſtrenuum crucis Chriſti defenſorem, hoſtem ipſius appellauit. illius, vt multorum aliorum è caritate proficiſcentium 1. Corint. 13 Oblitus. Qui dixerit fratri ſuo, Raka tenebitur conſeſſu. qui fatue. gehenna ignis. Mat. 5. Raka vox indignantis, tam Hebræis quàm Chaldæis, hominem nihili inanem & vacuum ſignificat. 2. Reg. 16. ſed quantò grauius eſt beſtiæ ſeu obſcœni canis, in eum iactum conuicium, quem Deus à beluis ratione diſtinxit, Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine redemit, Spiritus Sanctus domicilium eſſe ſuum voluit? At mirum non eſt, ita eſſe hunc virum à ſuperbiſſimo Principe appellatum, cùm Moſcis, omnes Latinæ Eccleſiæ homines, profani ſint & immundi. Scribit Martinus Bielſcius, nobilis Polonus, capite tertio & ſeptimo libri de Moſcouia. ſe vidiſſe Baſilium, iſtius qui hæc cõſarcinauit; vel id fieri mãdauit patrem, ſalutatis Regis Poloniæ Sigiſmundi legatis, (quorum è numero ipſe etiam fuit) manus ſuas frigida abluentem idemq; ſolere facere omnes Moſcorum Duces, quotieſcunq; alicuius principis Regisúe, Romanæ Eccleſiæ legatis, tam in aduẽtu quàm diſceſſu illorum, dexteras porrigũt. adeò illis hi omnes impuri. atq; heretici ſunt. Quid ad hæc Sanctus Petrus? Mihi, inquit, oſtendit Deus, ne quem hominem impurũ dicerem. Acto. 10 proinde haud incredibilè eſt, quod iam per omnem Poloniam diuulgatum iactatur, hunc eundem principem, Anno quo hæc conſcribo. 1581. Legato Pontificis Romani, mandata ſedendo exponere volenti, callidè ſedem ſubtrahi, vt penè caderet iuſſiſſe: ac quòd ſuus, quem Romam miſerat orator, pedem Papæ oſculari coactus fuerit, indigniſſime id tuliſſe. De ſeruandis præce-

Opinio Moſcorum de Latinæ Eccleſiæ hominib.

Legatus Papæ Moſco ludibrium.

piis

*ptis decalogi, Chriſti, Iacobi, Iohannis, cæterorumq́ Apoſtolorum mandato, dictum eſt in Apologia ad caput 5. Sabbathum quoq; ſacro cultu obiremus, ni Dominus ſabbathi. Mar. 2 eius vacatiorem, ſua reſurrectione inſequentem tranſtuliſſet. Feriatum merito habendum: tamen extra ſuperſtitionem Iudaicam. & Dominicum Apoc. 1. vocatum propterea quòd eo Dominus Deusq́ noſter caro factus, quieuerit, noua creatione abſoluta. Nec ego valde miror, non eſſe in Matthæo lingua Ruſſica ſcripto ſi quid modò Moſcus, rabie cæcus, videre potuit, hæc quæ nos cap 15. De inani cultu Dei inſtitutis humanis legimus: aut illud Iohannis, quod cap. 13. commemorabitur, Filioli cauete vobis ab idolis: cùm maiores Ruſſorum, quos iſte toties Patres Sanctos vocat, Eccleſiam ſuis inuentis intantum obruerint, vt delenda non dubitauerint, quæ ſuis conſilijs contraria eſſe videbant. quæ in dubium velle vocare, aut vllo emendare modo, religio Moſcis eſt. Planè vt ſerui, ac filij Dei facti ſunt ſerui hominum. Similiter à Socrate Hiſto. Eccleſia. lib 7. cap 32. memoriæ proditum eſt. Omnes qui Diuinitatem ab humanitate Chriſti ſeiungere ſtudebãt, hæc verba epiſtolæ Iohannis Catholicæ, Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, ex vetuſtis exemplaribus delere, tollereq́ non dubitaſſe, à quorum non ferenda audacia, noſtri hodie Ebionæi, atque Macadoniani, ſuo peruicaci errori, patrocinia petũt Queritur & Optatus. Afer. libr. 1. de ſimili Donatiſtarum in legem Diuinam furore: idemq́ olim Arrianos factitaſſe teſtatur. Victor. lib. 3. Nec eſt alia verior cauſa tantæ in Hæbraicis, Græcis & Latinis vtriusq́ fœderis codicibus varietatis. Sublata ſunt enim quædam in illis ab hæreticis: quædã partim cõmutata, partim addita, Suyda quoq; idem, in verbo Lucianus affirmãte Obſeruarũt hæc Sacrorum Bibliorum interpretes, Eraſmus, Pagninus, Beza Caſtalio, Franciſcus Lucas & Franciſcus Iunius. Quin nec aliam magis ob rem, ijdem

Dies Dominicus.

Moſci decalogum reijciunt, quàm quò ſecundum eius præceptum, vetet imaginum cultum: cui ſunt dediti ſuperſtitioſiſsimè. Rei huius, inter alia multa, id ſaltem nunc ponere lubet exemplum. Expugnata à noſtris, eo quod nunc geritur bello, quinto die Septembris. 1580. Vielcoluco, arce Moſcorum & perampla & valida: in qua defenſorum ſeptem circiter milia, nitrati autem pulueris, quadringenta vaſa fuerunt: omnes propemodum obſeſsi, imagunculas habuerunt Sancti Nicolai, aliorumq́; & cruces de collis pendentes. quas identidem diſſuauiati, incaſſum opem deaſtrorum implorabant. Stabant etiam quinquaginta Sacerdotes, cum obuerſis ad victores imaginibus pictis maioribus: vt quos à vehementi inſultu, vis humana reprimere nequiuit, falſo crediti numinis reuerentia arcerēt. verum capti, cæſiq; ſimul cum idolis, omnes illorum cultores quicunq; ſe vrbe combuſta in arcē receperant. Fruſtra auxilia ab iis petita, qui oculos, aureſq; habentes, neq; vident neq; audiunt. (*Moſci in colendis imaginib. ſuperſtitioſiſsi.*) *Quo minus ferendi illi quoque ſunt, qui præterito in ſuis catechiſmis, de non fabricandis imaginibus, ſecundo præcepto poſtremum de frenanda rerum alienarum concupiſcentia diuidunt, prima duo in unum conflant. Scilicet, Deus tāta breuitate ſuperfluum aliquid dixit, quod à nobis prætermitti debeat: vel ita non rectè digeſsit, vt nos id rectius faciamus. Vt Deus & idolum, longè diuerſa ſunt: ſic vxor proximi noſtri liberi, familia omniaq; vtenſilia, nihil aliud quàm domus eiuſdem habentur.* (*Perperam omittitur ſecundum Præceptū.*)

Qua in re, nullius neq; concilij antiqui theologi, eo modo præcepta partientis maior eſſe deberet, quàm diuina auctoritas. Vt autem Moſci, ita Phariſæi, traditiones maiorum ſuorum pluris faciebant voluntate Diuina. Matt. 15. Marc. 13. Sed quid Dauid. Pſal 119. Execrandi qui declinant à præceptis tuis. Manent verò, etiam hodie, nō ſolùm in Ruſsia: verùm etiam in Latina Eccleſia, iſtius veteris erroris veſtigia. Eſt vbiq; maior vis conſuetudinis,

nis quàm dictorum diuinorum: maior Eccleſiæ, id eſt, hominum, quàm illius auctoritas, de quo id cælitus exiſtit oraculum. Hic eſt filius meus dilectus: hunc audite. Matth. 17. Quem errorem, cæteraq́ue deprauata, qui correcta eſſe optant, aut nolentibus ijs quorum id maximè intereſt, ipſimet corrigunt: Hi ſunt hæretici, falſi Prophetæ, beſtiæ, canes, lupi, fures, latrones. Nēpe quòd ſic omnes Qui hodie hæretici. *ſanctiones Apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſint, tāquam ipſius Diuina voce Petri eſſent firmatæ. Agatho Papa, omnibus Epiſcopis Diſt. 19. Et immanis illa belua Bonifacius 8. Extrauagant. Com. lib. 1. tit. De maioritate & obedientia. Subeſſe Romano pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus & pronūtiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis. En tertiumdecimum fidei vniuerſalis articulum, quŏdam multis ignotum, tam in Africa quàm in Aſia Eccleſiis. Aliter diſtingui à Ruſſis Apoſtolica ſcripta, quàm pridem à quibuſdam (non à Luthero, vt iſte blaterat) tollendi lectŏrum tædij cauſa, diuiſa ſunt. Apparet ex cap. 14. huius ſcripti. Quorum lingua, habet. Matthæus capita 116. Quæ Zaczalas, hoc eſt, incæptiones cognominant.* Moſcorum noui Teſt. capita. *Pleraq́ue adeo parua, vt ex tribus conſtent verſibus, prout fert ſcripti Diuini, de re vna ſententia. In Marco ſunt. 71. In Luca. 114. In Iohanne. 67. In Actis. 51. Paulinas epiſtolas, caput. 79. Inchoat, qui numerus ad. 335. Collectus finitur in ea quæ eſt ad Hebræos ſcripta. Quem rurſum excipit. 51. ab initio Iacobi Canonicæ. Definitq́ue in Iuda. Apocalypſim quoq́ue Iohan. ſe habere, rogati à me Cracouiæ, cùm Anno. 1578. bello exardeſcente, Legati ad Regem Stephanum miſſi, ſuperbè ſe geſſiſſent, dixerunt. Omnia hiſce capitibus diſcreta, à quodam Cyrillo, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ (cui parent,) ſacerdote, linguæ gnaro Sclauonicæ. Idē credo Morauis & Bohemis, vt tradit Aeneas Syl-* Bohemi chriſtiani facti. *uius Hiſto. Bohe. cap. 12. Anno nati Meſſiæ 995. Fidem in Chriſtum perſuaſit. Onuphrius, Polonorum etiam Apoſtolum appellat. Cæte-*

rum, quod præceps furore Moſcus, tot flagitia Lutherianis obijcit certè per trabem ſuam, videt feſtucam alienam. Non enim mentiar ſi vt ſe res habet dixero, in Moſcouia, hæc fermè omnia, nonnullaq́ alia non vigere tantùm, ſed etiam regnare vitia. Quod ego ex ijs habeo, qui in bellis capti, cum Moſcis complures annos vixerunt. Furta & ebrietates rariora apud eos. Cultros illorum cubitales, quibus, ſub intimis veſtibus latentibus, ſe inuicem irati, hoſtem verò incautum confodiunt, ſemper exhorrui. In technis fallendi alios, pro eo quo pollēt ingenio, ſunt vaferrimi. in vēdendo autem, mercem decuplo pluris æſtimant, quàm conſtat, modò emtorem decipiant. Nec minor eſt illorum calliditas atque mutabilitas, in pactionibus quibuſq; conſtituendis, In congreſſu amico, cum noſtris nihil illis tumidius ni prior ipſe ſalutaueris, non ſalutaberis. Honore præuenire (vt Paulus iubet) vel honoratiſſimum, dedecus habetur. Mendaciū verò, adeò eſt vulgare omnibus, vt illud infimi ſuperioribus, ac ipſimet principi more prorſus barbarico, impune obijciant. Rei huius hic quoque leguntur aliquot exempla. Quod enim vrbaniores Chriſtiani, veniam præfati, per verbum negandi, verecundè efferunt: Id iſti Sylueſtris ingenij homines, mentiris ſimpliciter dicunt. Atqui in promtu eſt cuiuis, vel hoc odioſum uerbū, vel aliquod crimen alteri impingere: ſed Chriſtiano dignus eſt, miſſis conuicijs ſolidis rationibus docere errantes, conuincere argumentis peruicaces. De idolis ſeu imaginibus, dicetur ad cap. 13. Quòd ſi ſcripta Diuina, de idolis Ethnicis, ad falſorum Chriſtianorum imagines, veris vt olim, ita nunc ignotas, referimus: id fit ideo, quòd ij Ethnicos, malo illarum vſu imitentur. adeò obliuioſi facti, vt nec ſupplicare ſuperis, nec ſacra celebrare queant, niſi ſignis admoneantur.

Moſcorum vitia. *Imagines.*

CAP.

CAPVT 8. INVEHITVR IN LVTHErianos: nonnihil attingit de Ruſſica Religione, & Romana Eccleſia.

Quod ſcribens de Lutheri doctrina, ais veſtros fidem, non in Luthero, ſed in Chriſto Domino noſtro figere. Attamen ſi vel Lutherus vel quiſpiam alius ea proponat, quæ cum ſacris literis conueniant: nō ſecus vos iis, quàm voci Diuinæ aſſenſuros eſſe. Sin pugnantia cum Chriſti Apoſtolorumque diſciplina doceat, eum licet ſit, vel Angelus cœleſtis, pro anathemate habendum eſſe. Audi verò quid de his ſcribat Apoſtolus. Miror, inquit, tam citò vos à vocante gratia Chriſti, tranſire ad aliud Euangelium. Etſi nō eſt aliud: niſi quòd vos quidam turbant, & ab Euangelio Chriſti auertere volunt. Verùm, ſi aut nos, aut Angelus è cœlo, prædicauit vobis aliud, præter id quod eſt à nobis prædicatum, anathema eſto. Notum autem vobis facio fratres, prædicatam à me doctrinam, non eſſe humanam. Neque enim ego ab homine accepi didiciûe, ſed è reuelatione Ieſu Chriſti. Vide mihi, vt non ſua voluntate, nec abs ſe excogitata, nec quæ ſcripturæ Diuinæ cōgruant inuenta, (quemadmodum vos, qui à concionibus eſtis, veſtro cum Luthero feciſtis,) ſed patefaciente ſibi Domino aliis tradiderit: & in Chriſto acquieſcens, nequaquam ip-

K

ſemet fundamentum eſſe voluerit. Super quod fundamẽtum, ſi quiſpiam exſtruat aurum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, arundinem, vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit. Dies enim ipſis declarabit. En vt nemo ponere queat aliud fundamentum, præter Chriſtum iam poſitum. Quj rediuiuus, diſcipulos, beatoſq; Apoſtolos ad nunciandum allegans Euangelium, dixit vt irent, ac omnes nationes in nomine Patris, Filij, & Spiritus S. Baptizantes, docerent ſeruare omnia ſibi præcepta. Vbi animaduertis, iubere eũ obſeruare, etiam non ſcripta præcepta. Scribit idem Filius tonitrui. Multa, inquit, alia fecit Ieſus coram diſcipulis, non ſcripta in hoc libro, quæ ſi ſigillatim ſcriberẽtur, opinor, nec totum mundum comprehẽdere ea poſſe. Attendant autem ij, qui ſe dictis Apoſtolicis, non præbent obſequentes, id quod Chriſtus apud Lucam dicit. Qui vos audit, me audit. Qui vos reiicit, me reiicit. Etenim Apoſtoli ad prædicandum Euangelium digreſſi, ſurrogarunt ſibi ſeptuaginta vicarios, itidem Apoſtolos: ac ſecundum hos, ordinẽ ſpiritualem, à quo, vſq; adhuc, ſacerdotes, doctoresq; populi propagati ſunt. Qua de re Paulus ad Titum. Propterea te in Creta reliqui, vt nõdum abſoluta perficias & in ſingulis oppidis, Sacerdotes conſtituas. Quòd ſi hac re nõ eſſet Chriſtianis opus nõ ſcripſiſſent de ea Apoſtoli. Porrò Lutherum veſtrum atque vos ipſos, quis nam ad hoc munus deſignauit? Quorum, præter id quod in veritate non inceditis, magis ſe prodit peruerſitas, Petro ſuperiore Apoſtolo, ſecunda epiſtola, id aiente. Quemadmodum, inquit, dilectus frater noſter Paulus, pro ſapientia ſibi data vobis ſcripſit, ac in omnibus epiſtolis, de iiſdem loquitur. Quibus in epiſtolis, ſunt quædam difficilia intellectu

Nõ ſcripta præcepta obſeruãda

A quo miſſus Luth.

tellectu:quæ indocti & infirmi, vti alia omnia ſcripta, ſuo exitio peruertunt. De fundamento, dixi iam antea, in quo ædificata aurum, argentum, lapides pretioſi, ſunt bona opera. ligna autem fœnum. harundo fragilis, ſunt opera viliora atque peccata. ô vos perditos, qui ſecundum Petri dictum, ſcripturam pro libitu veſtro peruertitis. Similiter Paulus, negat aliud fundamentum, præter Chriſtum iaci poſſe. Vos ergo prætermiſſis Sacerdotibus, poſthabitis doctoribus, & ſacrati ordinis viris, adeoque ipſis Apoſtolis, Chriſti mandatum peruertitis, eundemque apud vos ipſos crucifigentes, diſſoluti doctores facti eſtis. Atqui Apoſtolus ſcribens ad Galatas, ne Angelũ ipſum quidem, aliam ab illa quam acceperant doctrinam tradentem, audiendum eſſe dicit, abieciſtis, vt omnia ita traditionem Apoſtolicam: ideoque ipſimet vobis execrationem inducitis: ac nos in vos veritatis hoſtes, & inhoneſtos quæſtores, fulmen anathematis iure optimo torquemus. Antichriſtiani enim eſtis. Antichriſtus autem is eſt, qui ſe opponit Chriſto. Facta eſt à te Roſſiacæ noſtræ fidei mentio, de qua hæc habeto. Baptizantur noſtri in nomine Patris, Filii & Spiritus Sanct. nunc & in ſecula benedicti, poſtquam primus noſter progenitor, beatus ille & magnus Czar Wlodimirus, diuinitus illuſtratus, nomẽ Baſilii ad myſticam vndam nactus eſt, à quo tempore, vſq; ad hanc diem, non Roſſiaca. ſed Chriſtiana, appellatur fides noſtra. Quãobrem, vbicunque in orbe terrarum eſt fides Chriſtiana, ibidẽ & Chriſtiani nominantur. At vbi ii aliter vocantur, ibi vera fides nõ eſt: ſed ſunt hæreſes, diſſidia, apud Gẽtes, inquit Paulus, multi Dei & Domini ſunt. Sed nobis vnus eſt Deus & Pater, ex quo omnia, ac nos in illo. & vnus Do-

Fides Ruſſica.

minus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia atque nos. vnus Spiritus in quo omnia ac nos in eo, vna fides, vnum baptiſma. Si Pagani in vniuerſo orbe credũt & ſacrificant: Ii licet ſe id Deo facere ſibi perſuadeant. tamen Diabolis credunt, & ſacra faciũt. Quocirca Deum in Trinitate laudandum, etiam atque etiam oramus, vt tam nos, quàm omnes vera Chriſtianitate celebres Roſſiacas terras, ab inimicis tenebris incrudelitatis veſtræ conſeruet. Quibus in terris, ſi quos vides inſita infirmitate ſegnicie, non omnia mandata exequi: id non Legi, ſed negligentiæ illorum aſcribito. Quæ autem nobis deſunt, quæque ipſi implere non valemus: ea Chriſtus ſua gratia complet, qua ſi qui freti negligẽtes ſint, ii adverſum ſe grauem Dei iram concitãt Scribis nequaquam vos Eccleſiam vni nationi, loco, linguæ alligare. Quaꝑpter vna eſt Chriſtiana, cathedralis, & Apoſtolica Eccleſia. Nec obſtat, quod vrbe in vna, in arce, in villa, in toto denique mundo ſint multæ. Cùm omnium vna ſit conſtitutio, vna actio. Quòd verò de Latina dicis, non lubet de ea multis agere. Vt enim hæc verſutiſſima eſt, ſeu aſtutè decipit: ita vos tenebræ eſtis. Iam ſi quis aliquem è carcere tenebroſo eductum, inducat in obſcuriorem, impoſtura eſt, non vtilitas habẽda: Haud alirer, qui è tenebris prodire in lucem volens, rurſus in eas incidit, ſeipſum ſeducit, neque eſt verax. Atque de his hactenus.

Latina Eccleſia verſutiſſima.

* * *

AD

AD CAPVT 8. LASICII
Apologia Lutherianorum vbi & de Iſraelitica Eccleſia, Chriſtianæ congruenti de traditionibus atque de Antichriſto.

ADeò Moſcus flagrat odio Lutheri, & iuſticiæ fidei, & Theologiæ purioris fortiſſimi inſtauratoris, libertatiſq; Chriſtianæ acerrimi vindicis, vt quæ de ipſo atq; ſectatoribus ſcribit eius planè non intelligat: & ignarus artis diſſerendi, multoties pueriliter repetat quod ſemel dixiſſe ſatis erat. Ne illud rurſus dicam, ineptiſſimè illum omnia è ſacris literis, aduerſum nos torquere, ac nos ea docere velle, quæ pueris noſtris ſunt notiſſima. patere dicitur iſtius Domini imperium in longitudinem, quingenta milliaria Germanica. Amplitudo Moſcouiæ. *Id quod confirmat. Mat. Miechouienſis, Mathematicus libro 2. de Sarmatia. veriſimile. Nam Iohannes, huius quo cum nobis res eſt auus, & Baſilius Pater, Lituanis vi ademerunt ac dolo prouincias ampliſſimas. videlicet Pleſcouienſem, quæ nunc recuperatur, Nouogrodenſem, Smolenſcenſem, Vielcoluſcenſem, iam receptam, Sueuierienſem, & Moſaiſcenſem. Quæ verò iſte etiam, ne ſuis maioribus inferior iniquitate foret, iiſdem Lituanis finitimis ſuis abſtulerat, ea iam ad ipſos, opera optimi Regis Stephani intra hoc triennium redierũt. Et tamen in tanta ſoli magnitudine ne vnicum quidem eſt, Germanicis ſimile Gymnaſium, in quo iuuentus in Theologia ſaltẽ inſtitueretur. Omnes deditiſunt armis: nõ tam*

ad ſua defendenda, quàm ad aliena, per nefas occupanda. Tamen hic princeps, nihil niſi Chriſtianam iuſtitiam crepitat. A qua tam procul abeſt, quam iniqui à regno cœlorum. A nobis verò Moſce, quos Lutherianos, vt tuos tantùm Chriſtianos cognominas, nihil reor peccatum eſt, quòd impulſore Spiritu Diuino, vitia Eccleſiæ, multis contracta annis notauerimus: quòdque ijs tollendis hactenus incubuerimus. Nam quid nos aliud facere oportuit, illis quorum hoc maximè officij erat, partim id negligentibus, partim ne tam præclaro operi manus admoueremus prohibentibus? Sed nihil hi à ſuis diuerſum maioribus egerunt Væ, inquit, vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quoniam clauditis regnum cœlorum coram hominibus vos enim non introitis, nec introeuntes ſinitis introire. Matt. 23. Ea enim certè nunc eſt ratio Eccleſiæ, hicq; eius ſtatus qui fuit Chriſti Apoſtolorum, ſuperioribusq; temporibus. Nam vt parumper à propoſito digrediar. Phariſæi, deuinctis ſibi hypocriſi vulgi animis, eo loco fuere, vt ipſis auctoribus omnia fierent, primas vbiq; tenerent, ac ſicut iuuare (Ioſepho lib. 18. cap. 23. teſte) ita lædere quoſuis facilè poterãt. idem facit hodiè ordo eorundem. Longis precationibus, laxis veſtibus, crebris ieiuniis, auctoritatem ſibi ijdem parabant: humanas traditiones, uerbo Dei ſcripto, pluris faciebant, multa onera plebi ferenda, immunes ipſi eis imponebant. Idem fit à noſtris noui Teſtamenti Phariſæis. Sectæ ibi præter ſacrificulos, Phariſæorum, Sadducæorum, Eſſæorum Samaritanorum Herodianorũ, dogmatis inter ſe diuerſæ fuerunt. Sunt eædem præter ſacerdotes, inter monachos hodiè. Multi tunc pſeudoprophetæ exoriebantur, non pauciores ſunt hoc tempore. Offerebatur tum Deo pro peccatis hoſtia, licet iam Chriſtus pro omnibus eſſet mortuus, & multis cerimonijs res Diuina peregebatur. Offertur nunc eidem eadem, de qua ad caput 11. Nec minoribus cerimonijs grauata eſt Eccleſia. Miſſi olim Diuinitus Prophetæ, religionis

Euãgelici coacti repurgant Eccleſiam

Cõparatio Iſraelitica Eccleſia cum Rom.

ligionis morumq́ populi inſtauratores male accipiebãtur nec melius nunc tractantur, excitati à Deo, rerũ in Eccleſia corruptarum emendatores. Sæpe Iſraelitica Eccleſia, ob imaginum cultum ſcortata eſſe, ac grauiter ideò punita dicitur: non rarius id facit patitúrque, etſi non ſentit, Chriſtiana. Oblectarũt ſe Iſraelitæ operibus manuum ſuarum, vt Stephanus protomartyr ait, & traditi à Deo ſunt, vt ſeruirẽt exercitui cœli. Haud minorem hodie voluptatem Chriſtiani in fabricatis ſimulacris ponunt. Angelos cæteroſq́ cœlites colunt, virginem Mariam, reginam cœli & vocant & inuocãt. Fuit Iſraelitis ſummus ſacerdos, paries dealbatus à Paulo. Act. 23. Vocatus fuerunt, & alij pontifices. Act. 3 Ad hæc ingens turba ſacrificulorum ſucceſſione Leuitica gaudentiũ, Deo exoſa. propter peccata. Sunt hac tempeſtate ſimilimi in Eccleſia, nomine tenus Epiſcopi, Abbates, canonici. ſacerdotes, atq; monachi. Latiſſimè id temporis extenſa eſſe Eccleſia Dei videbatur. quam tamen ſoli Zacharias cum coniuge & filio Ioanne, Ioſeph, Maria, Anna, Simeon, Apoſtoli & pauci alij conſtituebant. ſenſim creſcente eius numero. Haud alia eius incrementa. ſi quis attendat, vidimus noſtro ſeculo. Omnium tunc iuſtitia, vicio doctorum, in operibus legis ſita erat. Fit penè idem hoc tempore. Cæcos duces, cæcus ille populus habebat. nec ij nunc perſpicaciores eſſe videntur. Chriſtus olim prætérito, ſuperborum ſacerdotum ordine, alios voluntatis ſuæ, mundo patefaciendæ præcones delegit. Idem prorſus ab eo factum, cernimus hodiè Nulli tum alij magis quàm ſacerdotes. Chriſto hominum iuſtitiæ aduerſati ſunt, nulli alij diſcipulos eius Synagogis ſuis exigebant, puram Doctrinam ſpargere vetabant. Quæ cuncta, ſimilium ordo facit hodiè.

Erant illa tempeſtate paſtores. qui oues ſibi creditas non paſcebant. Ezech. 34 ſunt nunc etiam permulti titulotenus Paſtores iuuenes, aulici, illiterati, impij. Geri enim omnia confuse neceſſe

eſt,in Babylonia,hoc eſt,confuſione.Expectabatur tum uulgò alius præter illum Chriſtus,quem omnes intuebantur & audiebant.Similiter nunc expectatur alius præter hunc Antichriſtus, quem omnes aſpiciunt,oſculo pedis venerantur,&, vt quæ vidi teſtor, tam ſummiſſè quàm ipſum Deum compellant.Templum Domini, Templum Domini Iſraelitæ quondam vociferabantur, eodem pacto nunc Cacolyci,Eccleſia,Eccleſia clamitant. Deportata erat in Babyloniam Iſraelitarum Eccleſia.Deuenit & Latina in ſeruitutem illius alterius Babylonis Apoc.17. Ideoq; Papam Dominum ſuum appellat.Solo bis æquata eſt ſedes Iſraelitica Hieruſalē. Idem paſſa aliquoties caput latinæ Roma,donec illud eius veniat exidiū, ſimile Sodomitico. Apoca.18. Habuerunt Iſraelitæ hoſtes Aſſyrios & Chaldæos,virgā furoris Dei habent nunc Chriſtiani,& Turcas Scythas, vtroſq; inſuperabiles. Fugere Babylone Iudæos hortatur vates Ieremias cap.penultimo.Exire altera Deus ſuos iubet,ni perire malint. Apoca 18. A planta pedis, vſq; ad verticem capitis, morbos illius in ſe tranſtulit Chriſtus.Idem paſtor ſua Papa Adrianus 6. de morbis ordinis Eccleſiaſtici faſſus eſt, legatione ſua ad conuentum Noribergenſem Anno 1522.Vti Andr. Friccius Polonus,cap.7. libri 1.De Eccleſia memorat.At Platina in Marcellino primo Pontifice, Cuſpinianus in vita Sigiſmundi Impe. Picus comes Mirandulanus oratione ad Leonem 10. De reformandis moribus Eccleſiæ, aliiq; plures, has tantas corruptelas, ad omne Chriſtianum nomen referunt.Ita vt non falsò Angelus ille, monacham Eliſabethā, Abbate Trithemio in Chronico Hirſaugienſi id tradente,Anno 1162 affatus hiſce verbis ſit.Clama fortiter, & dic Heu,ad omnes gentes,quia totus mundus, in tenebras eſt conuerſus.exite ille vos vocauit,qui de terra vos formauit.pœnitentiam agite.quia prope eſt regnum. Quid multis? ouum ouo non eſt tam ſimile,quàm Iſraelitica Eccleſia Chriſtianæ. His nos moti

Moſ:e,

Moſce, alijsq́ huius generis pluribus, ad emendationem, adeò fœdè contaminatæ religionis, ſaluti proſpicientes noſtræ, animum appulimus, excogitatum à nobis nihil, quod non prius mentibus noſtris, vnicus ille veritatis doctor inſeruit.

De non ſcriptis Apoſtolorum præceptis, non eſt hic differendi locus, nec Ioannes de illis agit, ſed narrat veluti hiſtoricus, multò plura Ieſum feciſſe, quàm ipſe facta ſcripſerit. quibus quomodo credemus, niſi ea Canonici ſcriptores prodãt literis? Cæterùm ſatis id liquet, nihil Prophetas, nihil Apoſtolos, ſuis in ſcriptis prætermiſiſſe, quod Iſraelitas tenere, Chriſtianos credere neceſſum eſſet. Quin, quod Chriſtus atq; 12. Apoſtoli, homines docuerunt, id 4. Euangeliſtæ, Paulus item Petrus, Iohannes, Iacobus, Iudas Apoſtoli, literis mandauerunt. Lex Diuina vtriusque fœderis, abſolutam tradit normam beatè viuendi, benè credendi, & Eccleſiam rectè adminiſtrandi. Occulta, inquit, Iehouæ Dei noſtri, ſunt reuelata, noſtraq́ ſunt, & filiorum noſtrorum in perpetuum ad omnia legis huius dicta exequenda. Deut. 29. Et noui Inſtrumenti auctor. Vos dixi non ſeruos ſed amicos. quia omnia audita à Patre, nota feci vobis. Ioh. 15. Et Paulus. Non ſubterfugi, quominus vobis annunciarem, omne conſilium Dei. Acto. 20. Quod cõſilium, & illa Chriſti omnia, nos etiam hodie, ex monumẽtis, cum Euangeliſtarum, tum eiuſdem Apoſtoli cognoſcimus. Nam vt plurimum ſcripſit, & laborauit in plantando Euangelio: ita eadem omnibus tradebat. Reducet, inquit, vobis Timotheus in memoriam, quæ ſunt viæ meæ in Chriſto. ſicut vbiq; in omnibus Eccleſiis doceo 1. Cor. 4 ſic cap. 7. & ita in omnibus Eccleſiis conſtituo. Eodem recidunt illa eiuſdem, de ſeruandis traditibus, ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam expoſitis 2. Theſſ. 2. vt & illa 1. Corinth 11. Reliqua cùm venero conſtituam. Quædam parui momenti in cœna Domini ſeruanda, vt eſt ordo, locus, tempus, & ſi quæ ſunt plura

De traditionibus Apoſtolicis.

Paulus eadem omnes docebat.

eiuſmodi, alias ſe conſtituturum pollicetur: rem ipſam perſcripſit. Ego inquit, accepi à Domino quod & tradidi vobis. Dominum nocte qua prodebatur panem accepiſſe, gratijs actis fregiſſe, accipite, edite. hoc eſt corpus meum pro vobis frangendum dixiſſe. Similiter capite 15. ad eoſdem Corinthios. Tradidi vobis in primis quod & acceperam. Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, & ſepultum, tertioq; die reſurrexiſſe. Ea igitur quæ non ſunt ſcripta, ab ijs Apoſtolis, qui aliquid literis prodiderunt, ſed tamen tradita: ad cærimonias, non ad fundamentum fidei, quod ſcriptum Spiritus S. eſſe voluit. pertinent, quæ cærimoniæ quàm variæ fuerint in antiqua Eccleſia, docent nos ij hiſtorici, qui Eccleſiaſtica, ſcriptis perſecuti ſunt. Talia etiam apud Iudæos fuerunt. iter ſabbathi Mat. 24. Id eſt, quartæ partis miliaris Germanici ſpacium ſeu quod idem eſt, bis mille cubiti, hoc eſt. paſſus minores, vt Chaldæus paraphraſtes in Ruth ponit. Et pugillaris manuum, quod ipſe vidi, atq; vtenſilium crebra lauatio. Marci 7. Ponunt autem hoc in numero veteres, præter ſymbolum Apoſtolorum. Baptizandis tradi ſolitum. Auguſtino de fide & operibus cap 11. teſte, id, quod à Paſchate vſq; ad Pentecoſten, genua inter precandum olim non flectebantur, verſa ad orientem ſolem facie in templis, Deus etiamnum adoratur, dies Dominicus conſecratus religioni habeatur. Nati. paſſi, rediuiui, in cœlum reſumti Chriſti, Spiritusq; S. illinc demiſſi. ſtatis temporibus memoria recolantur. item Baptiſma infantum, Baptizandorum trinam immerſionem, vigiliam noctis Paſchatis, ſignum crucis. Quadrageſimam. diebus Mercurij & Veneris ieiunium, cæteraq; pauca, quæ neq; nos omnes, plane reijcimus. Licet negligendi quædam, non deſint cauſæ. Quæ verò antiquitus inſtitua, in abuſum & ſuperſtitionem, verſa iam longo æuo erant: in ijs ipſum Chriſtum, Ezechiam, alioſq; huius pietate ſimiles imitamur. Quorum ille, mercatores templo Dei eiecit: hic

Iter Sabbati. *Traditiones.*

ſtatuas

ſtatuas idololatricas contriuit, Lucos ſuccidit, ſerpentem illum Moſaicum, licet Chriſti paſſuri figuram, ab Iſraelitis ſuffitu cultum, comminuit. 4. Reg. 18. Omnia enim ad eruditionem noſtri ſcripta eſſe, omnia, noſtra eſſe docet Paulus. Proindè nos etiã, mercatores Miſſarum, templis exturbamus, aras Chriſtum in pane, pro viuis & mortuis Deo offerẽtium diſiicimus, ſimulacra ad venerationem proſtituta perfringimus. Malum põtificem cum Apoſtolo parietẽ dealbatum ſacerdotes vitioſos, hypocritas cũm Chriſto, vnico omnium eodemq; perpetuo Sacerdote appellamus. Cæteris, quæ Eccleſia in captiuitatem Babylonis Spiritualis abducta, coinquinata fuerunt, innouatis perpurgatisq; (vt olim Iudæi Babylone liberati) melius vtimur. traditiones humanas, moniti ab Apoſtolo Coloſſ. 2. Omni cura cauemus. Phariſaicum enim eſt, populo Dei aliquid aliud, quàm lex Diuina tradit præſcribere. Phariſæi ſcribit Ioſephus, multa, inſtituta à Patribus accepta populo tradebant, non in Moſis Lege ſcripta, quæ Saducæi negabãt eſſe ſeruanda. Hæc lib. 13. cap. 18. Anti. Iuda. Ac reuera tum demum pura atq; beata eſt futura Eccleſia, cùm in ea, omnia ex præſcriptis Chriſti Apoſtolorumq; agẽtur. Religio ad ipſos fontes reducetur. Non alia eius forma, præter ea quæ in Diuinis legitur oraculis, conſtituetur. Hæc qui in ſuis cœtibus faciunt, vel vt ita fiant conantur, an hi in tenebris verſari, perire, ſalutiq; prorſus excidere dici debeant, indicent illi quorum mentes vt veri lucem cum Paulo videant, illuſtratæ diuinitus ſunt. Ait Moſcus Apoſtolos, ſeptuaginta alios eiuſdẽ dignitatis ſibi ſurrogaſſe. Verùm id ipſummet Chriſtum feciſſe, Lucæ. cap. 10. teſtatur Horum nomina refert Dorotheus Græcus. Idem verba illa Apoſtoli, de auro gemmis. ſtipula lignis. de bonis & malis operibus accipit. Dicas hominem verè operarium, in quo tamen perparũ eſt bonorum operum. Melius Tertullianus lib 5. aduerſus Marcionem, de doctrina,

Phariſaica inſtitu.

Verba Pauli de auro ſtipula.

dicta eſſe interpretatur. quæ ſuper Chriſtum, credentium fundamentum, vel digna illo, vel indigna ædificatur: quæq́ poſteriore ætate, qualis ſit pateſit, ac nos ipſi cernimus hodie, quemadmodum falſa, ad ignem verbi Dei, veluti nix ſole liqueſcat. Qui ea ad Platonicum atq; Virgilianum ignem luſtralem magna vi ſcripturæ Diuinæ trahũt: his omnino quò melius ſapiant, helleboro opus eſt. Quæ tamen opinio, mentibus hominum aſtutè inſtillata, ingentes opes attulit ſacerdotibus.

Antichriſtiani Moſco eſſe videmur, tam verè, quàm ego ſum Moſcus. Age igitur Chriſtum & aduerſarium eius paucis depingamus. Ne qui habendi ſint Antichriſtiani, ignoremus. Chriſtus ſe ſolũ viam & oſtium eſſe, per quod ad Patrem cæleſtem peruenitur ait. Antichriſtus illĩ tot milia cœlitũ, & abs ſe ſacratorum hominum, eodem in munere adiungit. Eſt enim Antichriſtus is Iodoco Clithoueo Pariſienſi theologo in cap. 27. lib. 4. Damaſceni, quisquis oppoſitus eſt aut contrarius Chriſto, doctrina illi aut moribus contradicens. Chriſtus ſeruator hominum dicitur. Antichriſtus, filius perditionis appellatur. 2. Theſſa. 2. Chriſtus credentes, certò ſperare remiſſionem peccatorum iubet. Antichriſtus morituros, ad expianda peccata, in ignem purgatorium demittit, credere dubitanter docet. Chriſtus, ſeruos nos eſſe inutiles, etiamſi omnia exequeremur mandata pronunciat. Antichriſtus propter merita Adalberti noſtri, cæterorumq́ Sãctorum ſe exaudiri precatur, ac in templis vociferatur. Chriſtus ſemel oblatus eſt, vt multorum peccata tolleret ad Hebr. 9. & 10. vbi eſt peccati remiſſio, non eſt amplius oblatio pro peccato. Antichriſtianæ Canon Miſſæ, ita inquit, Suſcipe Sancte Pater, æterne Deus, hanc immaculatam hoſtiam, quam ego indignus famulus, offero tibi pro omnibus fidelibus Chriſtianis, viuis atq; defunctis, vt mihi ac illis proficiat ad ſalutem, in vitam æternam. Chriſtus author coniugij.

Antitheſis Chriſti & Antichriſti.

(Dei

(Dei enim ſermo eſt, quo omnia facta) hæc dixit. Qui poteſt capere capiat. Antichriſtus tanquam naturæ humanæ Dominus, omnes ſuos Sacerdotes capere, id eſt ſine vxoribus eſſe, vt capite vltimo docebo, iubet. Chriſtus illum à quo vocatus erat bonus, arguit modeſtè. Etſi is verum, imprudens dixerat. Antichriſtus, quamuis ſit malus, tamen gaudet titulo Sanctiſſimi & beatiſſimi. Chriſtus auream coronam reſpuit, accipit ſpineam. Antichriſtus hanc fugit, illam geſtat triplicem, ac veluti rex coronatur. Chriſtus mundanarum curam rerum ita vitauit, vt ne de hæreditate quidem, inter fratres decidere voluerit. Antichriſtus, omnia politica curat. Imperium à Græcis ad Germanos ſe tranſtuliſſe in Decretis gloriatur. Iratus Georgio, Regi Bohemiæ, Philippo Galliæ, Albretio Nauarræ, Regna illorum alijs regibus addixit. Ducentos amplius annos reges noſtros, propter crimen vnius, qui Staniſlaū Epiſcopum Cracouienſem occidit, coronari vetuit, hoc eſt, Duces tantùm non Reges dici mandauit. Chriſtus & miniſter fuit. Rom. 15. Mat. 20 & munere docendi ipſemet functus eſt. Antichriſtus, dominus ab omnibus habetur, cunctis imperat, nunquam ipſe cōcionatur. Chriſtus crucem ligneam humeris geſtauit. Antichriſtus auro gemmiſq; nitentem, crepidæ ſuæ imponit. Chriſtus pedes lauit diſcipulorum ſuorum. Antichriſtus, ad pedem ſuum oſculandum, ipſos etiam monarchas admittit. Chriſtus ſe vſq; ad mortem crucis demiſit, & diues natura, noſtra cauſa pauper fuit. Antichriſtus, ex paupere Eccleſiæ Romanæ paſtore, vt pios opprimeret, ditiſſimus factus, ſe ſupra omne id, quod Deus aut numen dicitur effert 2. Theſſā. 2. Qui titulus regibus tribuitur Pſalm. 81. & Codicis lib 1. tit. 14. l. 8. in ſacro inquit numinis nōſtri conſiſtorio recitetur. Chriſtus, homines ſolùm credentes Baptizari iuſſit. Antichriſtus campanas quoq; Baptizat. Chriſtus, omnes quibuſuis cibis veſci ſinit. Antichriſtus tēpore ieiunij, adeò certis interdicit, vt qui

ſecus faxit pœnas capite lu t. Sex dies, deditos nos eſſe labori debere Chriſtus dixit. Antichriſtus permultis feſtis inſtitutis, ociū illud Sodomiticum induxit quo res maledîſcuntur & fiunt Ezec. 16. Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, Apoſtolus ſcripſit. At Bonifacius tertius, vt ſua ſedes Romana, caput foret omnium Eccleſiarum. ab Phoca Imperatore Anno 607. impetrauit. Chriſtus. beatius eſſe dare, quàm accipere, inquit, Act. 20. Antichriſtus, beatius eſſe accipere ducit, ac beneficentia regum, atq; dominorum opulentiſſimus factus, omnibus pridem terrori eſt. Chriſtus ſemper voluntatem Dei Patris ſui executus eſt. Antichriſtus in ea mirandis diſpenſationibus vtitur. nuptias lege vetitas fieri ſinit. Pueros facit Epiſcopos, Canonicos. Abbates Petro Cardinali, Hieronymoq; fratri eius, cum vniuerſa ipſorum familia (horreſco referēs) Iunio, Iulio, Auguſto, tribus anni menſibus calidiſſimis. maſculinum concubitum, hac cum clauſula, Fiat vt petitur permiſit. Quod de Sixto 4. Narrat Veſellus Groningenſis tractatu de indulgentijs. Chriſtus, Iezabel meretrice in Eccleſia Thyaritenſi, vehementer offenditur Apo. 2. Antichriſtus ſua in vrbe ſepticolli, innumerabiles eſſe patitur. ac quæſtu ex illis fruitur. Certè anno, quo Romam adij 1 5 6 0. Duodeuiginti ſcortorum milia, in ea eſſe dicebantur. Chriſtus, regnum ſuum, huius mundi eſſe negabat, nec vbi caput reclinaret habebat. Antichriſtus contrà, tot prouinciarum rex eſt, in ſplendidis habitat palatiis. hortorum amœniſſimorum fruitur delicijs. Chriſtus veris ſuis diſcipulis, vnicus aduocatus eſt, vnica illorum vita, ſpes. ſalus. Antichriſtus Mariam virginem, hæc omnia eſſe vult, ac in fanis plateiſq; decantat. Ille ſolum Deum Patrem inuocat atq; inuocandum diſcipulos docet. Is aliorum etiam Patrum, quorum magnus texitur in Litanijs catalogus, auxilia implorat. Chriſtus, Petrum condere gladium in vaginam iubet, viſiſq; duobus gladijs, ſatis eſſe dicit. at Bonifacius 8. veſtem Imperatoriam

Anno

Anno. 1300. indutus & diademate redimitus, portari ante ſe ſtrictum enſem mandat, ac in throno reſidens exclamat, Ecce hic duo gladij, vt Goltius in vita Adolphi Cæſaris commemorat. Chriſtus Patris tantùm ſui id munus eſſe teſtatur, vt quis ad dexteram & ſiniſtram in regno ipſius ſedeat. Antichriſtus, quos vult, inferis per indulgentias eximit, in Sanctorum numerum refert, in cœlis collocat. Chriſtus, nos obedientes eſſe magiſtratui, tributaq́; ſuo exemplo pẽdere præcipit. Antichriſtus, quando vult, Imperatorem gradu mouet, Diſtinct. 96. duo. Clericos ſuos militia immunes item ab omnibus vectigalibus dandis liberos facit, & ex iuriſdictione magiſtratus ciuilis eximit. Chriſti Pater, ſacerdotes hæreditatem habere cum Iſraelitis prohibet Deut. 18. Num. 18. Antichriſtus cum ſuis, reges poſſeſſionibus ſuperat, Romam cum præcipua Italiæ parte, Conſtantinum Imp. ſibi dono dediſſe, in libris Decretorum fatetur, ac mortuo Imperatore, hæredem ſe imperij Rom. iactat. Clement. lib. 2. tit. 11. cap. 2. Chriſtus venit, non vt perderet, ſed quò perdita ſeruaret. Antichriſtus, Henricum 4. Imp. vt Beno Cardinalis teſtis eſt, toties perdere conatus eſt. Ludouicum 4. itidem Imp. ad Concilium abs ſe prouocantem, vt eſt author Goltius, Satanæ tradidit, & cum omnibus eum ſecutis barathro adiudicauit. plus quàm centum millia Chriſtianorum (huius enim inſtinctu omnia vbiq; geruntur) inde ab exortu Lutheri, in Europa perdidit. Chriſtus ad ſuam doctrinam amplectendam, neminem vnquam vi compulit. Antichriſtus ad ſua omnia placita credenda, armis homines cogit, non probantes illa, immaniſſimè trucidat. Apoſtoli Chriſti præceptum eſt, vt ſint Epiſcopi, ad docendum apti, continentes, ab auaricia alieni. Inter Antichriſtianos Epiſcopos rariſſimi ſunt, qui docere poſſint. Pleriq; omnes dediti ocio, voluptati, auaritiæ libidini. Chriſti miniſtri, eodẽ Apoſtolo præcipiente, vnica ſinguli vxore contenti, non ſe rebus implicant poli-

ticis. At verò plurimi ſerhorum Antichriſti, aliquot ſcorta alũt, omnium principum familias occupant, mũdanis ſe negocijs immiſcent. Christiani vt nomine ita re ſanctè viuunt, hominem occidere, nefas eſſe ducunt, Catechiſmum tenent, cuiuis ſe percontanti, rationem fidei facilè reddũt. Antichriſtiani iniqui, crudeles, malitioſi ſunt, & de vera religione interrogati, aſinis rudiores. Chriſto cum Satana congreſſuro, & cum ſacerdotibus Phariſæis Saducæiſq; diſputaturo, verbum Dei gladius erat. Antichriſto cum hæreticis, quos ita vocat diſceptaturo, aqua, ferrum, ignis, laqueus præſto ſunt. Ille omnes, multitudine cærimoniarum, morte ſua liberauit. Is Eccleſiam permultis obruit. Ille ſe à nobis aliquando abſfuturum prædixit. Hic eum in pane ſacrato ſemper adeſſe aſſerit. ille nos ſeparatim bibere ſanguinem ſuum vult. Iſte laicos à bibendo eo arcet. Ille panem, corpus ſuum eſſe pronunciat. Iſte panem mutari in corpus affirmat. Cænam ille ſuam, lingua omnibus nota, cum diſcipulis ſimpliciter peragit. is à cœna nominẽ abhorẽs. Miſſam quandam, in qua ſolus edit ac bibit ſacrificulus, veſtitu pictu rato, ridiculis geſticulationibus, & ſermone peregrino celebrat. Illum oportere cœlo capi vſq; ad tempus reſtitutionis omnium Petrus Acto. 3. ait. Contra Antichriſtus ſingulus eum Miſſis illinc deducit. Nos inquit agnum tollentem peccata mundi, dominatorem terræ, de loco cœleſti verbis Dominicis veris, non methonymicis deuocamus ad aram, mactãdum myſterialiter adorandũm humiliter, ſumendum hilariter offerendum toti Triadi reuerenter. Andreas Lubelcicus concionator Leopolienſis 1549. Præfatione in liturgiem Armeniorum. Sexcenta ſunt alia, quæ iſta malus, contraria illi facit, cuius ſe vicarium eſſe ſimulat. Ita vt eum veriſſimè Apoſtolus vocarit talem, qui ſe opponat, Dei numiniſq; nomen habenti. Hic eſt Moſce Antichriſtus, alio nobis loco, ſi vita ſuppetat deſcribẽdus, cuius ſuperſtitionũ pars, ad vos quoque

Antichriſtiani.

que peruenit. Hi ſunt Antichriſtiani, qui hæc agunt, approbant ſcientes atq; defendunt. Neq; id inficiamur, ita eſſe iſtos qui hodie ſunt, ſacrificulos, ab Apoſtolis propagatos, quemadmodum illi, qui Chriſtum in crucem egerunt, à veris Leuitis originem ducebant. Verùm nec hoc ignoramus, exorituros aliquando fuiſſe, Doctores, Prophetas & fratres falſos, atq; iſtorum anteſignanos Antichriſtos, quos hac tempeſtate, maximè deprehenſos, cognitoſq; eſſe in confeſſo eſt. Paucorum enim Epiſcoporum Bauariæ ſunt illa verba apud Io. Auētinum lib. 7. Annalium Boiorum. Anno Domini 1241. multò plures eadem hodie dicunt. Hildebrandus, inquit, ante annos cētum ſeptuaginta, primus ſpecie religionis, Antichriſti Imperij fundamenta iecit. Hoc bellum nefandum primus auſpicatus eſt, quod per ſucceſſores hucusq; cōtinuatur. Primò illi Imperatorem à comitijs pontificatibus extruſere. & plura alia: quæ multa ſunt in Auētino Pontificio. Ingolſtadi An. 1554. excuſo, Lutheranis valdè ſimilia. Omnia de Pontificibus Romanis, ex Auguſtorum Cæſarum Imperio ortis. Quocirca rectè illud Sibylla lib. ſuorum oraculorū tertio de Antichriſto cecinit ἐκ σεβαστηνῶν, *inquit, hoc eſt. Ex Auguſtinis autem, voluentibus annis, adueniet Belial. Proinde nos ſeriem continuæ ſucceſſionis, ſacerdotibus concedimus: ſed eoſdem, à ſuis maioribus, tam moribus degeneraſſe, quàm doctrina diuerſos eſſe aimus, atq; demonſtramus. Illud bonis dolorem parit, quòd oculi hominum tot præſtigijs & erroribus Antichriſtianis cæcati, id quod verius, puriusq; eſt videre nequeunt.*

Antichriſti Imperij fundamentum iactū Anno Do. 1071.

De Luthero, quem Moſcus toties nominat, dictum iam ſuprà eſt, diceturq; infrà. Qui non ipſe ſibi docendi munus vſurpauit: ſed acceptum à ſuperioribus melius alijs executus eſt ac ſicut illud accepit, ita alijs ritu meliore tradidit. Nec refert quòd ei adempta fuerit à ſede Babylonica concionandi facultas: cum & Chriſtus,

Lutherus.

& Apoſtoli ſimili ſacricolarum malitia, docere populum prohibiti officium ſuum facere, nequaquam deſtiterunt. Munus paſtorum atq; doctorum in Eccleſia, nō Papæ eſt, ſed Chriſti inſtitutum. Quocirca impediri à Papa nec debet, nec poteſt. Is verò id benè obit, qui ita ſicut mandat Dominus Eccleſiæ. Vt autem quondam Brutus, ciuitate Romana expulit Regem Tarquinium ſuperbum: ita Lutherus noſter eiecit ciuitate Dei, quàm fœde inceſtarat, arrogantiſsimum Antichriſtum, reiecti ab eo, omniq; reneſcenti Eccleſiæ doctores: ſed falſi, ac ij quorum tanta erat, quanta Euangeliſtarum auctoritas cōtemti ſacerdotes: At mali ſublata nōnulla. Verùm ſuperflua. Et Paulus, & Apollos, & Cephas, ſeu præſentia ſeu futura, omnia veſtra ſunt, inquit. Idem Paulus 1. Cor. 3. Si hæc omnia noſtra: ergo iuris aliquid habent, alij in alios. licet vni, monere alium. Nefas ſeruum Chriſti, eſſe ſeruum hominum.

Cognomen Rußorū.

Quod Moſcus ſcribit de Ruſsica fide, & Wladimiro Duce, videtur eſſe pluribus attingendum. Cognomen Roſſorum, à diſſeminando ductum eſt, lingua noſtra. Nam quod Latinis diſſeminare eſt, id nos omnes, generis Slauinici Roſsiacum c. litera liqueſcente, dicimus. Propterea quod gens Heneta, ſeu Slauinica, (errant qui hoc in verbo, literis s, & l, c, tertiam interponūt) ab illa turri Babylonica profecta, ad aquilonem conſederit indeq; in varios locos ac populos diſperſa fuerit. Ideò etiā Græci hos ipſos Roſsios, diſperſos vocant. Comemorat hoc Roſſorum cognomen (etſi non benè intellectum) Proculus Epiſcopus Hieroſolymitanus, apud Socratem & Nicephorum, victoriā Theodoſii Imperatoris de ipſis recitans, quibus, à Rotz Hebraico cognomen inditū exiſtimat. Meminerunt etiam Moſcorum Aſiaticorum, Beroſus, Mela, Solinus. Porrò Wladimirus, filius fuit illius Swatoſlaui Ducis Nouogrodenſis è cuius cranio patera, à victore principe Piecinigorum facta, hæc verba inſculpta habuit: Dū aliena appetis, perdis tua, qu d ꝓ huic

contra

contra quem iſta ſcribimus, nunc accidit. Is exciſis ſuis fratribus, monarchiã apud Ruſſos adeptus, ſuſcepto Cõſtantinopolim itinere, fit Chriſtianus, Anno inſtauratæ ſalutis 990. (Moſci annũ à condito mundo 6 4 6 9. falſo ponunt) Annam Conſtantini & Baſilij Imperatorum ſororem, matrimonio ſibi iungit, ſubiectos ſuos myſticum Baptiſma accipere mandat, quod Kiouiæ coluit Peruni, id eſt, fulminis argẽteo capite auribus aureis ſimulachrũ, in Boryſtenem hanc ipſam vrbem alluentẽ abijcit. 12. Filios procreat, multa templa exſtruit, & more Græcorum exornat, quæ ipſi apud Latinos, parum ornata eſſe, & cæremoniæ Latinæ, Græcanicis, minus ſplendidæ viſæ ſunt. Proinde etiam Græcam religionem, Latinæ prætulit, atq; amplexus eſt. Quod Moſcus de Latina ſeu Romana ſcribit Eccleſia, haud procul verò eſt. Imò ipſa veritas, ſi quis veterum ſcripta legat. Idem de illa cecinit ciuis eius Franciſcus Petrarcha, Anno Chriſti nati 1 3 7 5. mortuus. Romana Eccleſia.

Fons ærumnarum, domus iræ, plena furoris,
Errorum ludus, ſectarum mobile templum.
Roma quidem fueras, nunc es Babylonia fallax:
Ex qua tot luctus, gemituſq; feruntur in orbem.
O fraudum mater, carcer teterrimus iræ,
Carnificina boni, ſed iniqui ſedula nutrix,
Viuorum infernus, miraculum inſigne futurum,
Si nunquam contra te Chriſti ſeuiat ira.
Caſta in pauperie, tua ſunt fundamina iacta.
Sed modò fundantes oppugnas cornibus altis. *Et alia epigrãmate tertio. Sonettos ipſe vocat, quæ ex Italicis totidem verbis latinis expreſſa leguntur in libro Marij, cuius eſt titulus, Euſebius captiuus. Idem Petrarcha epiſtola ad amicum, quæ tale habet initium. Diu diſtuli. Libet ex te quærere, quid viro optimo, cũ peſſimis locis? quid tibi cum Babylone! quis oro non fugiat Babylonem,*

& vitiorum ſimul omnium, & laboris ac totius miſeriæ mœſtam domum? viſa loquor non audita. Nulla ibi pietas, nulla Dei reuerentia. de veritate ſileo. Nam quis unquam vero locus, vbi omnia mendacijs plena ſunt? Adiuro te Pater per temetipſum, ne illuc eas, undè nemo vnquam exemplo melior factus, peſſimè autem, innumerabiles rediere.

CAPVT 9. A QVO VOCATVS FVIT *ad docendum Lutherus.*

SCripſiſti Lutherum legitimè munus docendi aggreſſum eſſe, & nos ſæpè iam de illo tulimus ſententiã: oſtendimusq;, tam eius quàm veſtram doctrinã atq; actiones, peruerſas eſſe. Quin imò ſicut Satanas, ſuis cum Dæmonibus, homines vbique decipit: ita & vos in hiſce dolis Satanæ adiutores eſtis. Dictum iam ſuprà eſt de Latina Eccleſia. Hîc verò nobis oſtendendum erat, à quo lectus conſtitutusq; ad docẽdum Lutherus, &, Apoſtoliúe an Epiſcopi dignitate præditus fuerit. Nam Apoſtolus de his qui ſibi temerè docendi partes ſumunt, hæc prodidit. Quiſquis inuocauerit nomen Domini, is ſaluus erit. Quomodò verò inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodóve credent, de quo non audierunt? Quo pacto audient abſq; prædicante? Qua ratione prædicabunt, niſi miſſi fuerint? Cæterùm vos, à quónam vocati eſtis, qui peruertendo veritatem, homines ſeducitis? Scribis & de ſpirituali mercatura

tura opum, quę legibus Patrum prohibita eſt. Quòd ſi tibi re quapiam opus eſt, & ſcriptis credis, cur verã religionem non amplecteris?

LASICIVS. AD CAP. 9. DE ORTV Lutheri, & Fratribus Bohemis.

NE iam dicta repetam, legantur ea quæ ſunt capite ſuperiore, aliyſq́. ſcripta. Sed quia idem agit & iterat Moſcus, ſcribam & ego idem. Vt ſi hæc ad eum aliquando perferentur: rem omnem de inſtaurato in Europa Regno Chriſti, planius intelligat, & ignarus veritatis inſtruatur. Anno 1517. Scribunt Peucerus, Chronicorum Carionis auctorum libro quinto, & Melanchton in vita Lutheri, circumferebantur titulo Alberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis venales indulgentiæ in his regionibus, à Tecelio Dominicano ſycophanta impudentiſſimo. Huius impyſ & nefaryſ concionibus irritatus Lutherus, ſtudio pietatis ardens, edidit propoſitiones de indulgentyſ, quæ in primo Tomo monumẽtorum eius extant. Hic Tecelius nihil ſui diſſimilis, ac ſperans etiam ſe gratiam apud Romanũ Pontificem initurum eſſe, ſuum Senatum conuocat, monachos aliquot & theologos, ſophiſtica ſua vtcunq; leuiter tinctos. Hos componere aliquid iubet aduerſus Lutherum. ipſe interea ne eſſet κωφὸν πρόσωπον[1] *nõ iam conciones ſed fulmina in Lutherum torquet, vociferatur vbiq;, hunc hæreticum igni perdendum eſſe. Propoſitiones etiam, & concionem de indulgen-*

Pencerus & Melanchton de Luthero.

1 Muta perſona.

tijs Lutheri conijcit in flammas. Hi furores Tecelij, & eius ſatellitum, neceſſitatem impoſuerunt Luthero de rebus iiſdem copioſius diſſerendi, & veritatem tuendi. Hæc initia fuerunt huius controuerſiæ, quæ inclinationem fecit regni pontificij. Sed Lutherus tunc nihil adhuc ſuſpicans, aut ſomnians de futura mutatione rituum, neq; quidem ipſas indulgẽtias prorſus abiecit, moderationem tantùm flagitauit. Hæc Caſpar Peucerus, Melanchtonem ſocerum ſuum ſecutus. Sleidanus quoq; libro primo, ſuorum 26. commentariorum de ſtatu religionis, Carolo 5. Imperatore, ſic eandem rem, bona fide perſequitur.

Sleidanus

Leo decimus Pontifex Romanus miſſis per omnia regna diplomatis omnium delictorum expiationem, ac ſalutem æternam polli cebatur, interuentu pecuniæ, quã quiſq; daret. Ad eamq; rem, qui mittebãtur quæſtores, ac huius tanti beneficij præcones, ærraria paſſim per omnes prouincias conſtituerant. nec id modò, verũ etiam editis libellis, dogmata ſua defendebant, in Germania præſertim. Hanc verò condonationem peccatorum, nominabãt Indulgentias. Adhæc ouis, lacte, caſeo, carne veſcendi facultatem diebus vetitis, pretio vendebant. Erat tum Witebergæ, quod eſt ad Albim oppidum Saxoniæ, Martinus Lutherus, theologus Auguſtinianus, Anno ſalutis humanæ 1517. Is concionibus illis, & quæſtorum libellis excitatus, quũ videret vulgò credi quod illi iactabãt, cœpit monere homines agerent prudenter, neq; merces illas tanti compararent. Quod enim his rebus impenderent, multo poſſe collocari melius. Vt autem maiore cum fructu, rem ageret, pridie Calendas Nouemb. Ad Archiepiſcopum Moguntinum, Albertum Brandeburgicum datis literis, quid illi doceant exponit, & populo ſic eſſe perſuaſam queritur, quaſi pecunia comparatis illis diplomatis, de ſalute nihil amplius dubitare debeant, quaſi nullum poſſit admitti tantum ſcelus, quod eius rei beneficio non ſit condonatum. Quaſi eorum

Summa indulgentiarum.

eorũ animæ, qui cruciẽtur igni purgatorio, ſimulac nummus in arculam ſit iniectus, in cœlum eueſtigio ſubuolẽt ſolutæ pœnis. oſtendit mandatum eſſe Chriſti, vt doceatur Euangelium, & Epiſcoporum eſſe proprium munus, vt rectè populum erudiant. Commonefacit igitur officij. & orat vt pro ſua auctoritate libellos editos aboleri iubeat, & declamatoribus illis meliorẽ ſequi rationem præcipiat, ne grauius aliquod ex eo diſsidium oriatur quod omnino futurum ſit niſi coerceantur. Cum ijs literis vnà mittebat themata, quæ nuper diſputandi cauſa promulgarat, numero ad 95. Iis & de purgatorio, & vera pœnitentia, & charitatis officio, deq; indulgentijs copioſè diſputat, & quæſtorum contiones immoderatas impugnat: ſed indagandæ ſolùm veritatis cauſa. Nam & ad diſputationem inuitabat omnes, qui vellent in medium aliquid adferre, & eos quibus adeſſe coràm non vacaret, vt ſcripto ſententiam ſuã oſtenderent orabat, & plura eiuſmodi alia, ad quæ nihil reſpondit Archiepiſcopus. Similiter Paulus Eberus in calendario hiſtorico. Anno Chriſti 1517. 31. Octobris. publicè propoſita, & foribus templi ad arcem Vitebergenſem affixa eſt. prima diſputatio, doctoris Martini Lutheri contra indulgentias, impudentiſsimis mendatijs ornatas. & venditatas à Tecelio monacho, qua edita paulatim doctrina cœleſtis de pœnitentia, & remiſsione peccatorum fide accipienda, propter Filium Dei Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, repurgata & illuſtrata eſt, & poſtea, lux reddita eſt, multis alijs quoq; articulis doctrinæ neceſſariæ in Eccleſia Dei hactenus Eberus. Longum eſſet plures horum ſimiles teſtes Euangelicos, in medium producere. Satis hinc patet quid Lutherum, creatum Vitebergæ Anno Dom. 1513. Theologiæ doctorem ad puriorem doctrinam populo Dei proponendã impulerit. Quin etiam ex ipſis Pontificijs teſtimonia petamus, de primordijs renaſcentis in Germania Euangelij. Primus autem Eraſmus Roterodamus,

Eberus.

Eraſmus Rote.

ſuo ſeculo theologorũ princeps, has rei iſtius cauſas atq; occaſiones refert, epiſtolarum libro 12. ad Albertum Archiepiſcopum Moguntinenſem. Spectandi ſunt inquit huius mali fontes. Mundus oneratus eſt conſtitutionibus humanis. oneratus eſt opinionibus, & dogmatibus ſcholaſticis, tyrannide fratrum mendicantium, qui cùm ſint ſatellites ſedis Romanæ: tamen eo potentiæ ac multitudinis euadunt, vt ipſi Romano Pontifici, atq; ipſis adeò regibus ſint formidabiles. His, cùm pro ipſis facit, Põtifex plus quàm Deus eſt. In his, quæ faciunt aduerſus eorum commodum, non plus valet, quàm ſomnium. Ac perfricta fronte iam cœperant, omiſſo Chriſto nihil prædicare, niſi ſua noua & ſubinde impudentiora dogmata. De indulgentijs ſic loquebantur, vt nec idiotæ ferre poſſent. His & eiuſmodi multis rebus, paulatim euaneſcebat, vigor Euangelicæ doctrinæ. Et futurum erat, vt rebus ſemper in deterius prolabentibus, tandem prorſus extingueretur illa ſcintilla Chriſtianæ pietatis, vnde redaccendi poterat extincta charitas. Ad cæremonias plus quam Iudaicas ſumma religionis vergebat. Hæc ſuſpirant & deplorant boni viri. Hæc ipſi etiam theologi non monachi, & monachi quidam, in priuatis colloquijs fatentur. Hæc opinor mouerunt animum Lutheri, vt primùm auderet ſe quorundam intolerabili impudentiæ opponere. Quid enim aliud ſuſpicer de eo, qui nec honores ambit, nec pecuniam cupit? Auſus eſt de indulgentijs dubitare: ſed de quibus alij prius, nimis impudenter aſſeuerauerant. Auſus eſt moderatius loqui, de poteſtate Romani pontificis: ſed de qua iſti, nimis immoderatè prius ſcripſerunt. Auſus eſt Thomæ decreta contemnere: ſed quæ Dominicani penè præferũt Euangelijs. Auſus eſt in materia confeſſionis, ſcrupulos aliquos diſcutere: ſed in qua monachi ſine fine illaqueant hominũ conſcientias. Auſus eſt ex parte negligere Scholaſtica decreta: ſed quibus ipſi nimium tribuunt, & in quibus ipſi nihilominus inter ſe diſſentiunt:

Monachi formidabiles.

poſtremò

poſtremò, quæ ſubinde mutant, pro veteribus reſciſſis, inducentes noua. Diſcruciabat hoc pias mentes, cum audirent in ſcholis, fere nullum ſermonem de doctrina Euangelica. ſacros illos, ab Eccleſia iam olim probatos authores haberi pro antiquatis, imo in ſacris cōcionibus, minimum audiri de Chriſto, de Poteſtate Pōtificis, de opinionibus recentium ferè omnia. Totam orationem iam palam, quæſtū, adulationem, ambitionem ac fucum præ ſe ferre. His imputandum opinor, etiam ſi qua intemperantius ſcripſit Lutherus. Scripſit autem multa imprudenter magis, quàm impiè: quorum hoc iſtos habet peſſimè, ꝙ Thomæ non multum tribuit, ꝙ minuit quæſtum veniarum, quod ordinibus mendicantiū parum tribuit, quod ſcholaſticis dogmatibus, non tantundem defert quantum Euangelijs, quòd negligit humanas diſputatorū argutias. Hæc nimirum ſunt hæreſes intolerabiles. hæc Eraſmus, licet à Lutheri cauſa, vt ibidem profitetur alieniſſimus, Louanij Kalend. Nouembr. 1519 Maſſæus quoq; ita Anno 1515 Franciſcus Dux Valeſius Rex Gallorum apud Bononiā cum Leone decimo, amicitias copulauit, & accepit ab eo Iubilæum diuulgādum per Gallias, qui & alia Chriſtiani orbis climata occupauit, abyſſus malorum. Nam ſub vmbra profectionis in Turcas, inæſtimabiles theſauros collegerunt, quarum conflatores & commiſſarij quidam, perſuaſerunt turbis, vt quicūq; daret decem ſolidos, liberaret animam pro qua daret, à pœnis purgatorij. Nam pro regula certa tenebant, Dominum Deum facere, quicquid ipſi vellent, ſecundum illud. Quicquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutū & in cœlis. quòd ſi vel iota minus fuiſſet, quàm decem ſolidi, nihil prodeſſe concionati ſunt. Diſplicebat hic quæſtus Sanctis Eccleſiæ filiis, & cœpit quæſtio vētilari de poteſtate vicarij, & vnde hæc nouiſſimis doctrina noua prælatis, quam priſci Pōtifices ignoraſſent. Quænam in pectore beneficij reuerſatio, vt quoties vellet, daret & reciperet idem.

Maſſæus.

Solidum Gallicum idē quod groſſum Polonicum ſeu 2. cruciferi.

Erat in Germania tunc Martinus Luther, qui nimis acriter inuectus eſt in has indulgentias, & inter aliqua vera, quædam non vera commiſcuit. Oppoſuit ſe illi Io. Eccius, viciſsimq́; hi duo ſuggeſtum conſcenderunt, coram populo contentioſiſsimè diſputantes: tandem vtriuſq; rationes Pariſium miſſæ, vt à Sorbonicis iudicarentur. Verùm quia non facilè fuit videre, cui potiſsimum palma daretur: dum cenſura differtur in longum, Leo interim longo fulmine, Martinum damnat hæreſeos & à cœtu fidelium proijcit. Ille primum à Pontifice minus edocto, ad eum magis edocendum, mox ad futurum Concilium appellauit. Interim quia Leo iuſſerat libellos eius incẽdio tradi: ius Pontificum, quas Decretales vocant atq; Decreta publicè Viteberga combuſsit dicens. Sicut fecerũt mihi, ſic feci eis. Hæc Maſſæus Cameracẽſis Canonicus, Cronici mundi lib. 20. quod Antuerpiæ excuſum eſt ab Io. Crinito 1 5 4 0.

Polydorus *Polydorus verò ſic, inquit, libro 8. de inuentoribus rerum cap. 4. Cùm Leo X. Rom. Pontifex Anno 1 5 1 7. haberet etiam in Germania procuratores indulgentiarum, quas vocant: & illi ſuæ quoq; vtilitatis ſtudio prædicarent eas indulgentias, non ſolùm valere ad ſalutem viuorum, verumetiam ad ſubleuãdas mortuorum animas, quæ in purgatorio, quod dicitur, eſſent. Tum Vitebergæ præſto fuit Lutherus, Auguſtinianus Monachus, homo in Theologia apud ſuam gentem primarius, qui illud improbauit. Procuratores ea re valdè commoti, primo quoq; tempore Romam ad Magiſtratus deferunt nomen Lutheri. Is cõtinuò vt Deorum contemptor accuſatur, citatur, cauſa agitur: ſed quia ad diem dictam, non adfuit Romæ præſens vt reſponderet, paulò poſt declaratur hæreticus. Verùm quoniam eiuſmodi indulgẽtiarum quæſtus, iam in odia hominum cum procuratoribus incurrerant, permulti magni viri Luthero, protinus adiumento fuerunt, & in his Fridericus Dux Saxoniæ. Hæc in auctiore Polidoro Virgilio. Sic & al-*

ter Italus, Franciſcus Guiciardinus Hiſtoriæ Italicæ lib. 13. Sequitur, inquit, annus 1 5 2 0. Quo doctrinæ, contra Romanæ Eccleſiæ autoritatem excitatæ, vehementer augeri cœperunt, quæ res in Saxonia Germaniæ prouinciæ, ex Martini Lutheri, Auguſtinianum ſodalitalem profeſſi concionibus, maxima ex parte, veteris Bohemorum ſectæ, quæ Conſtantienſi Cõcilio damnata, & Iohanne Huſſio ac Hieronymo Pragenſi duobus, huius doctrinæ præcipuis autoribus, eiuſdem autoritate combuſtis, diu intra Bohemiæ fines incluſa fuerat, excitatoris originem habuit. Vt autem hæc in Germania denuò excitarentur, occaſionem dederant, Pontificatus authoritas, qua Leo nimis licenter vtebatur, qui in ijs, quas Indulgentias vocant, quæ à Pontificibus, in ſacerdotijs & alijs rebus ſacris concedi ſolent. Laurentij Puccij, Quatuor ſanctorum Cardinalis conſilium ſequutus, nullo temporum & locorum habito delectu, per vniuerſum orbem ampliſſima priuilegia, quibus nõ modò viuis delictorum veniam conſequendi, ſed & defunctorum animas eius ignis, in quo delicta expiari dicuntur, pœnis eximendi facultatem pollicebatur, promulgat. Quæ, quia pecuniæ tantùm à mortalibus extorquendæ gratia, concedi notum erat, & à quæſtoribus huic negotio præfectis impudenter adminiſtrabantur, magnam pleriſq; in locis indignationem offenſionemq́; concitarant, & præſertim in Germania, ubi à multis ex eius Miniſtris, huiuſmodi mortuos pœnis liberandi facultas, paruo pretio vendi, vel in cauponum tabernis aleæ ſubijci cernebatur: quam indignationem auxit, quòd Pontifex, qui ob naturæ ſuæ facilitatem, multis in rebus parua cum maieſtate, Pontificio munere fungebatur, multarum Germaniæ partium, ex huiuſmodi venia exactionum emolumentum, Magdalenæ ſorori ſuæ dono dederat: quæ cùm Aremboldum Epiſcopum eius muneris, quod fert ſummam auaritiam & extorſionem exercebat, dignum miniſtrum huic exa-

Guiciardinus.

ctioni præfeciſſet, & per totam Germaniam eam pecuniā quæ extorqueretur, non ad Pontificem ſacrumúe ærarium, vnde fortaſſe vt aliqua eius pars, in bonos vſus conuerteretur fieri potuiſſet, deferri, ſed ad mulieris cupiditatem explendam deſtinatam eſſe, fama loqueretur non modò eam exactionem & Miniſtros ad eam delegatos, verumetiam eius qui tam inconſultè ea concedebat nomen, autoritatemq́; deteſtandum reddiderat: qua occaſione arrepta Lutherus hæc contemnere, & in his Pontificis autoritatem accuſare: cumq́; in hac cauſſa, populorum auribus grata, magnus auditorum numerus accurreret, Pontificis autoritatem indies magis apertè conuellere cœpit. Hæc ille. At quidni Surium etiam Monachum Colonienſem, licet nomini Lutheriano, vt omnes huius farinæ, valdè inimicum audiremus? Et quia interdum, inquit, non parui abuſus eiuſmodi euulgendis indulgentijs ſeſe immiſcuerant: indè ſumpta occaſione, Lutherus primùm in indulgentiarum immodicos quoſdam & ſordidos, ſuo duntaxat quæſtui ſeruientes buccinatores, acriter inuectus eſt, datis ad Albertum Maguntinum antiſtitem, quem huic negocio Leo Pontifex præfecerat in Germania, literis, mox etiam 95. Propoſitiones palam edidit, quibus indulgentias oppugnauit. Contrà verò Tetzelius Dominicanus 106. Propoſitiones euulgauit, Lutheranis planè contrarias. Ex hac lite ortum eſt illud immane & horrendum Lutheranæ hæreſis incendium, quo tota pene Europa poſtmodum cōflagrauit. In ipſis huius tragediæ initijs, viſus eſt Lutherus, etiam pleriſq; viris grauibus & eruditis non peſſimo zelo moueri, planeq́; nihil ſpectare aliud, quàm Eccleſiæ reformationē. Cuius quidam deformes abuſus, non parum malè habebant bonos omnes. Item poſt pauca. Et quia multa erant in Clero uitia, ea ſumma animi acerbitate omnibus propalare, & mirè exaggerare ſtuduit Lutherus, cuius, diſcipulorumq́; eius nefanda dogmata, vſq; adeò fœlices

Pecunia Indulgentiarum, in libidinem muliebrē conuerſa.

Surius

Deformes abuſus Eccleſiæ.

liceſ habuerunt multos annos progreſſus quòd nulla apud Catholicos, etiam in ipſo clero, ſecuta eſt vitæ in melius commutatio. Iſta ſunt Surij verba, eo in libro, cuius eſt inſcriptio, Commentarius rerum in orbe geſtarum ab anno Dom. 1500. vſq; ad 1574. Iam igitur clarum eſt, ne plures ſcriptores in teſtimonium vocem, quomodo Lutherus fatali illo tempore, quo Europa Latina diuturniorem ſitim Euangelij, ferre amplius nõ potuit, nec Deus publicã morũ corruptelam tollerare diutius voluit, Diuinitus excitatus vocatusq; ſit, vt eſſet paſtor atq; doctor Eccleſiæ. Dedit Chriſtus, (ſcribit ad Epheſeos Apoſtolus) alios quidem Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autẽ Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores Ex quibus quidem, hi duo poſtremi, ijdem Auguſtino ſunt epiſtola 59. Nam ad paſtores pertinet docere.

Fratrum autem Bohemorum, quorum hic vnum toties carpit Moſcus, iſthæc origo erat. Huſſo & Hieronymo Bohemis in cõſilio Conſtantienſi illo quidem, Anno nati conſeruatoris hominum 1415. Hos autem hunc ſequẽti crudeliſſimè exuſtis: gliſcere inter horum ipſorum, & Papæ ſectatores primùm odia & conuitia, deinde bella cœperunt. Ii qui Huſſo fauentes, Calicem Cænæ Domini defendebant, menſe Ianuario Anni 1420. Plures tribus millibus in puteos Cutnenſes, vbi ſunt argenti fodinæ viui præcipitati ſunt. Captus Calixtinorum ſacerdos, quinque florenis, vno laicus vendebatur quorum ora, iuſſu Iuſti Epiſcopi Wratiſlauienſis, & Baronis Sesbizofij, puluere nitrato impleta incendebantur: quidam verò in fornacibus torrebantur: alij alijs modis enecabantur. Natum hinc bellum inteſtinum, innumerabiles mortales abſumſit vſq; ad Concilium Baſilienſe, Anno 1432. Celebratum, A quo Bohemis Morauiſq;, Calix Domini eſt permiſſus. Cuius propugnatores, Pontificios vocare Antichriſtianos, ſacrilegam Eccleſiam, meretricem Babylonicam, Papam Antichriſtum,

Origo Fratrum Bohemorum, quos mali Picardos vocant.

Pſeudoprophetam, falſis miraculis ornatum, illud à vate Zacharia prædictum, poſitumq́; in templo Dei idolum, ſtultum paſtorem cœli ſacrorumq́; venditorem, veritatis Chriſtianæ corruptorem, hominum piorum interfectorem, adeoq́; illum ipſum de quo Iohãnes Abbadonem ſeu Apolyonem, hoc eſt perditorem. Hi contrà illos apoſtatas, hæreticos, transfugas, periuros: qui ſuorum ſacerdotum conſecrationem ſuffurati, veris ſacerdotibus carerent: ſed fures, latrones, & Sacramenta falſa haberent, vt Eccleſia: ita vera fide excidiſſent. Fuit illa tempeſtate, Bohemorum diſertiſſimus concionator Iohannes Rohitzana, Archiepiſcopus Pragenſis, Sigiſmundo Imperatore annuente, Anno 1435. deſignatus. Is facta pietatis hominum ſui temporis cum ea comparatione, quæ Diuinis literis tradita eſt, quæq́; eſſe in Chriſtianis debet, perſpicuè demonſtrabat, quos in errores Eccleſia Romana deuenerit, ac in quæ ſcelera prolapſa ſit, ex quo tempore, Conſtantini aliorumq́; Regum igne purgatorio territorum liberalitate prædiues facta, Phocæ Imperatoris flagitioſiſſimi voluntate, principatum in omnes alias acquiſiuit. Ego, inquit, apertè dico, Eccleſiam Romanam, Babylonem eſſe occidentalem, in qua regnat peccatum in Spiritum Sanctum. Papam verò ipſiſſimum Antichriſtum. qui tot ſuperſtitionibus ſimplicem Dei cultũ obruit ſinceræ religioni, multa de ſuo aſſiuit, multis miraculis plebem credulam, in varios errores induxit. Dæmonem in omnia Sacramenta inuaſiſſe, eademq́; vitiata, ſacrificulis quæſtuoſa feciſſe, ac homines per ea, in falſam ſalutis conſequendæ ſpem induxiſſe. Quæ in errore & mendatio ſumta, latus pons ad orcum eſſent. Eos qui viderentur, ita eſſe Chriſtianos, vti pictus Petrus, viuus habendus ſit Petrus. Verũ Chriſtianum, æquè eſſe inuẽtu difficilem, vt cum cornibus aureis in ponte Pragenſi ceruum. Sacerdotes omnes quidem eſſe raſos, ſed nõ omnes Sanctos, Pauciores, Chriſti ſectatores: pleroſq́; omnes auaros, ſuperbos, ambitioſos, luxu-

Babylon occidentalis.

luxurioſos, ſimulatores, ocioſos, qui falſa pro veris, populo proponant, vim ſoli conuenientem Deo, Sacramentis, hominumq́; meritis tribuant, ſceleribus auditores ſuperent, quorũ duces omni pietatis genere eſſe deberent. Monachos, Satanæ inſtrumenta, poſt mille à Chriſto nato annos, cùm ſoluendus erat idem malus, ad opprimendam hypocriſi veritatem, Papalem ſedem ſtabiliendam, & cibos pauperum viduarumq́; abſumendos inſtituta. Quorum clauſtra, eſſent maleficorum receptacula, veneris luſtra, ſuperſtitionis ſimulationiſq́; ſeminaria. Omnes lata ad cælum via tendere, anguſtam declinare. Magiſtratum ſcelera non punire, ſontes abſoluere, ſubiectis grauem eſſe. Paucos in ouile Chriſti, tam ſpiritualem, quàm politicum, per oſtium introire, pauciſſimos ſuis officijs ſatisfacere. In omnibus fidem viuam extinctam eſſe, caritatem refrixiſſe. Vt rem in pauca contraham, dicebat eſſe Eccleſiam, vrbi magnæ, ab hoſte vaſtatæ perſimilem. ex qua veri ciues, alij ægrè euaſerint, alij repugnãtes cæſi, capti alij, ipſaq́; facta ſit latibulum ferarum, & ſpelũca latronũ immanium, ſentibus obſita atq́; ruderibus. Cuius recuperatio & repurgatio pdiſicilis foret. Hoſtes autẽ, beluas, latrones, Papas cũ ſacerdotibus eſſe, qui eã ſenſim occupauerint, depredati vti latrones, depaſtiq́; ceu apri ſint, rudera, errores ſceleraq́; eorundem dici, ciues, illos omnes qui ſecũq́; vnquam, immoderatæ dominationi ipſorum oppoſuiſſent, falſis doctrinis reſtitiſſent, vitia reprehendiſſent, quorum omni ſeculo fuerit cunctis locis, aliquis numerus. Sed qui propemodum omnes, vel interimerentur, vel vitæ conſulentes ſuæ, laterent occulti. Plura eiuſmodi, pro ea qua pollebat facundia, in medium adferebat. Eccleſiæ captiuitatem demonſtrans, ac identidem illud Angelicum auditoribus, cùm annis ſuperioribus, tum verò 1 4 5 3. poſterioribusq́; inculcans. Exite Babylone, exite citi: ne participes ſitis peccatorum plagarumq́; eius. Quæ dum ij, qui nunc Fratres, more Chriſtiano-

Eccleſia Vrbi captæ ſimilis.

rum priſco vocantur, diu tacitè, perpenderent: ſubijt animos illorum noua cogitatio, aliam eſſe viã ſalutis, & anguſtiorẽ ad cœlum portam, præter eam quæ vulgò crederetur quærendam. Igitur cognitis Eccleſiæ, tam in doctrina quàm moribus vitijs in aliud populi Dei corpus, metu æterni exitij, Anno 1 4 5 6. coaluerunt. Poſtmodum recordati exemplo Apoſtolorum, qui fidum Matthiam, perfido Iudæ, certis ſortibus ſurrogarant: ipſimet ſibi miniſtros Eccleſiæ, ex quibus purum Euangelium audirent, eodem prorſus quo illi modo crearunt, id quod ab illis factum anno decimo poſt ſeceſſionem à Calixtinis, magna cum deliberatione: ſed maiore cum fiducia. perſuaſi Deum moderatorem ſortis futurum, quæ bono conſilio, in nomine ipſius iaceretur. Segregarant autem nouem viros, omnium teſtimonijs ornatos, è quibus Diuina maieſtas ſumeret, quos rectores eſſe ſuæ Eccleſiæ vellet. Erãt etiam chartulæ duodecim conuolutæ, in vrnam coniectæ, ex quibus, nouem vacuis tres inſcriptum verbum Eſt, voluntatis Diuinæ iudicium habebant, quæ tribus obtigere viris, adoleſcente ſingulas ſingulis porrigente. Horum igitur ordo vſq; adhuc durat, & cœtus maiorem in modum excreuit. Medulla Chriſtianorum, à quibuſdam appellatus. Ea pietas, modeſtia, charitas, cõcordia, doctrinaq; inter eos viget puritas, & genitrix bonorum morum, antiqua illa diſciplina. Multa ſemper mala ab aduerſarijs, virtutibus ipſorum quas imitari noluerunt inuidentibus perpeſsi: bis verò exiliũ. Primum Anno 1 4 8 1. Eiecti Morauia, à Mathia Rege Hungariæ in Valachiam. Deinde 1 5 4 8. Iuſsi ex Bohemia excedere, Ferdinandi Regis mandatu, deuenerunt in Poloniam. Inter ſeniores ſecundi ordinis, quos habent. 12. vt primi. 4. Eiuſdem poteſtatis & officij, is Rohita vnus eſt, cuius ſcriptum Moſcus ridiculè refellit. Sed nos de Fratribus, libris octo copioſius, quos ſi iſte homo, quid credant, quo ritu Deum colant, vtq; viuant & ament inter ſe co-

Ratio ſortiu, quæ Fratres ſunt vſi.

gnoſceret, meliora ſpero de illis ſentiret. Faxit Deus vt eorum ſimiles Eccleſias habeamus ſaltem in noſtra Sarmatia.

Mirabitur autem opinor, Moſcus, quod Pontificum, qui vel Lutherum, vel hos ipſos ad docendum conſecrarent, nulla hîc fiat mentio. Verùm nec Romanus Patriarcha, de ijs rebus quæ regnum ipſius, Chriſti Regno, plane repugnans atq; contrarium, demolituræ erant, conſuli debuit: nec conſultus, illorum ſapientum, (de quibus Chriſtus Matth. cap. 23.) conſilia approbaſſet, quos Deus hoc poſtremo ſeculo, mirabili modo in meſſem ſuam, iam maturam extruſit, & indices tot vitiorum, medicos morborum Catholicæ Eccleſiæ eſſe voluit. Vt qui hodie ferro & igne (huius enim impulſu atq; conceſſu, omnia geruntur in Eccleſia) illos omnes perſequatur, quicunq; prauos ipſius mores corrigunt, Babylonem grauiter ægrotantem curant, doctrinam Eccleſiæ vitiatam, egere emendatione dicunt. Ita quondam Paulus, ita cæteri Apoſtoli à Chriſto ad prædicandum Euangelium vocati, ſe vocanti extemplò paruerunt, minime hac de re conſulto Pontifice Hieroſolymitano, quem non ignorarunt, hoc negotium extraordinarium, omnibus modis impediturum fuiſſe. Habes iam Moſce vocatos: habes vocantem eos Deum, quorum doctrinæ veritas atq; certitudo, arcanis ſanctarum literarum confirmatur.

Papa de regno Chriſti inſtaurando non eſt conſulendus.

* * *

CAPVT 10. DE IEIVNIIS MOSCOVITICIS.

QVæ tu de ieiunio, in his mentiris: nec rem bene explanas. Chriſtus enim ipſe, ſimulac ex aquis egreſſus eſt, quadraginta dies ac noctes ieiunauit: vicitque deceptorem prædeſtinata ſua corporali Diuinitate. Item teſtes ſunt Marcus & Lucas ſuis in ſcriptis, quid idem in monte transfiguratus, ac de illo deſcedēs dixerit diſcipulis, poſtquam ad eos mutus Dæmoniacus è turba adductus eſt. Quo tēpore diſcipuli nondum perfecti, neque donorum Spiritus Sancti compotes, haud potuerūt illud Dæmonium eiicere, ipſemet id Chriſtus perfecit. Qui quidem domi ab iiſdem ſuper hac re rogatus reſpondit, non poſſe id genus Dæmonii aliter quam precatione & ieiunio expelli. Qua de cauſa, nos etiam Chriſtiani, Chriſtum Dominum noſtrum imitati, dies 40. ieiunamus his addentes Diuinam eius & paſſionem & reſurectionem. Deinde ieiunium Apoſtolorum, continentiæ cauſa nobis pręceptum, ſponte obſeruamus. Itē in honorem Deiparæ ieiunamus. Qua autem modò Apoſtolicum, eodem & aliud ante natalem Domini obimus. Præterea illa annua, diebus Mercurii & Veneris ieiunia ſeruamus. Altero enim horum die, de occidendo Domino gloriæ conſilium initum: altero idem cruci affixus eſt, quæ nos miramur. Deum celebrantes & vt conſeruator, ſalutis humanæ cauſa, ſecundum prædeſtinationem

Ieiunia.

nem mortem ſubiit perpendimus. Dolenter id ferentes, quòd creaturæ auſæ fuerint manus creatori iniicere. Maiora verò durioraque ieiunia, inſtituta ſunt continentiæ, ſubigendique corporis gratia. Sic enim Apoſtolus. Ego ita curro, non quaſi aërem verberans: ſed corpus contineo, & in ſeruitutem redigo. Ita inquam nos quoque ieiunamus, quo corpus frenemus, idéque ſpiritui ſubiiciamus, & omnes Diuinas iuſtificationes ſuſcipiamus. Sicut enim denſa nubes, conſpectū ſolis nobis aufert: ita onuſtum cibo corpus, quod eſt nube multò craſſius, præcepta Diuina intelligere, ac Chriſtum verùm ſolem videre nequit. Citas verba Eſaiæ de ieiunio. Sed audi vt Chriſtus. Væ, inquit, vobis Scribis & Phariſæis hypocritis, decimas aneti ac mentæ dantibus, poſthabitis melioribus, Lege, iudicio, fide, caritate. O cœcos duces, culicem percolantes, ſed camelum deuorantes. Conſimiliter Apoſtolus. Ne inebriamini vino, in quo fit error, atq; alia mala. Homo enim ieiunio ſobrius factus, & aptior fit ad omnia bona opera, & ad mutandos affectus vitioſos, ſtipem pauperibus dandam, cæteraque opera pacis, beneuolentiæ, concordiæ, caritatis exercenda promtior. Qui autem non ieiunant, ii nihil iſtiuſmodi præſtare poſſunt. Legimus & de Ionano, in vrbe Niniue, Aggeano, ac de illo ab Achabo indicto, poſtquam occidit Nabotū deque aliis ieiuniis. Quemadmodum Dauid dixit. Cùm eos Deus diſperderet, tum eum quærebant, & mane ad ipſum reuertebantur, tuncque recordabantur adiutoris ſui. Quem ore quidem atque lingua diligebant: at in cordibus eorum, non erat erga illum veritas, nec ipſi fidi, in teſtamento eius fuerunt. Multa alia eius rei exēpla, in ſacris literis reperies. Porrò quæ ex epi-

ſtolis, Pauli ad Timotheum, de falſis prophætis, & deceptoribus, poſterioribus venturis temporibus adducis: hæc omnia vos ipſi ſectamini, viui capti, vt ibidem ait Apoſtolus laqueis Diaboli, ad eiuſdem volũtatem. Plura ibi ſcribuntur, qua de re ſatis eſto.

AD CAPVT 10. LASICIVS DE Ieiunio.

LAudanda ſunt ſanè ieiunia Chriſtiana, ſi abſit ſuperſtitio. Sunt enim illorum in Sacris Biblijs exempla, nobis ad imitandum relicta: ſunt de ſeruandis ablato ab Eccleſia ſponſo dicta ſunt magnæ vtilitates: quas inter hæc maxima, quòd ijs petulantia corporis reprimitur, & mens humana, ad ſupera eleuatur. Verùm ſi ea abſq; fide fiant, neq; ij qui corpori ſuo pabulum ad tempus ſubducunt, Dei tunc opem multò quàm antè magis implorent, non mores emendent ſuos. nec in egentes liberaliores ſint: ſi non minus permittant iræ ſuperbiæ libidini, auaritiæ ſimilem illis fructum allatura ſunt, de quibus Ierem. 14. Cùm ieiunauerint, non exaudiam clamorem eorum. Et Eſaiæ 58. Ieiunauimus ſed non aſpexiſti, afflximus animas noſtras verùm tu non noſti. Si quotidie huc conueniamus, ſcribit Chryſoſtomus, ac totam Quadrageſimam ieiunemus ſed non mutemus vitam in melius: maioris damnationis occaſio nobis erit. Hæc de ieiunio XLa. Homilia 73. Similiter iuris Canonici Diſt. 86. Quid prodeſt ieiunare viſceribus, & luxuria

xuriari venatibus (ſeu veneribus) abſtinere à cibis, & errare peccatis? Habuerunt olim Gentiles quoque ſua ieiunia, vt ex Herodoti lib. 4. De Iſidis ieiunio, Apuleij libr. 11 Senecæ Epiſtola penultima lib 2. alijsq́; ſcriptoribus patet. Habent hodie Turcæ Tartari ſua atque Iudæi, quæ nec edentes nec bibentes, vſque ad veſperum obſeruant: (quo modo etiam Aethiopes Chriſtiani in India ieiunant.) At quia neque fide, neque ſpe, neque caritate præditi ſunt, nō poſſunt placere Deo. Non propter ieiunium Mahometicum, vſque ad conſpectum veſperi productum Leonardo Chienſi in Hiſtoria, expugnatæ Anno 1 4 5 3. 29. Maij Conſtantinopolis, id teſtante, ſubiecit Deus Conſtantinopolim Turcicæ poteſtati: ſed iratus male ieiunantibus atque viuentibus Chriſtianis. Ieiunant & Moſci, vt hic legis, Ruſſiq́; noſtri: ſi vtroſque bene noris, & paucos excipias, nomine tenus Chriſtiani: verùm conſuetudine magis quàm voluntate: ignari cur ieiunent, aut quomodo ſit aliter ieiunandum quàm carnibus non veſci. Cōſtantinopolis expugnata.

Cæterùm iſthæc corporalis exercitatio, paululum habet vtilitatis: pietas verò ad omnia vtilis eſt. 1. Timoth. 4. Quæ eſſe in non ieiunante poteſt. Et Sanctus Nilus libro de vitioſis 8 cogitationibus. Ad plenam, inquit animæ puritatē adipiſcēdam, parum virium habet ciborum abſtinentia, niſi cæteræ virtutes accedant. Veriſſimè hæc vterq́;. Quid enim iuuat abſtinere ſe aliquot horas cibo & potu ſi interim animo deuores, haud temerè à te diſſentientem Lutherianum? Miſericordia Deo magis, quàm ſacrificium placet. Matth 12. Quæ porrò miſericordia atque pietas eſt in Moſcis, vt noſtros nunc Pontificios prætercam? Nihil eſt illis ſuperbius, nihil in contractibus fallacius nihil vicinis nocentius, nulli penè à puriori religione, magis auerſi: nulli ſuperſtitioſiores, magis doloſi minus exorabiles. Honeſti ſi qui ſunt amantes, metu id faciunt pœnarum, quas extemplò delinquentes luunt, præſer- Quales ſunt Moſci

tim ebrij. Affligit etiam ipſemet Princeps, ſiue Czarillorum, inedia corpus, delectúmque ciborum facit. At interea nec vinctos laxat, (quorum duriſsimi carceres, quos Turmas appellant, ſemper pleni ſunt,) neque vllum crudelitatis genus, leui de cauſa, tam in ſuos quàm vicinos omittit: neque appetentiæ rerum alienarum facit modum: ſed quæcunque cupit, aufert, impoſita inſonti calumnia, cum fortunis, etiam vitam.

Anno factæ mortalibus gratiæ 1 5 6 9. Captos in Isborg Arce Liuonica, Trecentos Nobiles Polonos, orſus ipſe deteſtabili immanitate, venabulo cædem ſuo in conſpectu contrucidari iuſsit. Vbi ni filius, patri ſuccurriſſet, manu cuiuſdam Poloni, tantus Tyrannus periiſſet. Sauiciæ cauſam fuiſſe ferunt, quòd ipſi imago Sanctæ Mariæ Vilnenſis, venuſtè depictæ, quam tot capitibus emptam eſſe cupiebat, à Sacerdotibus diu denegari videretur. Nec minus idem deſæuire voluit in tres Monachos, veritatis Euangelicæ amore captos, Anno 1554. niſi ſe fuga celeri à Moſcouia in Lituaniam recepiſſent.

Moſcorum Dux filiū occidit.

Occidit idem vti Herodes, Macrobio teſte, Filium ſuum, Anno 1 5 8 1. exeunte, eam vt fertur ob cauſam, quòd ſe ad pacem cum Rege Poloniæ componendam, & thoros alienarum vxorum vitandos, identidem ab eo moneri videret. Quid illos commemorem, quorum pedes ſcipione ferrato, quo vtitur, quaſi iotans cum ipſis, terræ affixit? Scribit & Michalo Lituanus fragmine tertio. de emendanda Repub. Lituanica, hunc eundem Principem, iactare ſeſe ſolere, quòd tres & ſeptuaginta arces Lituanicas occupet. Adeò iniuſto, & fero homini, prodeſſe quis vel longiſsima ieiunia dicet? Nequaquam ea talibus proſunt. Nam ſanguinarios, & fraudulentos abominatur Iehoua Pſalm. 5. Et tamen ea hic enumerat, nempe eodem animo, quo ille ſuperbus Phariſæus Lucæ. 18. Ieiuno, inquit bis in hebdomada: decimo

quæ

quæcunque poſsideo, Quæ res, quantum conferant ad iuſtitiam apud Deum conſequendam, niſi ſit in ieiunante Chriſtiano, cor ſummiſſum, & amore proximi feruens, Chriſtus ibidem pronunciat. Deſcendit hic telona iuſtus domum ſuam, potius quàm Phariſæus. Legat qui poteſt, de immemorabili iſtius hominis, in ſuos ſubiectos crudelitate, librum Alexandri Guagnini de Sarmatia, primò ſcriptum Polonicè, ad Sigiſmundum Auguſtum Regem noſtrum, ab Alberto Schlichtingo nobili Germano, qui in Moſcouia ſeptem vixit annos: vbi talia ſunt multa, extremæ ſæuiciæ exempla, quæ Phalaridis, Mezentij, Herodis, Neronis feritatem ſuperant. Obſequuntur tyranno ſatellites, licet longa inedia penè enecti: qua quidem Chriſtum, Moſem, Eliam: At actionibus ipſum Diabolum, à principio rerum homicidam factum imitantur. Nam magnam anni partem, id eſt, viginti hebdomadas, ieiunijs tranſigunt, quo tempore, ſingulis ſeptimanis, in diuerſis tamen templis, Cœnam Dominicam ſuo more celebrant.

Primùm autem, vt & ego dicam hæc planius, ante Natalem Domini ſex hebdomadas ieiunant, à carnibus, butyro, caſeo, ouis abſtinentes, leguminibus contenti. Deinde octo ante Paſcha, vti Sanctus Baſilius, quem plurimi faciunt, præſcripſiſſe putatur.

Tertiò quatuor, ab octaua Pentecoſtes, vſque ad ferias Petri & Pauli.

Quartò à Kalendis Auguſti, vſque ad obdormitionem, (ſic ipſi dicunt) Mariæ virginis, quatuordecim dies. Nos verò, quos iſte oppugnat, quid hac de re? Illud quod ſcribit beatus Hieronymus in regula Monachorum, tomo quarto. Parcus cibus, triduanis ieiunijs præfertur. Multò enim melius eſt quotidie parum, quàm raró ſatis ſumere: nihil prodeſt, biduo triduóue transmiſſo, vacuum portare ventrem, ſi pariter obruatur, ſi com-

penſatur ſaturitate ieiunium. Etiam ex viliſſimis cibis, vitanda eſt ſatietas. Similiter Didacus Couarruuias Toletanus. S. Dominici Archiepiſcopus. Incidit, inquit, quæſtio inſignis, quæ vtinam neceſſaria non eſſet, an hi ſeruent ieiunia iure inſtituta, & præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant, qui ſemel comedendo, tantum cibi accipiunt, tot cibarijs & condimentis vtuntur ad ingluuiem vſque, vt nullam carnis afflictionem ſentiant, imo gulam impenſiſſimè irritent, libidinem excitent: tantum cibi ſumentes vnico prandio, quantum ſit tribus hominibus ſatis, ad congruam eorum ſuſtentationem.

Etenim multis rationibus, non temerè poteſt aſſeuerari, hoſce homines ieiunij præcepto non ſatisfeciſſe. Hæc Didacus Hiſpanus variarum reſolutionum, ex iure Pontificio & Cæſareo. lib. 4. cap. 20. Vbi has ipſas rationes, male ieiunantium oſtendit.

Proinde nobis perpetuum ieiunium eſt, inquit, OEcolampadius vt abſtineamus à peccatis ac intẽperantia: ne ue grauentur corda noſtra crapula & ebrietate. Neſcimus ex præcepto Diuino vel dierum vel ciborum delectum. Tametſi quo ſincerius precemur, etiam à cibis non interdictis, non ſine fructu abſtinemus. qua cauſa moti patres. 40. dies ante Paſcha ieiunio conſecrarunt ſed in hoc opere, nec pietatem, nec pro peccatis coram Deo ſatisfactionem cõſtituendam arbitramur, vt quidem, neque ieiunantes, neq; manducantes condemnamus. Ieiunium enim ἄσκησις eſt, hoc eſt exercitatio, quæ non omnibus ex æquo conuenit. alius ſic, alius aliter ad orandum præparari ſe magis experitur, alium inedia placidiorem, alium inquietiorem reddit. Viderint quique vt eam viuendi diætam deligant, qua ad Diuina capienda magis idonei efficiantur.

Heluetiorum de ieiunijs ſententia.

En moderatam de ieiunio ſententiam vnius illorum, qui Euangelici vocantur. in cap. 10. Danielis. A quo cæteri minimè diſſenti

diſſentiũt. Sed ſatis erit pro omnibus, confeſſionis Auguſtanæ verba, ex capite de diſcrimine ciborum his adſcribere. Vera, inquit, & non ſimulata mortificatio carnis, eſt tolerare crucem, verſari in periculis, ærumnis & afflictionibus. Huius generis obedientia eſt cultus Dei, & opus ſpirituale. ſicut docet Pſalmus. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Docemus præterea aliud genus exercitiorum neceſſarium eſſe. Quilibet Chriſtianus etiam corporali diſciplina, laboribus, temperantia, meditatione Diuinarum rerum, & alijs exercitijs aptis ætati, cohercere carnem debet. Horum finis proprius ac proximus eſſe debet, ne ſaturitas aut deſidia extimulet ad peccandum: & vt mens admonetur, & fiat aptior ad affectus ſpirituales. Non eſt ſentiendum, hæc exercitia cultus eſſe, qui mereantur remiſſionem peccatorum, aut ſatisfactiones eſſe. Et hæc diſciplina debet eſſe perpetua: nec poſſunt præſcribi certi dies pariter omnibus. Germanorum.

Itaque non vituperamus ieiunia, ſed ſuperſtitioſas opiniones, & laqueos conſcientiarum in traditionibus. Hæc ita Germani Euangelici, ad Carolum Imperatorem, Anno ſalutis humanæ. 1530. Simili modo Fratres Bohemi, apologiæ Veræ doctrinæ quinta parte. Ieiunia de quibus Sacra ſcriptura memorãt, religioſè cuſtodimus, & alios ſeruare docemus. Primùm, vt quiuis fidelium, iuſtum in cibis ac potionibus modum, inque ſomno, ac in omnibus huius vitæ delectationibus ſeruet. Secundo ieiunandum docemus, cùm tentatio ingruerit ebulientibus carnis cõcupiſcentijs, & regnum ſibi in corpore vendicantibus, ob nimiam rerum abundantiam. Tertio, vbi vel toti Eccleſiæ noſtræ, vel parti eius imminet periculum, ac neceſſitas, oriturq́; perſecutio ab impijs. Bohemorum.

Tum vnanimi conſenſu conſtituitur tempus, quo ad Deum omnis miſerationis parentem recurramus ieiunijs & prædicationibus, hunc ſibi propicium facturi. Sed in ieiunijs nulla eſt apud

nos eſculentorum differentia, vt alios mundos, alios immundos & & prophanos habeamus. nihilominus iuxta regionum conſuetudines, hominumq́; quibus cum habitamus rationem, quibuſcunque illi vtuntur eſculentis, quouè tempore, iiſdem & nos ſumus contenti, ne cui ſimus offendiculo, aut tumultuum occaſio. Ex his, cuiuis colligere licet, quæ ſit apud eos qui Euangelici ſiue Lutheriani cognominantur ieiunandi ratio. Et tamen Moſcus vni ex eis idem profitenti Rohitæ, inuerecundo ore mendacium obiicit.

Quòd ſi quis noſtrum libertate abuſus Euangelica, ſuum quotidie aqualiculum & cibo & potione ad ſatietatem impleat, quis hoc Dei timens probauerit? Pii enim, illorum mandatorum memores ſemper ſunt, Cauete, ne quando grauētur corda veſtra, crapula & ebrietate. Item, ne contriſtate Spiritum Sanctum, qui in vobis eſt Et vnuſquiſque ſciat vas ſuum poßidere:

Præcepta de ieiunio.

Præterea, vt vacetis ieiunio & precibus, rurſus. Cum ablatus fuerit ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt. Adhac, approbamus nos vt Dei miniſtri in laboribus, in ieiuniis. Idem, In vigiliis ſæpe, in fame & ſiti, in ieiuniis ſæpe 2. Corinth. 6. & 11. Quod quo animo fecerit, docet 2. Theſſ. 3. Vt noſmetipſos, inquit, pro exemplari exhibeamus vobis, ad nos imitandos.

* *

*

CAPVT

CAPVT II. DE LITVRGIA ET SANCTIS inuocandis.

QVod tu de precatione ſcribens, Sanctos in auxilium vocare negas, nec Liturgiam audis: ad hæc, etſi iam ante reſponſum ſatis ſit, tamen hîc etiam breuibus agemus, Si tu, quod electam ouem decuit, in fundamento Chriſti ædificio ac ſepimento Apoſtolorum permaneres, nequaquam eorundem mandata violares, quæ ſi violas, non tantum hædus verumetiam raptor es & lupus. Etenim hæc in Euangelio dicuntur. Qui ouile tranſcendit, is eſt fur & latro. Item Sanctus Iohannes. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, alioquin manſiſſent nobiſcum, Rurſum. Qui non permanet in Doctrina Chriſti, is Deum non habet, & eſt Antichriſtus, memento igitur illius quod Lucas habet. Spernere hunc, Chriſtum qui Apoſtolus ſpernit, Cæterùm quòd à Matthæo ſcriptũ legitur. Domino Deo genu flectes, ac huic vni ſeruies. Verba ſunt Chriſti ad Satanam. Iam etiam ſupra ſcriptum à nobis eſt, fas eſſe vt Sanctos inuocemus. De Liturgia ſatis in Euangelio perſcriptum. Deinde Sancti Apoſtoli atque Patres, & preces & modum eius obeundæ conſtituerunt, niſi forte eam, ſimplicem panem, & vinum eſſe exiſtimas. At quomodo mortis Domini memoria recoletur, niſi celebretur Liturgia? Apoſtolus eniam epiſtola ad Corinrhios, inquit. Accepi *Liturgia.*

à Domino, quod etiam tradidi vobis. nempe Dominum ea qua proditus eſt nocte, panem acceptum benedixiſſe, fregiſſe ac dixiſſe, accipite, hoc eſt corpus meum pro vobis frangendum. hoc facite in mei memoriam. Similiter & calicem. Hic calix, noua eſt lex in meo ſanguine. Hoc facite. & vbicunq; biberitis, mortis Domini memoriam colite. Similiter Ieſus Chriſtus, antequàm pateretur requieſcēs cum. 12. diſcipulis ſuis, allocutus eos eſt. acceptumque panem, dictis laudibus frangebat, iiſdemque hiſce cum verbis impertiebat, Hoc eſt corpus meum, quod vobis traditur, hoc in memoriam mei facite. Conſimiliter & calicem à cœna dicens. Hic calix, noua lex meo ſanguine, qui pro vobis profunditur. Ita enim apud Lucā, Mattheum, Marcum loquitur. Hic eſt ſanguis meus nouæ legis, qui pro multis effunditur, propter remiſſionem peccatorum. Aduerte ergo animum, vt non poſſit fieri memoria Domini, niſi ſit Liturgia. Quod vt ſuos diſcipulos facere doceret, preces ad Deum laudans eum, tam hic quàm Lazarum excitaturus habuit, quare ſi quis Liturgiam non obit, is non recolit mortem Domini: eſtque Antichriſtus & euerſor fidei Chriſtianæ. Ad hoc electum illud vas ait, omnia pura fieri ſanguine ſecundum legem, nec abſque effuſo ſanguine eſſe remiſſionem. Quacunque verò re commemoratio peccatorum agebatur, non fiebat eorum abſolutio ſine ſanguine agnorum, atque caprarum, tum dixit, ecce veniet, vt faciat voluntatem tuam ò Deus. Primum aufert, vt alterum ſtatuat, qua voluntate, id eſt, oblatione corporis Chriſti illuminati ſemel ſumus. Percipiſné quàm dignum ſit, vt Liturgia obſeruetur atq; audiatur? Quod facere detrectantes, hæc ſequitur comminatio. Voluntariè

peccan

peccantibus,inquit,poſt acceptam rationem & veritatem non relinquitur hoſtia pro peccato:ſed manet eos terribilis expectario iudicii,& ignis Zelus,aduerſarios deuoraturus,& cætera.

AD CAPVT II. LASICIVS DE INVOcatione Sanctorum, Miſſa, & Cæna Domini.

SAnctos vita hic functos, inuocandos eſſe, nec antea probauit Moſcus, nec vnquam probaturus pijs eſt. Qui enim illos inuocat, hunc in ipſos, credere neceſſe eſt. Quomodo inuocabunt, inquit, Paulus, in quem non crediderunt? Rom. 10. Maledictus autem omnis eſt, qui fidit homini, & collocat in carne præſidium ſuum Iere. 17 Quod, ſi qui ſe facere negant verbis, certum eſt tamen ita eoſdem de mortuis perſuaſos eſſe quaſi degentes in cœlis, preces viuorum audirent in terris. rem ſoli Deo, vbiq; præſenti, & omnia intuenti audienti, ſcienti, agenti propriam. Eſt autem hæc ſpecies idololatriæ non poſtrema ſpem ſalutis auxiliju̍e ponere in alio præter Deum. Ne id dicam fateri Auguſtinum neſcire mortuos quid hic agatur. cap. 15. De cura pro mortuis. Commemoratum etiam ante hoc eſt, vnicum eſſe noui fœderis ſequeſtrum, cuius gloriam atque officium, transferre ad ſanctos homines nefas Idemq; à diſciplinis, de ratione precandi compellatus, non vllum ſanctum, ſed ſolùm Patrem cœleſtem inuocandum eſſe ipſos docuit. Inuocatusq; ipſe ab iiſdem, ab illis de quibus in Actis, à latrone & Stepha-

no morituris fuit. non ſucceſſit illa diuiti epuloni Abrahami inuocatio. Porrò ſi qui inuocatis Diuis, voti cōpotes fiunt: nō eſt ideo hoc beneficium, ipſis vendicandū. Homo veſanus, hominem abſentem vt ſe iuuet inclamat: ꝙ Deus nunquā ocioſus præſtat. Non Moiſes dedit vobis panem: ſed Pater meus Iohan. 6. Inuocat & Romulus Iouem, quò Sabinos hoſtes arceret, Romanorum fugam ſiſteret. vt Liuius lib. 1. memorat. Quod, etſi ita accidit, non eſt tamen credendum à Ioue, ſed ab Ioua Deo verò, dicente alicubi: Ego ſtare facio, & in fugam conuerto: à me ſunt conſilia & auxilia: quique iam quartæ Monarchiæ fundamenta iaciebat, illam Romanorum victoriam profectam fuiſſe. Huius enim ſolius prouidentia, regitur mundus. Nec quia Helpis ille in Africa, teſtante id Plinio lib. 8. cap. 16. Conſpecto leone hiatu minari, Liberum Patrem inuocabat, eius ope liberatus fuiſſe periculo credendus eſt, alius hoc auxilium fuit. Deus, inquit, præteritis ætatibus, permiſit omnes gentes ſuis ipſarum vijs incedere. tametſi non ſe reliquit, non teſtatum benefaciendo nobis. Acto. 14. item 17. Deus non manibus hominum colitur, alicuius rei egens. Quum ipſe det omnibus vitam, & habitum & omnia. ad Timotheum quoque cap. 6. Deus viuus, præſtat nobis abundè omnia ad fruendum. Adeò vbique ac ſemper, is vnicus dominator, dat omnia omnibus mortalibus. Quæ ineptè & imperitè profert Moſcus ex arcanis Chriſtianæ religionis, quaſi de nobis ſcripta, ea prætereo. Nam altercandi non eſſet finis. Num patribus, ſimpliciſſimæ Liturgiæ, (vox ea miniſterium publicitus exhiberi ſolitum ſignificat) à Paulo & tribus Euangeliſtis deſcriptæ, addere quidpiam licuerit, de hoc in præſentia non diſputo. Extat enim regula vniuerſalis. Fruſtra Deum coli doctrinis hominum. extat & alia. Nihil verbis Dei addendum, nihil detrahendum eſſe. Non fecit hoc in antiqua lege Moſes, non Aaron, nec vllus Propheta. Non eſt enim diſcipulus ſupra magiſtrum

Nihil eſt inſtitutis Dei addendum.

ſtrum: & eum quidem talem, qui neceſſaria non omiſit. Cur igitur hoc in noua Lege faceret Baſilius, Gelaſius, Innocentius, Vrbanus, Gregorius Papæ? Nouimus autem, quod quis horum Cænæ Domini, de ſuo annexuit. Hic gloria in excelſis. Illi, Surſum corda alius. Te igitur. Quidam, Sanctus Sanctus. Alius, aquã vino miſcendam. alius ignem, clara luce excitandum cenſuit. vſq; eo, vt hodie res Diuina parum differat ritibus, à Moſaico illo ſacrificio. Et quidem omnia Latinè apud non Latinos, Germanos, Hungaros, Sarmatas. Nuda, inquit, ab initio omnia, & ſimpliciter myſteria à Chriſto tradita, inter Apoſtolos tractabantur. Nuda omnis cæremoniarum ratio, plus pietatis habens quàm apparatus. auxit inde hæc myſteria Iacobus Hieroſolymitanus Antiſtes, Auxit Baſilius, alijq; alia ſubinde inſtituere. Hæc Polydorus de inuentoribus rerum, lib. 5. cap. 10. Egregiam verò precationem, memoriæ oblati ſemel pro peccatis hominum Filij Dei adiunctam. Offerimus tibi Domine calicem ſalutaris: tuam deprecantes clemẽtiam, vt in conſpectum Diuinæ maieſtatis tuæ pro noſtra & totius mundi ſalute, cum odore ſuauitatis aſcendat. Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc ſacrificiũ, tuo ſancto nomini præparatum. Suſcipe ſancta trinitas, hanc oblationem, quàm tibi offerimus ob memoriam paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis Ieſu Chriſti, & in honorem omnium ſanctorum. Scilicet, offerendo, non autem manducando atq; bibendo, mors Domini recolitur: & Deo parandum eſt aliud, præter ipſummet Chriſtum ſacrificium, quod in cœlum perferatur: atq; calix pro mundi ſalute offerendus eidem. O impietatem, eo minus tollerãdam, quòd verbis, memoria vnici illius ſacrificij refricari dicatur: re ipſa aliud è pane & vino, Deo offerendum conficiatur. Quod etſi Auguſtinus quoque de fide ad Petrum cap. 19. Eccleſiam Catholicam facere dicat: tamen ibi nihil horum quæ hic audimus meminit. Sed id tantùm. In iſto

Canon Miſſæ.

inquit.ſacrificio panis & vini, gratiarum actio, atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. Id quod & nos agimus. etſi non Deo, ſed ſeruis Dei, ſacramentum corporis ſanguinisq; filij eius, iuſſi ab eo offerimus. Item hæc leguntur in miſſa pro quacunq; neceſſitate. Da miſericors Deus, vt hæc ſalutaris oblatio, & à proprijs nos reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur aduerſis. Quo quid magis impium dici potuit? addunt etiam hæc ijdem profectò mente capti. Suſcipe Sancte Pater æterne Deus, hanc immaculatam hoſtiam: quam ego indignus famulus offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis, viuis atque defunctis. vt mihi & illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam. horreſco hæc referens, quibus impurus ſacrificulus, id ſibi ſuoq; panis arrogat cruſtulo, quod eſt Chriſti proprium, qui ſe pro mundi peccatis tam præteritis quàm futuris Deo obtulit: nullo omninò ſuper hac re accepto Diuino mandato. Ad hæc negat homines expiatos à peccatis eſſe corpore Chriſti: niſi idololatria pollutum panem, Deo ſeu toti Trinitati ob id quotidie offerat. quẽ errorem refellit Apoſtolus, ad Hebr. cap. 7. 9. 10. Et tamen hodie impudentiſſimè defenditur, nec abſq; peccato in Spiritum S. veritatem homines docentem. Hercle ij parum diligenter, vim ſacrificij Chriſti, certiſſimi contra omnia peccata remedij perpenderũt, qui hæc noua, & ſacris ignota literis piacula, non euchariſtica, ſed propitiatoria excogitauerunt. Quamobrem rectè Gilbertus Cognatus, Eraſmi quondam Amanuenſis, lib. 3. narrationum Ad Miſſæ inquit vſum ſunt Canones diuerſi conditi. Primus à Gratiano: quem Gregorius nonus Anno 1227. & poſt eum Bonifacius octauus, circiter annum 1300. nouis & terribilibus blaſphemijs auxerunt. Veriſſimè id Cognatus. Nam quid? an vlla maior hæc blaſphemia fingi potuit, quæ in Canone Miſſalis Cracouienſis,

uienſis, Anni 1 5 0 9. hiſce verbis perſcripta legitur? Oramus te Pater, vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua. Memento famulorum tuorum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, memoriam venerantes omnium Sāctorum tuorum, quorum meritis precibusq́; concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, quæſumus placatus accipias, benedictam acceptabilemq́; facere digneris, vt nobis corpus fiat, Filij tui Domini Ieſu Chriſti: iube hæc perferri per manus Angeli tui ſancti in ſublime altare tuum, in conſpectu Diuinæ maieſtatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione, ſacroſanctum Filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. Hæc ſacroſancta commixtio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, fiat mihi & omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & ad vitam æternam promerendam & capeſſendam præparatio ſalutaris. Domine Sancte Pater, da mihi hoc ſacroſanctū corpus & ſanguinem filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti, ita ſumere, vt merear per hoc, remiſsionem omnium peccatorum meorum accipere, & tuo ſancto Spiritu repleri, Libera me per hoc à cunctis iniquitatibus, & vniuerſis malis meis. Sed quid ego adeò putida commemoro? fugiendi templa, in quibus hæc, ſumma cum ignominia Chriſti fiunt, an non ſatis iuſta eſt cauſa?

Liturgiam Fratres Bohemi, melius Moſcis mea ſententia obeunt, quater in anno, Abſonum quoddam, & præceps murmur, ſola corporis theatrica agitatione conditum, apud Ruſſos ſiue Moſcos audias. Feruentem Dei cultum, lentis omnis Eccleſiæ vocibus, geſtuq́; modeſto, declarari apud Fratres videas. Ibi ornatus Aaronicus, tintinabulorum campanarumq́; creber pulſus, gem- *Liturgia Moſcouitica & Bohemica.*

marum, argenti, ignis clara die ſplendor, oculos aureſq́; ſpectatorum præſtringit, & ſacrum venerabile multis cærimonijs fit: Hic ſimplici modo, nullius organi pulſu, noto omnibus cantu, puris ad ſolum Deum precibus, perpaucis ritibus, res Diuina, menſa inſtrata ſic agitur, vt etiam profanus ipſa pietate hominum moueatur. In Moſcouia (vt me quædam docuit, vir eximius Daniel Printz, Nobilis Sleſius, Anno 1575. Ab Imperatore Maximiliano, ad hunc ipſum Moſcorum Ducem legatione functus) Myſta ex adyto parietibus à plebe diſtincto foras prodiens, manu in capite calicem tenet populo flexis capitibus, Hoſpodi pomilui id eſt, Kyrie eleyſon vociferante. Quod & in noſtra Ruſsia vidi. Deinde per alias, in idem ſacrarium redit fores. Eodemq́; rurſus ad Sacra peragenda egreſſo, & panem fermentatum cum vino rubro (talibus enim vtuntur) conſecrante, canunt doctiores quiq́;, lingua vulgari vnà cum clero, addentes ſymbolo Niceno hæc verba. Et in Spiritum Sanctum, verum & viuificantem, qui ex Patre procedit: quem cum Patre & Filio adoramus. Durante liturgia, populus identidem clara voce repetit Hoſpodi pomilui. Si rubrum deſit vinum, ſuccum ex pomis expreſſum, baccis quibuſdã rubris tingũt. vino aquam calidam, quòd talis è latere Chriſti fluxerit, infundunt. Panem ſacratum calici intritum, cochleari argenteo. è manibus myſtæ calicem tenente hauriunt, quem & puerulis triennibus, hæc dicẽtes ingerunt: Telo kriſtono przimite, i Stocznika beſmertneho vkuſſite. id eſt, Corpus Chriſti accipite, & ex fonte immortali guſtate. Nam verbis conſecrandi eam vim tribuũt. Scribit Ioannes Faber, vt poſtquàm prolata fuerint, creaturam creatori cedere exiſtiment. Quòd, ſi verè ſit, quæro cur non ceſſit creatori venenum, à Monacho Dominicano Senenſi, pecunia corrupto, clam in calicem immiſſum (Annus erat 1313.) cum Henricus 7. Imperator, hauſto ſacramento perijt? Si quis id, quam-

Venenum in Sacramẽto porrectũ.

uis

nis hiſtoricis aientibus negauerit, is faciat licet eius rei etiam hodie periculum: vbi videmus, non ſpeciem tantùm vini & panis ſed ipſummet vinum & panem permanere in ſacramento. Quod Moſci non circunferunt, ita vti latini ſolent. Verè Eraſmus Roterodamus, ad Iodocum Decium lib. epiſto. 22. Nullum inquit, reperio locum in ſcripturis Diuinis, vnde certò conſtet, Apoſtolos conſecraſſe panem & vinum in carnem & ſenguinem Domini. & lib. 26. ad Cutbertum. Nuſquam in Canonicis literis inuenitur, vbi Apoſtoli certò conſecrauerint corpus Domini. ſicut nunc conſecratur in altari excepto vno loco. 1. Cor. 11. & tamen in 10. cap. vnde fluxerat hic Pauli ſermo, non videtur agi de conſecratione ſacerdotali. panem liturgiæ deſtinatum, quemq́; vetula pinſit, Praſcuram Moſci appellant, opinor à Græco πρόσφορα oblatione, in cuius circuitu, ſupra crucem hæc leguntur. Ieſus Chriſtus Czar gloriæ. Czar autem illis nomine à Cæſare deducto, Rex eſt: & hunc ſibi Moſcus titulum vendicat. Peracto ſacro panes, ex quibus ſunt particulæ exciſæ, aſtantibus diſtribuuntur. Quæ autem ſuperſunt conſecrata: ea in vſum, & peregrè euntium & morientium ſeruantur. Tum enim fruſtulum, vino ſuperinfuſo emollitum, quaſi quoddam viaticum expetētibus datur. Hæc paucis lectoris gratia, de liturgia Moſcouitica. At verò Fratribus Bohemis, panis & vinum in ſacra ſynaxi, hoc album vel rubrum, ille infermentatus, ac triticeus, corpus ſunt & ſanguis Domini. Non mutatis ad verba ſacrificuli, ſuis naturis, alioqui ſacramenta eſſe deſinerent: verùm ideo, quia tum ea Chriſtus, id eſſe voluit. idem credituri vel de lapide ſi eum Chriſtus corpus ſuum appellaſſet. non naturaliter, dixêre ipſimet in Sinodo Lipnicenſi Anno 1558. Cùm hoc à natura ſua non habeāt, ſed ſacramentaliter, per atributionem Domini atq́; inſtitutionem autoris. quæ facit vt, efficaciter ſignificent, repreſentent atq́; exhibeant id, quod eſſe di-

Fratrum ſententia de Cœna Domini.

cuntur. Sedet tamen illis in cœlis homo Chriſtus: non illinc ante ſupremum diem in terras deſcenſurus. quem hîc eſſe corpore quibusdam monſtrantibus, edocti ab ipſomet non credunt, Coniunctione hypoſtatica, confundi naturas in eo negant, dicenti ſe aliquando abfuturum à nobis, & tamen futurum nobiſcum ſemper, fidem habent. Rediuiuo datum eſſe eiuſmodi corpus ſentiunt, quod quidem humanas infirmitates, non tamen ipſam naturam exuerit: non Diuinum, vt vbiq; ſit, ſed ſpirituale factum ſit, vno in loco tam antè quàm poſt reſurrectionem fuerit. ſurſum vere aſcenderit. Viſus in cœlo à Stephano, auditus illinc loquens à Paulo, indidem ſemel exſpectandus ab omni hærede cœleſti. Supereſt, vt vnuſquiſq; prudens conſideret, num ij qui hæc ita agunt, verba Chriſti ſimpliciter accipiunt, & populo Euangelium, magna cum innocentia nunctiant, Antichriſti infideles hæretici ſint, in tenebris verſentur, Apoſtolos aſpernentur, doctrinam eorum violent, atq; ouile Chriſti furtim tranſcendant.

CAPVT 12. DE SANCTIS ANTE CHRISTI aduentum ac de ijſdem ſimul cum Chriſto, mediatoribus venerandis.

CRebrò tua de mediatore Ieſu Chriſto inculcas. Tu verò hæc accipe, quæ tam de Chriſto, quam diſcipulis eius, Patribuſque ſanctis in Bibliis leguntur. Videlicet, Deum principiò creaſſe cœlum & terram, omniaque quæcunque

que vel videntur, vel videri nequeunt. Deinde Adamum cum Eua, datis ipſis vivendi mandatis, quæ tranſgreſſi, morte ſunt damnati, è deliciis paradiſi pulſi, & ærumnis ſubiecti. Tum Cherubin, ignito ferro inſtructus, portas Eden, ne quis introiret cuſtodire iuſſus. Non tamen ideo, (ne id forte exiſtimes) quaſi quis Dei aduerſarius, illud paradiſi domicilium, vi occupare poſſet: ſed vt Deus iram ſuam aduerſus homines oſtēderet, A quo tempore mors & peccatum, dominata ſunt, etiam illis hominibus, qui non peccauerant, nempe ab Adamo vſque ad Noe. & ab hoc ad Abrahamum, hinc ad Moiſem, ab hoc ad tempus natalis Chriſti. quemadmodum Paulus ad Hebræos differit. Sancti, inquit, omnes, qui fide debellarunt regna, confirmati fide, non ſunt compotes promiſſionum facti: ideò de nobis, quiddam melius prouidente, ne abſque nobis perfectionem acciperent. Licet enim quidam vſque ad Chriſti aduentum iuſti fuerint, neque contaminati: nihilominus tamen omnes propter Adami damnationem moriebantur, ac in Adum deſcendebant. Cùm verò Deus creaturam ſuam, à Diabolis cruciari ſciret, motus commiſeratione, miſit natum ſuum, vt ſalutis humanæ cauſa, è puriſſima virgine Maria, Paulo id tradente corpus ſumeret. Miſit, inquit, Deus Filium ſuum vnigenitū, muliere natum, vt ſub Lege viuētes liberaret, vtque iidem adoptionem filiorum acciperent. Rurſum idē ad Hebræos. Cum, inquit, fratres pateat nobis in ſancta aditus, per ſanguinem Ieſu, viam nobis renouantem, & per velum, id eſt, corpus ipſius, habeam vſque ſacerdotem magnum, domini Dei præfectum, & cætera.

Iuſti in Adum ſeu orcum deſcēdebāt.

Hæc igitur eſt interceſſio Chriſti, quo nato, extitit

cum Angelo turba exercituum cœleſtium, vt Lucas memoriæ prodidit, Deum collaudantium ac dicētium, Gloria in ſupremis Deo, & in terra pax, erga homines beneuolentia. Cæterùm quænā eſſe beneuolentia potuit, Deo hominibus ab Adamo, vſque ad natiuitatem Chriſti irato atque inimico? id verò totum, Diuina illa corporis Chriſti prędeſtinatione diſſolutum eſt, Facti ſunt homines, gratia Chriſti liberi à morte, peccato, Diaboli poteſtate: ac docti rationem vincendi principem tenebrarum, & huius ſeculi rectorem. Ita vt verbis comprehenſam Diuinam voluntatem, auxilio Spiritus Sancti exequuti, Regnum cœleſte adipiſcantur. Conrtà diſolutæ vitæ homines, qui ſpretis Chriſti præceptis, Diabolo ſponte obſequūtur, ad pœnas deſcendunt ſempiternas. Quandoquidem igitur, ad vſque Chriſti aduentum, iuſti quoque propter iram Diuinam. & latam in Adamum ſententiam, in Satanæ fuerunt poteſtate: idemque malus, animas illorum in orcum deducebat: Factus Chriſtus, pro nobis execratio, illam ipſam execrationem natiuitate, morte & reſutectione ſua ſuſtulit, pacem compoſuit, iram Diuinam ob Adamum, ſedauit, vires Satanæ retudit, hominem in libertatem aſſeruit: vt vel benè vel malè agere, quamadmodum olim Adam poſſit. quo ſic, vt ſcribit Apoſtolus, Laus & honor bene agentem, falſò autem obſequentem, feruor iræ, afflictio & anguſtia ſequeretur. Præſcripſit idem hominibus modum, ſua, Patris, Spirituſq; Sancti præcepta exequendi, regnoq; cœleſti potiundi. Hoc etiam in cœlum aſcēſurus, diſcipulis Apoſtoliſq; ſuis tradidit, & corroborans verbi ſui nuncios futuros, quò eadem alios docerent, mandata ipſis dedit. Hoc, Hoc eſt Chriſtum mediatorem eſſe: quod & in templis

templis canitur. Venite, dies adeſt nati Chriſti: quod myſterium læti annunciemus, gladius ignitus tergum obuertit, Cherubin ab arbore vitæ abſcedit. Ego autem cibo paradiſi perfruor, à quo ob contumaciam expulſus fui. Nam immutabilis imago Patris, ſimillimaq; effigies ſempiternæ ſubſtantiæ eius, formam ſerui accepit, ex matre connubij expertæ prodiit, Deus verus, qui fuit atque eſt, nunc (quod antea non factum) hominis gratia, homo fit. Item de reſurrectione, iſta ſunt Cantici verba. Chriſte, crucem tuam, vitam noſtram reparantem ſine intermiſſione adoramus: tuamq; tertiæ diei reſurrectionem celebramus, cuius virtute renouata eſt hominis debilitata natura. Tu omnipotens amator generis humani, cœleſtia nobis reduxiſti. Hæc dicenda eſt interceſſio, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Præter hæc autem, plura ibi ex arcanis literarũ ſanctarum proferre poſſem, quibus tu onager non crederes, vt qui non aliter, quàm ſurda aſpis aures obdurat ſuas, vocem veritatis à monitore accipis. De interceſſione Apoſtolorum, Sanctorumque Patrum, dixi antea. qui quidem, & homines erudiebant, & eoſdem ad mãdata Chriſti exequenda inuitabant: nec aliud fundamentum, quàm vnicum Chriſtum ſtatuebant. Et ſane, nullum quiſque alius, ait Paulus, iacere poteſt. Nos quoq; inde à natiuitate Chriſti, vſq; ad hoc tempus Chriſtiani nuncupamur: neq; in aliud nomen quàm Patris, Filij, & Spiritus S. baptizamur. Nam omnes illi Patres ſancti atq; illuminati, homines veluti manu ducebant, ad ſalutaria Chriſti præcepta, res intellectu difficiles iiſdem enucleabant, & quemadmodum credendum ſit, mandataq; Diuina præſtanda docebant, De quibus omnibus, ſupra ſatis dictum eſt. Quòd

Cantica Moſcorum

ſi hos nec venerari,neq; manu nos ducentes ſequi, neque duces ſalutis appellare vis, non eſt conſentaneum vt ſcriptis illorum fidem adhibeas.Id autem ſi facis,dic quomodo id cognoſces,quòd Deus ſit,quo pacto in Trinitate celebretur,quam ob cauſam Filius Patris deſcenderit, corpus aſſumſerit,mortem ſubiecerit,reuixerit,ac in cœlum aſcenderit? Breuiter ni horum ſcriptis credas,qua ratione Diuina mandata intelliges? Certùm eſt autem,verſari hũc in tenebris,qui fidem de Deo non tenet, cuius fidei haud futurus eſt compos, niſi eam ex doctrina Apoſtolorum, Sanctorumq; Patrum hauriat. Ex hac enim lumen fidei cernimus, Qua de re hæc Iohannes, Filius Tonitrui. Qui Dominum cognouit, mandata tamen eius non præſtat, hic mendax eſt,nec eſt in eo veritas, vtpote obcœcatus à tenebris. Vt verò non videre Legem Diuinam tenebræ ſunt:ita lux eſt,ſi quis eam cùm intelligat,tum videat quæ quonam modo ſine adminiculo, ſiue ſcripturæ, ſiue alterius,qui in viam inducat percipietur? Ergo beati Apoſtoli, Sanctiq; Patres, pœdagogi noſtri, neceſſariò honorãdi, inuocandiq; ſunt,ſcriptis illorum credendum, ex iiſdem doctrinæ petendæ:qui,ſi in numero ſeniorum manu nos ducentium non ponerentur:conſequeretur id, vt neque his quæ ſcripſerunt crederetur, neq; doctrina ex illis ſumeretur. O te hominem à Satana afflatum,ac tui ipſius deceptorem.Id enim fieret,vt omnes homines, tanquam iumenta,expertes intellectus eſſent. Animum igitur aduerte ad hæc Chriſti de vobis,apud Iohannem dicta. Non miſit Deus Filium ſuum in mundum,vt eum iudicet, ſed vt ſeruet:neue is qui credit in ipſum condemnetur. At qui non credit,is iam iudicatus eſt,quòd nõ credat in nomen vnigeniti

vnigeniti Filij Dei. Hæc eſt autem condemnatio, quòd poſtquam lux venit in mundum, homines magis dilexerunt tenebras. Erãt enim opera illorum mala. Omnis qui malè agit, odit lucem. De quibus ſatis.

AD CAPVT 12. LASICIVS DE Sanctis ante Chriſtum, Chriſti ad Inferos deſcenſu, Patrum autoritate, & ſeculi noſtri felicitate.

Difficile eſt certamen, cum ignaro rerum: & vt quidam ait. Nihil eſt inuictius indocta garrulitate. De Chriſto mediatore, melius Moſcis vt ſpero ſentimus, perſuaſiq́ ſumus. Ita enim huic ſoli, ſimul cum illis innumerabilibus victoribus Apoc. 7. ſalutem noſtram tribuimus, vt hoc ipſius beneficium, cum nulla re alia cõmune fieri patiamur: quod & Patres pij ſenſere omnes. Quid, inquit, tentatis Deum, vt imponatis iugum ceruici diſcipulorum, quod neq; Patres noſtri, neq; nos portare potuimus? ſed per gratiã Domini Ieſu Chriſti, credimus nos ſeruatum iri, quemadmodum & illi. Acto. 15. Quæ igitur hic, non ſine faſtidio lectoris, de hac re & Sanctis Patribus repetenda eſſent, ea in apologijs ad cap. 6. & 8. legi poſſunt. Quæ autem Moſcus de cruciamentis electorum Dei in orco ante Chriſti aduentum ſcribit, ea cũ illis minime conueniũt verbis Sapi. 3. Iuſtorum, inquit, animæ, in manu ſunt Dei, vt minime attingat eos cruciatus: Quæq; apud Lucam de Lazaro & A- *Ieſu Chriſti gratia ſeruamur*

R

brahamo, duobus electis atque ſanctis leguntur. Ibi enim diues ille epulo cruciari, Lazarus verò cum Abrahamo ſolatio frui: ijdemq; ſupra, ille infra, & in ipſo ᾅδῃ oculos attollere, hiatusq; magnus inter pios & impios eſſe dicitur. Qui tamen ſinus Abrahæ locus videtur non in cœlis fuiſſe. Nam Chriſtus prodromus eſſe in cœlum ſcribitur Hebr. 6. cuius Chriſti typum gerebat Ioſue (Ieſus Acto. 7. Hebr. 4. vocatus) qui primus Iſraelitas in terram promiſſionis introduxit. Cum igitur Ieſus Chriſtus ſit in cœlum præcurſor, non præceſſerunt illò alij, Enocho & Elia exceptis, ac ita ſenſit cum multis alijs Epiphanius hæreſi 75. Antequam, inquit, ſaluator aſcenderet in cœlum, nemo aſcendit, donec cum ipſo aſcenderunt. Nemo enim aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit ex eo filius hominis. Et ad Epheſ. 4. Aſcendendo in altum, captiuam duxiſſe captiuitatem memoratur. Si captiui erant, fuit & hoſtis, qui eos abegerat. Et, ſi aſcendebant, in inferiori loco erant, qui Hebraicè Scheol dicitur: non ſupra ſed infra terram. Id verò poteſtas inferorum, quâ ſuos Deus liberaturus erat, ab Oſea cap. 13. vocatur. Hoc illud quod Apoſtolus ſcripſit. Liberauit nos ex poteſtate tenebrarum: & tranſtulit in regnum filij ſui. Item. Expoliatos principatus & poteſtates, oſtentauit palam, triumphans de illis per ſemetipſum. Hic eſt Chriſti ad inferos deſcenſus, vbi ſunt illi, quorum mancipia ob peccatum vnius in omnes propagatum, facti eramus. Porrò captiuitate taliq; liberari loco, vbi conſpectus Diuinæ maieſtatis, Chriſtum expectantibus eripiebatur, vti ſumma voluptas eſt: ita his teneri, etiamſi tormenta non accederent grauiora ſatis pœnarum eſt. Et rurſus ad Hebr. 11. de Sanctis Patribus: Omnes, inquit, teſtimonium adepti per fidem, nõ obtinuerunt promiſſionem, quam cap. 9. appellat æternam hæreditatem, quæ nuſquam alibi, quam in cœlo eſt. In infernum deſcendit ſolus inquit, Thaddæus, à Chriſto ad Abgarum Regem Edeſſenorum miſſus

Sinus Abrahæ.

Deſcenſus Chriſti ad Inferos.

ſus, & dirupit ſepem, quem à ſeculo nemo diruperat: ſuſcitatiſq́ mortuis, aſcendit ad Patrem ſuum cum grandi multitudine, vt hæc recitat Euſebius Eccle. hiſto. lib. 1. cap vltimo, idem ſcribente Ignatio, Petri in Eccleſia Antiochena ſucceſſore, epiſtola ad Trallianos. Senſiſſe idem Hebræos teſtis eſt Hieronymus ad Paulam. de dormitione Bleſillæ. Hebræi, inquit, mortuos lugent, quia ante Chriſti aduentum, ad inferos nouerant eſſe deſcenſuros. Credere idem Syros, auctor eſt Albertus Widmanſtadius, *in præfatione Noui teſtamenti Syriaci, de Sabbatho Paſchæ. Sabbathum, inquit, anuntiationis idcirco appellatur, quod eo Chriſtus Patribus apud inferos agentibus anũtiauit extremo ſuo ſupplicio ſalutem eis partam iam eſſe. Non diſſentiunt ab Syris AEthiopes, vt Damianus à Goes de moribus illorum ſcribit.. Auguſtinus quoq; Eccleſiaſticum id eſſe dogma ait. Ante paſſionem, inquit, Domini, omnes animæ ſanctorum in inferno ſub debito præuaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam eius mortem, à ſeruili conditione liberarentur. Fratrum etiam Bohemorum ſenſus eſt, Chriſtum anima ſua à corpore ſeparata, ad inferos deſcẽdiſſe, ad triumphum de Satana, incredulis etiã illiſq́ ſpiritibus, quibus Noe, arcam fabricans, de hac futura ſeminis Euæ victoria concionabatur, palam oſtentaſſe. Cæterùm animas iuſtorum, omnibus de Chriſto dictis certa cum ſpe credentium, in paradiſo ſeu vita æterna, reſurrectionem expectantes fuiſſe, ibidemq́ etiamnum eſſe. Hæc ad me quidam Epiſcopus illorum. Sed hæc diſquirant alij. Nos Moſcouitica tractemus. id ſolũ huic loco addentes, orcum Moſcis Adum eſſe, vt & Acto. cap 2. legitur. Porrò Sibylla lib. 1. ſuorum oraculorum, nomen* ᾅδης *ab Adam deriuat quod eò primus mortalium deſcenderit Adam. Inſcienter autem hic rurſum vt & cap. 6. ratiocinatur is Aſiaticus. ſanctos vita functos interceſſores eſſe, venerari, inuocariq́ à nobis debere propterea quod*

eorum opera, cæleſtis notitiam veritatis conſequamur. Id enim nihil aliud eſt, quàm Diuinis oraculis, de hoc ſilentibus, humani ſenſus commenta attexere. Quod figmentum, cùm veris firmamentis fulciri non poßit: fit vt non minus hîc hallucinetur Moſcus, nec magis ad rem pertinentia dicat, quàm id fecit pleriſq; locis ſuperioribus. Pergit more ſuo, de ſanctis argumentari. At nos ſequi in diſciplina Duces Apoſtolos, abſq; omni cunctatione reſpondemus. In alijs patribus qui Apoſtolos non attigerunt dignitate, cautione vtimur. Aliud enim eſt dictum, hoc ita cenſuit Apoſtolus: aliud, de hoc ſic ſenſit Chryſoſtomus. Inter teſtimonia Diuina atq; humana, permultum intereſt. Scio verò aliter habere Apoſtolos, Scribit tomo 2. ad Pammachium Hieronymus, aliter reliquos tractatores. illos ſemper vera dicere, iſtos in quibuſdam vt homines aberrare. Origeni interpretationem, & idiomata ſcripturarum ſemper attribui; dogmatum conſtantiſſimè abſtuli veritatem. Et Auguſtinus epiſtola ad eundem Hieronymum, quod & diſtinct. 9. iuris Canonici habetur. Ego inquit, ſolis illis ſcriptoribus qui Canonici appellantur, didici hunc timorem amoremq; deferre, vt nullum eorum ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſimè credam. Alios autem, ita lego, vt quantalibet ſanctitate doctrinaq; polleant non ideo verùm putem, quia ipſi ſenſerint: ſed quia mihi vel per alios autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à verò non abhorreat perſuadere potuerunt. Ita ibi. Hæc nimia ô Moſce hominum admiratio, Luthero Monacho oculos aperuit. O felix ſeculum, quo ſua Deo redijt veneratio, Chriſto hominum iuſtificatio. Abijt religione fucata ſuperſtitio. veri Iſraelitæ, Chriſtum caput Eccleſiæ ſequuti, Babylone egreßi ſunt. tot idololatriæ deſierunt. mendacium ad lumen Euangelij diſparuit, caligo errorum, luci Diuinæ ceſſit, Mercatores ſacrorum, templo Dei eiecti. Hypocritæ detecti, lupis Eccleſiæ, pelles ouillæ detractæ. Turpitudo meretricis Babylonicæ denu

De autoritate Patrum.

Noſtri ſeculi felicitas.

cæ denudata. libido cleri fuco caſtitatis palliata, omnibus oſtenſa. Antichriſtus, cui tamdiu imprudentes ſeruiebamus, ille inquam Dominus Dominorum, quorum ſe ſeruum eſſe mentiebatur cognitus. iniuncta ab eo omnibus, ſpecie obedientiæ ſeruitus, Deo propitio excuſa, permulta in melius ſunt mutata. Quæ tamen omnia, mala ſunt Moſco, & Papæ. tantas tenebras, obſcurus mundi huius princeps, mentibus hominum offudit, vt quod melius eſt videre vel nolint, vel non poſſint. Probra Moſci in inſontem Miniſtrum Chriſti prætermitto. Quis enim meliora ab homine, leone ferociore expectarit? Quomodo poteſtis bona loqui ait Criſtus Mat. 12. cum ſitis mali? Certè animaduerſis tot tantiſq́; Eccleſiæ vitijs, pedem ab eis retrahere, non Satanæ eſt, ſed almi ſpiritus afflatus. nec, qui hoc facit onager aut aſpis dici debet: ſed ille ipſe, de quo Chriſtus, Iohan. 8. Qui ex Deo eſt, verba eius audit. & cap. 14. Qui mea tenet præcepta & ſeruat, is eſt qui diligit me. iſque & à Patre meo, & à me diligetur. Sed quoniam arbiter huius controuerſiæ, inueniri à nobis non poteſt: ideo Ieſu Chriſto, omne illius iudicium relinquamus. Huius enim ſerui omnes ſumus. Tu quis es, qui alienum famulum condemnas? Roma. 14.

CAPVT 13. DE VENERATIONE IMAGINVM

QVæ abs te de non adorandis imaginibus ſcripta ſunt, ea tuam arguũt inſcientiam. De quibus me tibi paucis dicere neceſſe eſt. Quòd ſi veri cognoſcendi, aliqua cupiditate teneris,

lege ea quæ ſunt literis prodita, de Leone Iſaurico Imperatore iconomacho, ac huius filio Conſtantino Copronymo, Leone Armenio, & Theophilo Deo exoſo, ſanctorumque eius detractori. Ibi enim omnia, explicata inuenies, de venerandis Diuinis ſimulacris, & horum Deo inuiſorum regum ſtudiis in iis delēdis, quibus vos vltrò adiunxiſtis. Quod legem veterem commemoras, reſponſum eſt iam antea. Nimirum ſi eam vrgere voles, neceſſariò tibi omnia quæ hæc ipſa præcipit ſeruāda erunt. Sin non omnia, ſed ſolam circumciſionem admiſeris, Chriſtus tibi vt Paulus ad Galatas ſcribit, nihil proderit. Adducis etiam illud de non fabricandis vllius rei, quæ in cœlo quæque in terra ſit imaginibus. At ego hæc aliaque Prophetarum verba, oſtendam eſſe de idolis dicta Itidem illud ex ſecundo libro Moſis, de conflato ex auro atque adorato ab Iſraelitis vitulo. Iidē ingreſſi terram Balaci Regis Moabitarum, inquinauerunt ſeſe, forma mulierū capti ſcilicet quemadmodum & vos, qui nihili pendentes virginitatem, fœminis copulamini. Illi igitur capti ſpecie earum, ſeruierunt idolo Belphegor, comederuntque victimas mortuorum. Sidoniorum quoque idolum coluerunt, Chamoſum defleuerunt. qua de re ſic Dauid. Tētauerunt, & irritauerunt Deum altiſſimum, nec inſtituta eius ſeruarunt. præterea auerſi, maioreſque ſuos imitati, corruperunt vias ſuas, & facti arcus peruerſus, collibus idoliſque ſuis, iram Diuinam concitauerunt, miſti Gentibus, mores illarum didicerunt, conflatas imagines adorarunt. Quin imo ipſe Salomon, vxoris cauſa, genu flexit idolis & à Deo viuo defecit. Eodem modo Ieroboam apoſtata, fuſis Samariæ duobus vitulis aureis, vt adorarentur ab omnibus edixit, quæ

Salomon idololatria.

adoratio

adoratio, durauit vſque ad excidium Samariæ. Multa ſunt iſtiuſmodi alia. Hæc de idololatria: cõtra quam Prophetæ detonarunt, & Apoſtoli concionati ſunt, verùm tu rem ſanctam ab abominanda minime diſcernens, eodem loco habes Chriſti, & Apollinis, Deiparæ, aliorumque ſanctorum, ac Dianæ imagines. Deteſtanda eſt fateor, nec fit abſque peccato idolorum Gentilium veneratio: at Chriſti ſeruatoris, Mariæ, Diuorumque imagines, nequaquam ſunt cum in numerum referendæ apud quas, nullæ hodie cæduntur victimæ, nulla fit ſimilis veteri illi idololatricæ, ſanguinis profuſio. An ego, inquit, Deus carnibus agni anniculi veſcar? aut hædorum ſanguinem bibam? immola Deo ſacrificiũ laudis, ac redde altiſſimo preces tuas. Quæ omnia de imaginibus intelliguntur, olim ad idola & aras, oblationes frigebãtur, & ſanguis profundebatur, ad imagines autem Eccleſiaſticas, fit ſpiritualis precatio, atque proficiſcens è corde oblatio. Ne ergo exiſtimes, Dei nos habere loco hæc ipſa ſigna. Nec colorem, nec tabulam, ſed ipſam primam imaginẽ veneramur: depictæ Chriſti, Deiparæ, omniumque ſanctorum effigiei honorem exhibemus. Quoniam verò legem Moyſis in teſtimonium aduocas, producam & ego tibi eiuſdem Moyſis hac de re exempla. Non enim neſcis, quemadmodum is, fuſos Cherubin aureos, in loco ſanctiſſimo ſtatuerit: velum cum iconibus omnium poteſtatum cœleſtium, acu pingi curauerit: arcam legis, vndique auro tectam fecerit, in qua pixis aurea, manna continens, baculus Aaronis qui floruit, ac tabulæ legis fuerunt. omnia à Iudæis flexu poplitum culta. cum tamen ea, non aliud quàm figuræ, futuræ veritatis eſſent. Adeò ſanctiſimum illud ſacrarium, magno in

Oblatio ad imagines.

honore erat. in quod Iudæi ingreſſuri, alias velati incedentes, faciem diſcooperiebant. Quid? tempore Verbi incarnati, annon Abgarus Edeſſenorum princeps, ob paralyſin lecto affixus, accepta imagine Chriſti, ſudariolo impreſſa conualuit? Is ita inualidus, vt ſe lecto mouere non poſſet, tamen Thaddæo Apoſtolo, à Chriſto ad ſe cum imagine miſſo, iamque tribus tantùm ſtadiis ab oppido diſtanti, proceſſit ſuis pedibus obuiam, vſque ad arcis portam, vbi illi occurrit Diuina imago, apud quam, & multa & varia edebantur miracula, vſque ad euerſionem regni Græcorum. Cuius regni chronica, te de his rebus veritatē docere poterunt. AEgroti enim ſanabātur, Dæmones fugabantur impii hoſtiles exercitus profligabantur, pii rurſum victoriis potiebantur. Quid dicam de illa œmorrhouſa, quæ ſanata à Chriſto, ſtatuam ipſi ſtatura æqualem, ex ære fieri curauit? quæ ad ipſa tempora Iuliani, execrandi Apoſtatæ, Græcorum Regis, ac dæmonum cultoris, permultorum infirmitates curauit. Similia habes de templo Lydorum ab Apoſtolis condito, in quo fuit ad portam aquilonalem ſuper columnam, Deiparæ æternique eius filii imago, non humanis manibus, ſed Diuinitus elaborata, & ad diſcernendos fideles ab infidelibus patefacta. Nimirum vt huius religionis templū foret, cuius fuiſſet miraculum. Eodem mater quoque Dei, ad dedicationem ab Apoſtolis inuitata, Ite reſpondit pueri, nam & ego illic futura ſum vobiſcum. quo ſi profecti, conſpecta imagine, ingenti lætitia lachrymiſq; perfuſi, preces ad Deum omnium creatorem fuderunt. poſt modum ipſa etiam Theotocos illò venit: ac viſa ſua minime ficta imagine, Gratia, inquit, & virtus mea huic adſit. Hanc poſtea fœtidus ille Iulianus, demoliri eſt

De Abgaro hiſtoria

Exempla de imaginibus.

ri eſt conatus.vbi fabris murariis ſaxa frangentibus, imaginemque reuellere ac deiicere conantibus calx eius, ineffabili vi Diuina, magis ac magis adeo ſaxis adhæreſcebat, vt violatores, ab immota & leuiter tantùm inciſa diſceſſerint, ſtetit namque immobilis, tametſi aliquot ictibus ferri acceptis, quibus potius poliebatur quàm corrumpebatur. Poſthæc manibus quorundam honeſtorum expolita manſit & illæſa & coloribus ſaluis, qualis antea fuit. Eadem ratione ille Ienæus, à Petro & Iohanne valetudini reſtitutus, perpulchrum templũ erexit. In quo etiam Mariæ virginis imago, ſponte ſua facta, magna faciebat miracula, Beatus quoque Lucas, pictam ad Deiparam attulit, quam vbi hæc vidit: Gratia mea ait & potẽtia, ſit hac cum effigie mea. Quæ quidem dum Moſcwæ, in noſtra regia, mandatu Diuino ſeruatur, manet integra Chriſtianitas. Quid loquar de illo, eiuſdem diuæ ſimulacro, quod beatus Hermanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ex Lydio depinxit, idemque Romam ſiccis pedibus peruenit? Verùm hæc vobis, Eccleſiæ Romanæ hominibus, notiora ſunt. Quòd ſi commemorare luberet, per Diuinas imagines, & illarum cultores, diuerſis temporibus facta miracula, morbos curatos, dæmones eiectos tempus me ob rerum multitudinem deficeret, vti Paulus epiſtola ad Hebræos dixit. Si verum cognoſcere cupis, Diuina ſcripta legito. Age verò dicito mihi quæ fuerit origo, quis modus, quæ cauſæ idolorum adorandorũ & imaginum pingendarum? an non primus ille Seruch, memoriæ laudiſque fortium, ſapientum, & aliis præcellentium virtutibus virorum gratia, id prudenter fecit? Cuius cæteri non intellecto conſilio eoſdem viros Deos fecerunt, idola Deos ap-

Imago B. Mariæ in Moſcouia.

Origo imaginum.

larunt,ſeq; eisvti Diis incuruauerũt.Rem hercle abominandam, & per Prophetas damnatam. Idola enim erigebãt,in honorem obſcœnorum hominum, adulterorum, ebrioſorum,latronum furum ac cæterorum. Enimuero Diuinarum imaginum,prima eſt Ieſu Domini & ſeruatoris noſtri, nẽpe, quomodo is dignatus ſit,corpore aſſumto nos conſeruare. Deinde puriſſimæ genitricis eius,dignæ inuentæ quæ igne Diuino,vtero ſuo complexa hoc
B. Maria Mediatrix arcanum exequeretur. Ea eſt mediatrix ſalutis hominum, ac per eã placatus eſt nobis Deus. Quapropter ante ſignum eius procumbimus. Tertium obtinẽt locum eæ, quæ ſunt poteſtatum cœleſtium Sãctorumque omnium, ſaluti noſtræ opitulantium, quas propterea honoramus,quoniam iſti quos exprimunt, voluntatem Diuinam perfecerunt, noſque in viam induxerũt,quos æmulati operam damus, vt moribus eorum honeſtis,noſtri etiam pares ſint. Habes de imaginibus, quæ de idolis dici nõ poſſunt. Aliud enim eſt coram imagine, aliud corã idolo diabolico, poplitem curuare. Sed agedum, profer ſi potes ſimilia, apud idola facta miracula, iis hominum ſanationibus,quæ accedunt ad imagines? at quid ego de his apud te canem nõ credentem,pluribus agerem? Non licet Sancta dare canibus. Adducis teſtimoniũ ex Iohannis epiſtola de imaginibus, vbi ita ſcriptum eſt. Filioli cauete ſacrificia idololatriæ. Mentitus igitur es etiam hîc. Nam hæc epiſtola, non meminit imaginum. Sed neque id quod ſcribis,vſpiam in ſacris literis reperitur,Deum ſeuere in illos animaduertiſſe, qui ſtatuebant imagines. Neque huc pertinet, quod de aſcenſu Chriſti in cœlos ſcribis: ſed illuc vbi Paulus Apoſtolus ait,corpora noſtra, templa eſſe Diuina,in quibus Spiritus

Dei

Dei habitat,ſi modo actiones noſtras, ad voluntatem Diuinam compoſuerimus.Quod Petrus & Angelus in Apocalypſi,exhibitum ſibi adorationis cultum reſpuerunt, id propter humilitatem factum: cuius ipſe Chriſtus, exemplum nobis imitandum editurus, vetuit ne gloria illa in monte,cum tranſfiguraretur,à diſcipulis viſa,foras antè enuntiaretur,quam ipſe reſurgeret. Quippe docere nos voluit,ne ſe quiſquam efferret. Hęc inquã cauſa eſt,cur Angelus Iohannem,ante ſe procidere volentem erexerit, & Petrus Cornelium à veneratione ſui prohibuerit. At ſi ſe ita vt dicis res habet, quo id repones loco, quòd terna Petri interogatio,triplex illud eius,Chriſtum ſe noſſe negan, tis peccatum ſignificauit? aut quo intelliges modo,illud quod eſt dictum eidem,Paſce oues meas? Si tollitur inflexio atq; adoratio,quæ erit paſcẽdi ratio? Iam igitur,quanta ſit Apoſtolorum Sanctorumque auctoritas, ex hiſce Chriſti ad Petrum verbis conſidera,Dabo tibi, inquit, regni cœleſtis claues. quicquid ligaueris in terra, ligatum idem in cœlo manebit. quod hic ſolueris, id ibidem ſolutnm erit. *Auctoritas ſacerdotũ.* Hic vides, cœleſtes etiam res, Apoſtolorum ſacerdotumque ordini traditas eſſe.Nec id te latet,quemadmodum in veteri lege Elias cœlum ita verbo ſuo clauſit, vt totos tres annos & ſex menſes non pluerit. En vt Deus ſolitus ſit eos exaudire,qui ipſius, obſequuntur volũtati. Paulus & Barnabas propterea ſe adorari noluerunt, quòd ipſis ſacerdotes exhibituri honores eſſent, non quales decent Sanctos,ſed mactãdis victimis idololatrarum more. Negas præterea quenquam Sanctum, præter ipſummet Deum inuocare licere,at in Euãgelio ita ſcriptum legitur. Viſa, inquit, Ieſus hominum multitudine,miſertus eſt il-

lorum, hiſce verbis alloquens diſcipulos. Meſſis quidem magna eſt, ſed operarij pauci. Rogate ergo Dominum cuius eſt meſſis, vt in eam educat operarios. Tum conuocatis 12. diſcipulis, dedit illis poteſtatē in impuros Spiritus, quò eos eiicerēt morbos omnes & inualetudines ſanarēt. Vnde intelligis, quam Dominus poteſtatem, diſcipulis ſacerdotibuſque dederit, non quaſi ipſe dare ſalutem hominibus non poſſet, ſed quia ii morbos hominum curabant, rudes ad intelligentiam, viamq; veram, ſicut eſt iam oſtenſum perducebant. Teſtimonium abs te ex Pſalmo productum, de idolis non de imaginibus accipiendum eſt. Falſum & hoc, quòd Eccleſiam aliquot ſecula imaginibus caruiſſe dixiſti. Nam vt eæ à Chriſto eſſe cœperunt, ita adhuc durant. Addis & Sanctum Epiphanium Cyprium Epiſcodum, Diui cuiuſdam imaginem in tela pictam conſcerpſiſſe, quod fictum eſt, nec apud veros Chriſtianos, ſed apud hæreticos locum habet. Quòd ſi Patrum doctrinam admittis, reuoca id tute tibi in memoriam, quam multæ fuerint huius ipſius Epiphanii ſeculo imagines adoratæ, ac omninò admiranda fuit huius Archipapæ electio. Nam moniti à Spiritu S. beati Patres, inuenerunt eum in foro, vbi tum imagines Dei emebantur. Eiuſdem temporis Iohannes Chryſoſtomus, ego inquit, vel è cera fuſas imagines colo. Et his antiquior magnus Baſilius dicebat, honorem imaginibus exhibitum, ad eum cuius eſsēt referrī. Porrò, quæ in regionibus noſtris imaginum ſit ratio, nihil quidquam dicam. Conceſſiſſe vos vltrò in laqueos Diaboli non ignoratis. Verùm, vt ſcribit beatus Petrus, nec iudicium veſtrum minuetur, nec ignis extinguetur. Quæ ex actis Appſtolicis de Petro Apoſtolo adſcribis, hæc neque ad

Electio Epiphanij.

rem

rem faciunt, neque ibi reperiũtur, itaque mentiris, de quibus ſatis.

AD CAPVT 13. LASICIVS CONtra imagines.

NVſquam Moſcus quàm in tuendis imaginibus diſertior, adeò vt illis obſtãtem legem Diuinam, quæ ſecunda numero eſt, tollat, & laude dignos Imperatores, noſq; vnà cum eis, impietatis ob illas damnet, ac igni ſempiterno addicat. Metuendam hominis ſentẽtiam, ſi quantum in terris, tantum poſſet in cœlis. Negat ea dici idola, at beatus Hieronymus non negat, in quæſtionibus Hebraicis, ſuper illa Geneſis verba. Furata eſt Rachel idola Patris ſui. Vbi nũc, inquit, idola legimus, in Hebræo Teraphim ſcriptum eſt. Quæ Aquilo μορφώματα *id eſt figuras, vel imagines interpretatur. Et Cicero lib. 1. de finibus, atomi, vanæ imagines, quæ idola nominantur. Si cui hæc non ſatisfaciunt: is tamen negare haud poteſt, quin ſimillima ſit imago idolo Gentili. nam vtraque ſunt vt docet Pſalm. 115. opus manuum hominis materiæ auri, argenti, lapidis, ligni Deut. 29. vtraque os, oculos aures cæteraq; membra, hominem exprimentia habent. Vtraque in veneratione ſunt.* *Imago idolo ſimilima.*

Quid igitur hîc pijs agendum? nihil tutius quàm quod præcipiunt Apoſtoli, & quidem aliquot illud Acto. 15. abſtinete ab idolothitis, hoc eſt ijs rebus, quæ idolis offeruntur, quæ plurima eſſe, etiam hodie videmus pendent, & ſtatuuntur ante ea, multa. Et

Pau.1.ad Cor.10. Fugite ab idololatria, quod vocabulum quemuis cultũ imaginis ſignificat. Et Iohannes vltimo cap. primæ ſuæ Catholicæ, quod & in fine commemorabo, Filioli cauete vobis ab idolis: quæ tria, hoc quoq; tempore, quo more Gentili inuecta ſunt in templa, Sanctorum ſimulacra, vitanda nobis ſunt. Ac deſtitutus Moſcus de iis venerandis præcepto Diuino, vertit ſe ad exempla, magna ex parte fabuloſa, quaſi exemplis, aut Patrum auctoritate, agenda ſit res in religione, vbi nos oracula Diuina deficiũt. Futurum Apoſtolus prædixerat tempus, quo Chriſtiani ſanam doctrinam, non erant toleraturi: ſed coaceruatis ſibi pro libitu magiſtris, animum à veritate auerſum, ad fabulas conuerſuri 2. Timo.4. quod tempus nũc eſſe videmus. Ante Lutheri ſeculum, perſonabant fabulis templa, ex Diſcipulo, Dormiſecure, vitis Patrum petitis, quas hodie, etiam pueri rident. Harum hic nonnullos audis pie Lector. Impio hæc oracula ſunt. In Moſcorum enim fanis loco verbi Dei homiliæ Chryſoſtomi, aliorumq; Sanctorum. Plurimũ verò Hiſtoriæ, ſiue legendæ Diuorum, publicè leguntur. quibus, ea fermè, quæ Euangelio fides habetur. Verùm Patres, multa ſuperſtitioſè egerunt, plura de illis falsò ſcripta ſunt, quorũ omnium fides, ad normam verbi Diuini tanquam ad Lydium lapidem referenda eſt. Scilicet natus illius, qui imagines fieri interdixit, ſuam ipſe linteo expreſſit, & Abgaro Toparchæ Edeſſenorum miſit, Epiſtolam ipſius ad eundem, (quam tamen Gelaſius primus Papa inter Apochryphos refert libros, tomo 1. Conſiliorum) recitat Euſebius hiſto. Eccle. lib. 1. cap. vltimo, ex ipſis archiuis Edeſſenæ ciuitatis: & Cælius Curio Hiſtoriæ Saracenicæ lib. tertio, expugnata ab Geogio Maniace Edeſſa, miſſam eſſe ad Imperatorem hanc ipſam epiſtolam ſcribit, de effigie neuter facit mentionem. Græcorum hæc fabula eſt, vt multæ aliæ, tradita à Damaſceno monacho nimio imaginum laudatore, & ab aliis eiuſdem generis hominibus

Tempus noſtrum fabuloſum

Legenda ſanctorum

Epiſtola Chriſti.

minibus, quò ita mandato ſimulacra fabricandi deſtituti, ſaltem fićto exemplo palliarent ſuam audatiam atq; idololatriam. Similiter de curato per Tatthæum Abgaro, multo aliam à Moſcouitica narrationem contexit Euſebius. Magnum Romanis harpyis quæſtum adfert, altera eiuſdem Seruatoris imago, cui Veronica nomen. Quàm & ipſe ea veneratione coli vidi, vt ſuperſtitioſior eſſe nequeat. At interim Lutherianos, multo veriores imagines Dei, & templa Sacri Spiritus, angue peius oderũt, & veluti cæci idololatræ immiſericorditer trucidant. Cùm verò Papa Romanus non ignoraret, Moſcum magnopere delectari imaginibus, miſit ipſi dono typum huius ipſius ſuæ Romanæ, Anno 1581. Quæ poſt annos non multos, credetur à credulis, ad ſudorem Chriſti abſterſum talis extitiſſe. Moſes accepta ſemel lege imagines fieri vetante, Exod. 20. nequaquam Cherubinos, id eſt figuras pueriles feciſſet, niſi hac de re ſingulare mandatum poſthac habuiſſet Exod. 25. Quod quidni nos etiam expectaremus? adhæc illa intra velum poſita, non patebãt hominum conſpectui: at nunc contrarium facit corrupta eccleſia. Non imagines, ſed legem ſuam Deus pingi, etiam in poſtibus domus iuſſit Deut. 6. Nec Iſraelitæ Cherubinos, aut q́d aliud in templo, vt Moſcus putat, ſed Deum ibi præſentem ſæpeq́; loquentem, demiſſiſſimè coluerunt. Exod. 25. Pſalm. 80. Alioqui nunq̃ id paſſus fuiſſet fieri Moiſes, tanti vir zeli in Deum, vt conſpecta ſuorum idololatria, tabulas legis, non artificis, ſed Dei ſolius digito ſcriptas perfregerit. Eiuſdem ponderis ſunt, cætera Moſci dicta, De inceſſu Iudæorum velata facie, negatur. Solus id Moiſes fecit. De ſtatua ad ſimilitudinem Ieſu, ab illa muliere profluuio ſanguinis diu laborante formata, eadem ſcribit Euſebius Eccl. Hiſ. li. 7. cap. 14. Non mirum. Nam quòd olim Deus homines, ab erroribus ad veritatem Euangelicam multifariam pellicere ſolitus fuerit id apparet ex omni hiſtoria de Chriſto, & Apoſtolorum actis.

Pontificij imagines Dei diſperdunt.

Iudæi non imagines adorarũt.

Statua Ieſu.

Nūc fide in Chriſtum ſparſa vbiq́, talibus hamis, minime eſt opus. Imaginum alteram à Deo, alterā ab Luca Euangeliſta depictam fuiſſe, tertiam ſponte ſua extitiſſe, commentum eſt illius qui cœlitus ad Tartara detruſus, poteſtatem in aërem accepit: quiq́ omni præſtigiarum genere, per imagines illudit mortalibus. Simili ſuperſtitione illi homines, ſimulacrū Dianæ Epheſinæ, cœlitus fuiſſe delapſum opinabantur Act. 19. qui error, & in illis erat Helcheſaitis, Pauli Apoſtoli ſcripta reſpuētibus, qui librum quendam circumferebāt, rati eum de cœlo lapſum, cuius verba qui audiret, remiſsionem peccatorum acciperet. Euſeb. Eccl. Hiſt. lib. 6. cap 28. Neſcio autem, num ridenda ſit iſthæc Moſci credulitas, an dolenda animi cæcitas, quòd vera eſſe putet omnia, à ſuperſtitioſis atq́

Græci mendaces.

mendacibus Græcis ſcripta, qui nō terram ſolum, ſed etiam cœlum fabulis impleuerunt, tot Deos deaſq́ finxerunt, veras hiſtorias mendaciis contaminauerunt. Lucam fuiſſe non pictorem, ſed medicum, docet Epiſtola ad Coloſſenſes cumq́ & comes Pauli fuerit 2. Tim. 4. & adiutor in propagando regno Chriſti. Act. 16. & in Epiſtola ad Philemonem: minime credēdus eſt, imaginibus pingendis dediſſe operam, quibus ex cordibus hominum euellendis,

Lucas non fuit pictor

ſimul cum eodem, ſedulò incubuit. Quandoquidem igitur Moſcus eorum quæ aſſerit, teſtes nullos probatæ fidei, qui hæc pro certo affirmēt adhibet: tam hæc vera ſunt omnia q̄ q̄ in Polonia Monachi Ceſtochouienſes, ab rege Wladiſlao An. 1393. inſtituti, de ſimili imagine Mariæ, & eodem Luca pictore impudenter mentiuntur. Qua arte præpingues facti ſunt. intet idolū illorum, pretioſis

Imago Mariæ in Polonia.

donariis exornatū, quæ clam libido abſumit hypocritica. confluit vndiq́ adſpectandum cæcum vulgus cereos accenſos figit, nummos dat, contingere illud vel linteolo gaudet, honores ipſi varii generis impendit, ſimulantes furias Diabolicas, ad idem adducit. Prædixit Daniel Propheta cap. 11 Antichriſtum, Deum maioribus

bus ſuis ignotum, auro, argento, gemmis culturum eſſe. Eat quis ad hoc Ceſtochouienſe Monaſterium eat in Moſcouiam, adeat Mariam Loretanam, tota celebrem Italia, videbit hũc ipſum cultum, & priſcis Chriſtianis ignotum in pane, ciborijs, atq; imaginibus Deum. Beatam Mariam Raphael Volaterranus, ſcriptor diligens lib 31 Anthropologiæ, vnum tantum annum. poſt filij ſui obitum, ſuperſtitem fuiſſe, apud receptum auctorem ſe legiſſe teſtatur. idem aiente Maſſæo lib. 8 Cronici mundi etſi is huic anno, quinq; fermè menſes addit, obijſſeq; illam Anno ætatis 49 (Volaterrano eſt 51.) quintodecimo die Auguſti menſis, Anno Domini 36. tradit, Intra quod tẽpus, vix fieri potuit, ut Apoſtoli homines pauperrimi, templum aliquod exædificarent, ad cuius dedicationem, Matrem Domini vocaſſent, ne id dicam mandata eos ab Chriſto, non de ſaxeis, ſed viuis templis Deo extruendis accepiſſe. Quos probabile eſt citò in orbem terrarum, prædicatum Euangeliũ iuiſſe: paucos, aliquod tempus Hieroſolymis, moratos propter Iudæos eſſe. fabulatur more Græcorũ Damaſcenus, in oratione de aſſumptione B. Mariæ, Apoſtolos paſſim per orbem diſperſos, nube inſtar retis cuiuſdã, ad morientem apportatos fuiſſe verùm neq; intemerata virgo, eius animi fuiſſe exiſtimanda eſt, vt pictura eam gratiam, qua ipſa prædita erat optauerit. Haud ignara ſecuturam hinc aliquando fuiſſe idololatriam. Ita nec illud ferendum eſt mendacium, ſeruari Moſcoꝟæ, Dei iuſſu, eiuſdem virginis imaginem: eandemq́; conſeruare in Moſcouia Chriſtianum nomen. Quis enim Angelus, quis vates, hoc ad illos mandatum attulit? Si Moſci ſeruantur vllo Mariæ patrocinio. quid facit ſeruator omnium Deus? niſi quis eum exiſtimet, conditum ſemel mundum, aliorum adminiſtrationi permiſiſſe. Sed procul faceſſat, à Chriſtianis tã Pagana perſuaſio. Germanus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, imaginum defenſor. mare ſiccis pedibus ſuperare potuit: ſed vel gelu concretum, vt ſit

Obitus B. Mariæ.

Mendacium Moſcorum.

Germanus Patriarcha.

in Septentrione: vel ſedens in naui. Solum Petrum atq; Chriſtum id feciſſe credimus Matth. 14. vt tum quoq; fidei eius infirmitas, Chriſti autem potẽtia appareret. non pauca de hoc Germano, Paulus Diaconus lib. 21. Hiſtoriarum commemorat. eius tamen rei, quæ prætereunda non erat, nequaquam meminit. Lego percuſſum anathemate in Synodo fuiſſe, quæ opera Conſtantini 5. Anno ſalutis coacta 746. ſtatuit nefas eſſe Chriſtianis vllius rei ſimulacra, cultus gratia in templis ponere. Requirit Moſcus exempla miraculorum, ad idola Ethnica factorum. Verùm ea non eſſet difficile conquirere, modò id ad tantum eius errorem deponendum aliquid conferret. Pauca tamen ex multis audiamus. Cicero actione 6. in Verrem, de ſimulacro Cereris marmoreo, apud Ennenſes in Sicilia. Multa ſæpe prodigia, inquit, vim eius numenq; declarant. multis ſæpe, in difficilimis rebus, præſens auxilium eius oblatum eſt. Et Strabo lib. 8. Mos fuit apud Græcos, in templo eius Dei, qui auxiliatus eſſet, & præſertim AEſculapij quod in Epidauro inſigne extabat, tabellas appendere, in quibus morbi ſanati erant inſcripti. Scribit etiam Virgilius 1. Georgicorum, poſt illam nefandam Cæſaris cædem, lacrymaſſe & ſudaſſe in templis eburnea atq; ærea ſimulacra. Item Auguſtinus de vnitate Eccleſiæ cap. 16. Audiant, inquit, quæ narrant Pagani de templis & Diuis ſuis, mirabiliter vel facta vel viſa. Et tamen dij Gentium Dæmonia: Dominus autem cælos fecit. Exaudiuntur multi non ſolùm Chriſtiani catholici, ſed & Pagani & Iudæi, & hæretici varijs erroribus & ſuperſtitionibus dediti, vel à ſpiritibus ſeductoribus, Deo permittẽte, ſiue ab ipſo Deo. Ita Euſebius de præparatione Euangelica lib. 4. cap. 1. Id excuſit, quales eas virtutes quæ in ſimulacris habitãt dicere oporteat. Verba Apoſtolica quæ corrumpit Moſcus, in ipſo fine primæ Iohannis Epiſtolæ ſic habentur filioli, cauete vobis ab idolis, ac ita ea legit antiquiſſimus Theologus Tertullianus lib. de corona mili-

Miracula ad idola edita.

tis

tis. Altius Iohannes Filioli, inquit, cuſtodite vos ab idolis. Non iam ab idololatria, quaſi ab officio, ſed ab idolis, id eſt, ab ipſa effigie Deorum, & alia. Quòd ſi quæ ad imagines, res ſtupendæ fiunt. ſi Eadem ad imagines. *Dæmones hominibus pelluntur, morbi ſedãtur, votis ſolutis, quidam rebus optatis potiuntur: haud dubie id aſtu fit Diaboli, huius ſeculi Dei 2. Cor. 4. ſe in Angelum quoq; lucis transformãtis 2. Cor. 11. idq; ideo, vt hinc tanto maior creſcat picturæ veneratio, minor in Deum fides. Quis enim dubitet, quãto in honore imagines, apud Cõſtantinopolitanos fuerint, poſtquã ex illa Chriſti, à Iudæo quodam, anno 560. telo petita, vt refert Maſſæus, ſanguis manauit? creuit & illius honos, è cuius pede ſtillæ ſanguineæ cadebant Pragæ in Bohemia, Anno 1280. Vt Procopius Lupacius in ephemeride auctor eſt. Et illius Florentinæ, quæ orante ante ſe Iohanne Gwalberto, caput inclinauit, Polydoro id affirmante lib. 7. cap. 2. Nam quid? Deusne mirando aliquo opere, imaginibus auctoritatem pararet, quas pingi, fundi ſculpi prohibuit, pictas deleri. Num. 33. comburi Deut. 7. mandauit, & omnes in vniuerſum, docere mendacium dixit? Habac. 2. Si is imagines hominibus vſui eſſe in templis, ſi ſe ſuoſque Sanctos honorari illis poſſe vidiſſet: profecto aliqua præcepta de erigendis dediſſet. Cùm eſſet Paganiſmus, Deus miracula ad monumenta martirum, eam ob cauſam, faciebat, vt eò citius cæteri in Chriſtum crederent: vtque ij qui crediderant fidem martirum, propter quam vita priuabantur, uerã fuiſſe, animaſq; illorum Chriſto caras eſſe ſciret. At nunc hæc, ſi vbi nõ ſunt amplius Ethnici fiant: videndũ etiã atq; etiã eſt, cuius arte fiant. tẽpus hoc, Antichriſtianũ eſt, diſtracto iãpridẽ Imperio Romano. ꝙ ætate Pauli, orbẽ terrarũ tenebat, de quo tẽpore idẽ Apoſ. 2. Theſſ. 2. Exiſtet, inqt ille Exlex ſuo tẽpore cũ is q nũc tenet è medio ſublatus fuerit. Cuius aduẽtus Satanæ opera erit, cũ omni potẽtia & ſignis prodigijſq; mẽdacibus. Tãti Moſcorũ erga imagines*

Tempus Antichriſtianum.

ſtudÿ, cauſa eſt quidam Nicolaus, regionis illorũ peculiaris Diuus, & quaſi tutelaris Deus. quem ipſi Czudotworetz, id eſt miraculorum creatorem cognominant. O bone Deus, excita quæſo homines ab hoc pernicioſo veterno, ac oculos illorum aperi, vt profunditatem Satanæ dolos ſpiritualium nequitiarum, mundiq; rectorum Dæmonum iam tandem cognoſcant. Certe enim & ſurdi ad audiendum, & cæci ad inueniẽdum in ſcriptis Canonicis veritatem, ſunt omnes imaginum fabricatores atq; cultores: ex imprecatione Dauidis percuſſi Diuinitus tanta cæcitate. Perbelle origo, & cauſa imaginum Sapientiæ 13. atq; 14. cultus Baruchi 6. deſcribitur. Hic Lucernas illis accendi, portariq; eas humeris dicit: ille vt homines abſentem tanquam præſentem ſtudioſe colant, formari ipſas decipiq; ab eis ſcribit. Quæ omnia ÿ quoq; hodie faciunt, ac in ſeſe ſentiunt, qui eas in pretio habent: quiq; genu humi defixo, ô pectora cæca, Diuis ante ipſas plane vt Gentiles idolis ſupplicant. quæ quidem à Diabolo, manauit de ipſis perſuaſio. Prætextu, inqt, iuſtitiæ, ſemper ſubiens hominum mentes Diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans, ſtatuas, humanas imagines præ ſe ferentes, per artium varietatem expreſſit. Et mortui quidem ſunt qui adorantur, Epiphanius contra hæreſim 79. At ſi viuus Petrus, cui claues cæleſtes ſunt creditæ, cadere ante ſe piũ centurionem nõ eſt paſſus: ſineq; Angelus tot rerũ mirandarum monſtrator, Iohannem id facere ſiuit. ſed Deũ adora, bis dixit, (Ethnicus erat ille cuſtos carceris, qui tremefactus, ad Pauli & Syllæ pedes accidit Acto. 16.) tu huius viui Dei, viua imago, ante mortuũ te abÿcies? quod Soli debetur Deo, creaturæ præſtabis? ſenſu prædita, coram ſenſus experte te proſternes? operi hominis, ſuppliciter honorem præbebis? ad pedes ſtatuæ, pedes tuos curuabis? genu poſito, eam adorabis? ad conſpectum eius, caput nudabis? intentis in eam oculis, verba facies? manus ſurſum tendes? oſcula ligno figes?

Origo imaginũ.

Si hoc

Si hoc adorationem eſſe negabis, conuincent te ignorantiæ Euangeliſtæ. Marcus cap. 15. inſpuebant in eum, & ſummiſsis genibus adorabant eum. Matth. 2. Procidentes adorauerunt eum. Iohan, Apoc. 19. Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Deut. 4. Caue, ne cùm aſpexeris ſolem, lunam, aut ſtellas, incuruans te eis, adores ea, Conuincent etiam alij præter Euangeliſtas. Auguſtinus enim cap. 32. de moribus catholicæ Eccleſiæ, ait ſe multos nouiſſe, ſepulchrorum picturarumq́; adoratores. Et Plinius lib. 8. cap. 1. Elephantes, inquit, quòd ad docilitatem, regem adorant, genua ſubmittunt, coronas porrigunt. Sic & Polydorus presbyter lib. 6. cap. 13. Sunt permulti rudiores ſtupidioresq́;, qui imagines adorant, non vt ſigna, ſed perinde, quaſi ipſæ ſenſum aliquem habeant: & his magis fidant, quàm Chriſto, vel alijs Diuis quibus dicatæ ſunt. illis offerant argentum, gemmas. & vt ad id faciendum complures incſcentur, illi qui talem prouentum metunt, monetam perforant, filoq́; pendentē in collo, aut manibus ipſarū imaginum ſuſpendunt, donaria in locis conſpicuis collocant, titulos apponūt. quò nomina offerentium, & Dijs & hominibus notiora fiant. ſic bona pars hominum, impendiò per hæc delirare inducitur, ac inſuper, longa aliquoties itinera conficere, vt imagūculam adeat, ibiq́; donaria ſua relinquat, prætermiſſo cuncto alio, aut pietatis aut charitatis officio, plura iſtiuſmodi incommoda recenſet, quæ euitari poterant, ſi imagines non eſſent in templis. Hi verò ſunt illi idololatræ in Eccleſia, qui in Ieruſalem cæleſtem non intromittentur. nam Ethnici ad illam non pertinent. Apoc. 22. Gal. 5. Sanctum ipſum, cuius hoc ſignum eſt, te eo geſtu colere, & imaginis honorem ad ipſum exemplar referri ais. Atqui iam audiſti, tam ſummiſſum cultum, & eiuſmodi ſupplicum preces, à ſe amouiſſe noui Teſtamēti Sanctos: nec vlla adducis voluntatis ſuper hac re illorum, multò minus Dei teſtimonia. Neq́; Helias adorandus eſt, etiamſi in viuis

Adoratio *Fallacia ſacerdotum.* *Idolatræ Chriſtianæ*

Nullus Sanctus adorandus *ſit, neq; Ioannes, neq; Thecla, neq; quiſquam Sanctus adoratur. non enim nobis dominabitur antiquus error, vt relinquamus viuentem, & adoremus ea quæ ab ipſo facta ſunt, Epiphanius illa ipſa hæreſi. 79. Sancti ſunt, viuuntq; adhuc ipſiusmet Chriſti teſtimonio Abraham, Iſaac, Iacob, Sancti Apoſtoli: tamen ita poſt obitum cultos, à veris Dei cultoribus, nuſquam legimus, gratiſſimis Diuis cultus eſt, ſi quis vitam ipſorum imitetur, & præceptis monitiſq; bonis pareat. tametſi à nullo certius exemplum vitæ petitur, quàm ab ipſomet Chriſto. Typo ſiue figura alicuius exhibere venerationis cultum, Ethnicorum eſt, non Chriſtianorum. Maiores, inquit noſtri, ad gentilis conſuetudinis ſimilitudinem, quàm proximè accedentes, eos qui tanquam ſeruatores illis fuiſſent, id eſt qui illis aliquid ſalutis & ſubſidij attuliſſent, apud ſe honore, ad hunc modum afficere conſueuerunt. Euſebius lib. Eccle. hiſt. 7. 14. Et Cicero. non crederem hoc de ſtatuis, niſi iacentes reuulſaſq; vidiſſem, propterea quòd apud omnes Græcos, hic mos eſt, vt honorem hominibus habitum in monumentis huiuſmodi, nonnulla religione Deorum conſecrari arbitrentur. hæc. lib. 2. in verrem. quis igitur miretur, imaginum cultum, ad Gentilium ſuperſtitionem recidere, cùm ea ab illis ad Chriſtianos peruenerunt? De quibus olim durauit contentio, centum amplius annos, ac quæ pro illis argumenta adferebantur, ea eruditè confutat Carolus Magnus Imp. libris 4. Qui typis Pariſienſibus, Anno 1546. in lucem prodierunt.*

Adoratio Regum. *Adorari Reges atq; Magiſtratus non neſcimus, quippe quòd hi propter ipſam Maieſtatem Imperij, qua conſeruant ac regunt cœtus humanos, inter Deos referantur Pſal 82. & 138. Exod. 21. item 22. eamque ob cauſam in ſolio Dei, quaſi eius in terris vicarij, ſedere dicuntur 1. Paralip. 28. merito igitur hæc de illis ſcripta. Incuruauerunt ſe, & adorauerunt Iehouam ac regem 1. Para. 29. & de Ioſepho, altero AEgypti Rege Gen. 42. vt plura prateream.*

am .item Regino lib. 2. de Carolo Magno; Anno Dom. 801. Carolus Rex à Leone Papa coronatus die natalis Domini, poſt laudes, more antiquorum principum adoratus eſt. Iuſtinus quoque lib. 6. Perſas, ſuos Reges adorare ſolitos eſſe ſcriptum reliquit. Idem ego vidi in Anglia. Et hic quidem cultus, communis eſt illis cum Deo: cæteri minime, de quibus hæc Cælius Rhodiginus lectionum antiquarum lib. 22. cap. 9. Illud, inquit, grauius multò principem Deum tribus coli, adoratione, thuris ſacrificio, hymnis, adoratio, reuerentiæ cultum exhibet. Thus ſuauiſſimæ cognitionis Diuinæ, diſtributionem complectitur. Hymnorum iucunditas, cœlorum refert concentum. Negas Moſce, mactari hodie pecudes ante imagines, at negare haud poteris, coram illis thure accenſo fumigari, & cæreos ardentes figi, quemadmodum priori ſeculo igni colebatur Deus. Præterea cacodæmon, callidus idololatriæ auctor, nō magis delectatur, ante ſimulacrum ſanguinis effuſione, (αἱμων; id eſt cruētus. ſi literam d, præponas, eam ob rem appellatus) quàm Diuinæ imaginis genuum inflexione. Quocirca non aliud à Chriſto expetijt, quam vt ante ſe procumberet, at quid reſponſi accepit? Deum adora. Quid verò Deus? Ego honorem mei alteri non dabo Eſa. 42. Et Deut. 17. Si quis coluerit Deos alienos, ſeque illis incuruauerit, lapidetur. Quis Deus alienus, quàm aliqua eiuſmodi res creata, in qua ſpem tuam ponas, eam impēſe ames, & cultu qupiam proſequaris? quis, præter Apoſtolum, auaros idololatras eſſe, & ventrem quorundam, Deum dixiſſet? Epheſ. 5. Philip. 3. quod ſi ſunt tales Dij multi, idololatræ multi, multi etiam veri in ipſa Eccleſia inueniuntur idololatræ, qui licet perſæpe grauiter à Deo puniantur: tamen ſua idola colere non ceſſant Apoc. 9.

Deus tribus rebus colitur.

Etymon Dæmonis.

Deus alienus.

Nec Iudæi adeò ſtolidi fuere, vt varij generis idola Ezechieli in pariete templi Diuinitus oſtenſa cap 8. Deum eſſe ipſum qui cœlum & terram condidit crederent. Tamen quia illis ſuffiebant, ſeque

Idololatra puniti. *ante ea religioſè inclinabant, ſeuerè in eos, licet id inficietur Moſcus, idoli oſor animaduertit. Dimiſiſti, inquit populum tuum, quia repleta eſt terra eius idolis operi manuum ſuarum incuruauerunt ſe Eſa. 2. ita verò eos perſeuerat, vt etiam vltra Babylonem, teſte Stephano Act. 7. transferet. quò ſeruirent militiæ cœli. Quam ſe & Moſcus colere fatetur hæc Iudæis ſol, luna, cæteraq́ ſydera erãt, Deut. 17 Iob. 31 Ierem 44. Reg. 23 nunc Moſcis, & Romanæ Ecclesiæ hominibus ſunt omnes cœlites. notum eſt, quorum hominum ſit hoc carmen. Regina cœli lætare alleluia, & illud. Salue Regina*

Regina cœli. *miſericordiæ, vita & ſpes noſtra ſalue, à Gregorio 9 Papa cum ingenti iniuria Ieſu Chriſti, vitæ & ſpei noſtræ Anno 1227 compoſitum. Nos, inquit, Polydorus, cæreos offerimus, illiſq́ accenſis, cœlicolas colimus, ſicuti ad Saturni aras eſt factitatum. cap. 1. lib. 5. Cùm igitur res ſe ita habeat nullo ſunt ferendæ modo in templis Chriſtianorum qui Iudæis in ciuitate Dei ſucceſſerunt, imagines. Legiſlator noſter ſcribit Ioſephus, interdixit totius animati, multo magis Dei inanimati imagines fabricari. alijs autem honoribus poſt Deum, colendos nõn prohibuit bonos viros. Hæc lib. 2. aduerſus Apionem. Non multa pictura, ſed viua concionatorum voce plebs eſt erudienda. Omnium fingendarum ſimilitudinum*

Cauſa imaginum. *ratio ait Lactantius idcirco ab hominibus inuenta eſt, vt poſſet memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentia fuerant ſeparati. Deos igitur in quorũ numero reponemus? Si in mortuorum: quis tam ſtultus vt colat? Si in abſentium, colendi ergo non ſunt: ſi nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Lib 2. de origine erroris cap 2 Quæ verba, de noſtris etiam imaginibus, atque ſanctis intelligi poſſunt. Et quidem tunc cœpit plebem docere imago, cùm Miniſtri Eccleſiæ perſonati eſſe cœperunt Vt tum per vicarios, res agi cœpta eſt in Eccleſia, cùm paſtores muti facti ſunt. Non ſimulacrum vtile eſſe ad erudiendos homines, ſed ſcripturam*

pturam Diuinitus inſpiratam Apoſtolus 2. Tim. 3. teſtatur. non ſigna, ſed doctrinæ puritas, populi miniſtrorumq́; Sāctitas, ornant ædem Diuinam, non inſtaurationem, ſed abolitionem idolorum, genu inflexo coli ſolitorum, prædixit futuram temporibus Meſſiæ Eſaias cap. 2. & 30. Nec ſua ſacra Chriſtus peregit, & Patri pro nobis obtulit, ad vllam imaginem, neque Apoſtolos in orbem dimiſſurus, mandauit vt imagines, ex quibus homines cœleſtia diſcerent, paſſim collocarent, ſatis ſuperque imaginum Diuina manu factarum eſt, quo te cunque verteris etſi id propriè ſit homo regeneratus. Idcirco alias non tulit in templo Epiphanius. De quo hic more ſuo fabulam narrat Moſcus. Cùm, inquit, in Eccleſiam intraſſem vt orarem, inueni ibi velum pēdens in foribus eiuſdem Eccleſiæ tinctum atq́; depictum, & habens imaginem quaſi Chriſti vel Sancti cuiuſdam cùm ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti cōtra auctoritatē ſcripturarū, hominis pēdere imaginē, ſcidi illud. Hæc epiſtola legitur, in tomo tertio ſcriptorum Hieronymi is enim eam è Græco in Latinum tranſtulit. Sed age prodeant plures de imaginibus teſtes, quo tempore in templis ſtatui cœperunt. mitto illa priuata exempla, quemadmodum Seuerus Imp. vt obſeruauit in vita eius Lampridius, Chriſti, Abrahami, Orphei effigies, in ſuo tantùm larario habuit. Marcellinus, Petri & Pauli, occultè adorauit, ſuffitumq́; ipſis fecit, vti narrat hæreſi 80. in anacephaleoſi Epiphanius. Similiter à quibuſdam ſolùm cōſeruatas Petri, Pauli atq́; ipſius ſeruatoris, idq́; ex Gentili conſuetudine, Euſebius Eccl. Hiſt. lib. 7. cap. 14. oculatus teſtis eſt. Vſq́; ad ætatem Hieronymi, ſcribit Eraſmus in catecheſi, erant probatæ religionis viri, qui in templis, nullam ferebant imaginem, opinor propter anthropomorphiſtas. Paulatim autem imaginum vſus irrepſit in templa. Obijt diem Hieronymus vt Proſper annotauit Anno Chriſti 422. ætatis 91. Polydorus lib. 6. cap. 13. Autoritate, inquit ſex-

Epiphanius de imaginibus

Diu fuit Eccleſ. abſque imagin.

tæ Synodi, quæ Conſtantinopoli habita eſt. ſtatutum fuit, vt imagines Sacræ, Diuorum in templis haberentur, magnaq; veneratione colerētur, vtpote quæ imperitioribus loco ſacrarum literarum forent. fuit is annus ſalutis 682. quo Agatho Romanam tenebat ſedem. Ioan. Caluinus Inſtitutionis Chriſtianæ Religionis lib. 1. cap. 11. de cognitione Dei. ſi quid nos mouet Eccleſiæ authoritas, meminerimus quingentis circiter Annis, quibus magis adhuc florebat Religio, & ſyncerior doctrina vigebat, Chriſtiana templa fuiſſe communiter ab imaginibus vacua. Ergo tunc primum in ornamentum templorum aſcita ſunt, quum miniſterij ſynceritas nonnihil degeneraſſet. Quid? an paſſuros fuiſſe putamus ſanctos illos Patres, Eccleſiam tamdiu ea re carere, quam vtilem ac ſalutarem eſſe iudicarēt? Conſona his ſcripſit Nicolaus Hemingius, Danorum huius æui decus, in ſyntagmate inſtitutionum Chriſtianorum. Ante Annum Domini 427. Sācti patres, qui doctrinam ſine Pontificiis corruptelis retinuerunt, nulla plane ſimulachra in templis eſſe permiſerunt. ſciuerunt enim, quanti damni occaſionem olim præbuiſſent ſimulachra. Georgius Caſſander in conſultatione de Religione, ad Ferdinandum & Maximilianum Imperatores. Sanè inquit ex Auguſtini verbis in Pſalm. 113. conſtat, eius ætate ſimulachrorum vſum in Eccleſiis non fuiſſe. Et infra. Nec valebat tunc illa ratio, quæ à nōnullis obtrudi ſolet, honores iſtos, non ſimulachris. ſed ijs quorum ſpeciem repreſentant deferri. Hic enim color à Paganis quoq; adferri ſolebat, vt apud Arnobium. Non inquiunt materias æris, auri, argenti & alias ex quibus ſigna conficiunt, eos per ſe Deos eſſe, & Religioſa numina diſcernimus: ſed eos in his colimus, eoſq; veneramur, quos dedicatio infert ſacra, Vera ſunt igitur dicta Rohitæ. perdiu fuiſſe Eccleſiam abſq; imaginibus. falſa Moſci, ad ipſa primordia Chriſtiani nominis, ea referentis falſa & Damaſceni, cultum imaginum, Apoſtolicam eſſe tradi-

h. n nti. im excuſatio.

tio-

tionem dicentis. libro quarto capit. 17. Pij ſunt Moſco Græci Imperatores, qui imagines in templa induxerunt: impij qui illas propterea quod occaſio idololatriæ eſſent, ex eis eiecerunt, videlicet, Valens & Theodoſius, vt Crinitus lib. 9. recenſet, Philippus Anno 713. Leo tertius εἰκονόμαχος *dictus, Conſtantinus 5. Copronymus vocatus, illos quoque perſecutus, qui hac noua precandi formula vtebantur, Dei genitrix ora pro nobis, Leo 4. Nicephorus, Michael Balbus, Theophilus, multa hoc nomine à Romanis Põtificibus perpeſſi. Ita vt Gregorius 3. quemadmodum memorat abbas Veſpergenſis, Leoni tertio, omnem Italiam pendere tributa, quæ Chriſtus dari iuſſit Cæſari, vetuerit. Atqui tales omnes Moſce, in veteri lege laudantur. Aſa, qui ſerpentem Moſaicum comminuit 4. Reg. 18. Ioſias, qui omnia vaſa, in honorem copiarum cœleſtium facta combuſſit 4. Reg 23. Rachel, quæ imagines patri ſuo ſurripuit Gen. 31. Ad hæc ipſe Gregorius Papa 1. Seruium Epiſcopum Maſſilienſem collaudat propterea, quòd imagines adorari prohibuerit. Perlatum, inquit, ad nos fuerat, quòd inconſiderato zelo ſuccenſus, ſanctorum imagines, ſub hac ſaltem excuſatione, ne adorari debuiſſent confregeris. Et quidem te eas adorari vetuiſſe omnino laudamus. fregiſſe verò reprehendimus. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc & idiotis præſtat pictura cernentibus. Conceſſit fatis hic Gregorius Anno Chriſti 604. Auguſtinus verò 433.* *Imperatores qui delebant imagines.*

Ea autem tenet ſuperſtitio Moſcos, vt ingreſſi domum alicuius primùm omnium imaginem Diui cuiuſpiam, oculis vbique quærãt. quæ ſi ſe non ſtatim offerat, patremfamilias de Deo, vbinam eſſet rogant. inde demonſtratũ, corpore inflexo, ac ſigno crucis in fronte ac pectore ter manu facto venerantur, quæ non poteſt nõ dici adoratio. In adorãdo, inquit, dextram ad oſculum referimus, totumque corpus circumagimus, Plinius lib. 28. cap 2. & Hieronymus lib 1. contra Ruffinum. Qui adorant, Deoſculari manum, & capita ſub- *Superſtitio Moſcorum.* *Italica adoratio.*

mittere ſolent. Cæterùm quid hac de re Deus? Execrabilis vir qui ſculptam aut conflatam imaginem, exoſum Deo manuum artificis opus, in ſecreto loco poſuerunt. Deut. 27. Niſi forte Moſci, hac ratione, eas diras effugere velint, quòd tantùm pictas fuſci coloris imagines colant. Sed opus manuum artificis, quo pacto interpretabuntur? Tolli putat Moſcus, non ſolùm idololatra, verum etiam antropolatra ſacerdotum auctoritatem, ſublata illorum veneratione. Itane vero? Ego autem dixerim, hac admiſſa officium

Propria ſacerdotum. *illorum diminui. nam hoc modo inſoleſcunt: ſeq; non Miniſtros populi Dei, ſed Dominos Deo proximos, ſibi perſuadent. nota ſunt omnibus propria illorum vitia, voluptas, auaritiæ, ſuperbia. Hem quàm illa intoleranda, de qua Blondus ſcriba Papalis lib. 6. decadis 2. Alexander Pontifex, Romā redijt, ac ſe populo ſalutandum, adorandumq; paſſim exhibuit, & paucis ante verſibus de eodem, & Friderico Barbaroſſa, Anno 1177. Imperator, inquit, cernuus & planè proſtratus, pedes Pontificis ſella ornatiſſima ſedentis exoſculatus eſt. At Sabellicus Venetæ Hiſtoriæ lib. 7. decade prima*

Imperator pede Papa calcatur. *addit, fidem aliorum ſecutus pontificem, collo Imperatoris proſtrati pede impoſito, illud Pſalmi Dauidici carmen dixiſſe. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonē & Draconem. Tum Fridericum, ingentes adhuc ſpiritus alentem dixiſſe. Non tibi ſed Petro, cui ille irato ſimilis, impreſſa fortius planta. Et mihi & Petro reſponderit hæc ille. ac ego ipſe, rei huius, Venetijs geſtæ, depictam in curia Hiſtoriam, atque Romæ in ipſo Papæ palatio, ſæpe intuitus ſum. Eſt & tertius huius adorationis teſtis Iacobus Spinola, Genuenſium orator, ad Alexandrum 6. Ponti. Maximum. Me inquit præſtantiſſimi oratores decreuere, tuum Sanctiſ-*

Pontifices Romani adorătur. *ſimum ac beatiſſ. numē ſalutari, ſupplicari, flexiſq; ad terram genubus adorari, hæc in orationibus clarorum virorum. Haud aliter legitur in ſpeculo Hiſtoriæ Vincentij lib. 31. Eugenius iacet hîc*

quartus

quartus, cor nobile, cuius teſtatur vita ſplendida facta ſua. Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu, alter ab occaſu Cæſar vterque pedes. Eodem libro Vincentij, is qui ſupplementum eius ſcripſit. Fridericus, inquit, tertius Cæſar, Pontificis Nicolai quinti, in ſella eburnea ſedentis, pedibus exoſculatis, auri maſſam obtulit. Tum quoque Ladiſlaus Bohemiæ & Hungariæ Rex, & Albertus Dux Auſtriæ, ac demum Leonora Imperatrix pedem baſiauerunt. Rurſum Sabellicus in fine enneadis nonæ, vniuerſalis Hiſtoriæ, de Martino 5. Sigiſmundus, ad noui Pontificis conſpectum humiliter prouolutus, pij gregis paſtorem & Dominum ſalutauit, pedes exoſculatus eſt. Hæc Hiſtorici, verùm hic Pontifices meminiſſe oportuit decretorum maiorum ſuorum, in quibus hæc 11. Diſt. Cle. 95. Diſtinct. Eſto leguntur. Epiſcopi ſciant ſe miniſtros eſſe, non dominos, recordentur: quòd Apoſtolus Petrus, præcepit Sacerdotibus cùm dixit, Paſcite qui in vobis & gregem Domini, præſidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundum Dominum præceptum. Non dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo. pluraq; alia. De eminentia Sacerdotum, (ſi modò ij Chriſtianis ſunt) nihil attinet ſcribere. Magna enim eſt. Et tamen nõ minor Eccleſiæ, quàm miniſtrorum eius. Idem enim ipſi dictum eſt quod Petro, de ligando & ſoluendo. Matth. 18. Dic Eccleſiæ. Quicquid ligaueritis. Si duo veſtrum conſenſerint. Quæ nequaquam ad ſolos miniſtros pertinent. Nam nõ hi ſoli ſunt Eccleſia, etſi ea ita ab Romanis adulatoribus vocetur. Non ſoli conſentiunt, non in ſolius cleri medio, verſatur Chriſtus. Rurſum ſe Moſcus ridendum propinat, oſtendens Sanctos inuocare licere, quia ſit Apoſtolis poteſtas in immundos ſpiritus à Chriſto data. Baſilij opinio de honore Imaginum, ad ipſos quorum ſunt ſimilitudines redeunte, non eſt Diuina ſententia. Alioqui Ethnici idolatræ, hac ratione excuſabiles eſſent, quòd ſolem colentes, ſolem illum iuſtitiæ colerent. Omitto cætera Moſci,

Epiſcopi ſunt Miniſtri.

haud magni momenti dicta ne nimis longa apologia, lectori tædium pariat. Qui eſt verſatus in Hiſtoria Euangelica, facilè omnia, quæ huic ſunt contraria confutabit. Sed quia nos ſæpe mentiri dicit, iudicabo & ego eum ipſiuſmet legibus. Mentiris Moſce, quicunque hæc ſcripſiſti: nam illa poſtrema tui ſcripti, quæ tu eſſe negas verba, capite decimo Actorum Apoſtolicorum, hoc tenore leguntur. Præcepit nobis (Dominus) vt prædicaremus populo, ac teſtificaremur eum eſſe, qui definitus ſit à Deo Iudex viuorũ ac mortuorum. Andis quid præcipiatur Apoſtolis. Pictura nuſquam. Habes etiam iudicem hominum. Itaq; ne iudicate, & non iudicabimini, ne condemnate, & non condemnabimini: abſoluite & abſoluemini. Luc. 6. Quo enim iudicio iudicatis, iudicabimini: & qua mẽſura metimini, viciſſim metientur vobis. Matth. 7. Sed tu nunc opinor hanc menſuram benè ſentis. Nos ea quæ reſtant cognoſcamus.

Moſcus mentitur.

CAPVT 14. DE CASTITATE, VOTIS & Monachis.

SCripſiſti etiam de virginitate & coniugio. Sed non ea quæ ex te diſcere volebam. Mea enim percontatio fuit, quid vos ſentiretis de virginitate & impuritate: de quibus verò tu, de iiſdem & beatus Iohãnes prima Epiſtola. Si quis credit Ieſum Chriſtũ in carne veniſſe, ac ſe in eo. dicit permanere, is debet ita vti & ipſe incedere. Porrò nec Chriſtus

nec

nec Apoſtoli vxores habuerunt. Si Petro & ſocrus & coniux fuit, id ante, quàm Chriſtum ſecutus eſt Simulatq; verò Apoſtoli, facti ſunt Chriſti ſectatores, caſtè vixerunt. ſocrus illis matres, vxores ſorores fuerunt. Eodem modò Philippus ille ſeptimus Diaconus, quatuor filias vaticinatrices procrearat: verùm prius quàm aſſecla Chriſti eſſet: poſtea ſe caſtè geſſit, filiæ quoq; eius, virgines permanſerunt, quæ virili conſtantia præditæ, donum vaticinandi adeptæ ſunt: verbumq; Diuinũ ſimul cum Apoſtolis prædicarunt. Quid dicam de illis mulieribus, quæ vnguenta attulerant? an non omnes virginitatem ſectatæ ſunt? Quæ virginitas, non à viris tantùm, verùm etiam à genere fœminino ſeruabatur. Conſtat autem apud nos Chriſtianitas, ex virginibus & coniugibus. Cæterùm facto caſtitatis ſeruandæ, extra coniugalem copulationem, & abſtinendi à carnibus voto, præſtandum id eſt, non tamen delectus, ſed abſtinentiæ cauſa. Qui verò hæc non vouerunt, iis in matrimonio viuere, & carnibus veſci licet: modò mandata Chriſti obſeruent. Eadem enim ſunt præcepta viuendi data, tam Monachis quàm ſecularibus hominibus. At qui promiſſam non ſeruant caſtitatem, de his Petrus Apoſtolus, præſtabat tales viam veritatis non cognouiſſe, quàm ea cognita, à præcepto ſancto ipſis tradito, retrò labi, de quibus illud verè dicitur prouerbium, Canis ad vomitum ſuum, & ſus lotus, ad cænum ſordidũ reuerſus eſt. Enimverò hæc ſunt quæ Ieſus edixit de matrimonio. Idcirco homo relinquet parẽtes ſuos, ac ſe ſuæ vxori adiunget: erũtque duo, caro vna. Proinde non ſunt duo, ſed vnum corpus. Quod Deus coniunxit, homo ne diſiungat. Item alibi. Si quis ſuam repudiarit vxorem, abſque cauſa adulterij,

Vota caſtitatis.

aliamq; duxerit mœchus eſt:iuxta & is qui repudiatam,in matrimonium accipit. De caſtitate quoque hæc idem apud Matthæum.Dicunt igitur ei diſcipuli.Si talis eſt culpa hominis cum vxore, præſtat matrimonium non contrahere. Tum Ieſus. Non omnes hæc verba capere poſſunt: ſed hi ſoli quibus datum eſt. Sunt enim quidam caſtrati, ab ipſo matris vtero,tales nati:ſunt alij ab hominibus corrupti:alij ſeipſos propter regnum cœleſte caſtrant.Verùm qui poteſt capere capiat.Et Paulus ſelectum inſtrumentū, hæc ad Romonos.Hodie propinqua eſt nobis ſalus. Nam poſtquam credidimus,tenebræ abſceſſerunt, lux propinquior facta:abijciamus ergo actiones tenebrarum,& arma lucis induamus:vt in die, ornatè ambulemus: non in pudendis narrationibus,nec in ebrietatibus,neq; in adulteriis,impudicis actionibus. Sed induite Dominum Ieſum Chriſtum,neq; carnales exequamini cupiditates. Ita & ad Corinthios.De illis autem,de quibus ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini ſi non iungatur fœminæ:ſed cauſa vitandi adulterij,vnuſquiſq; habeat ſuam vxorem, & quæque fœmina virum. Vir vxori debitum amorem declaret:ſimiliter vxor viro:vtpote,quæ ſui iuris corpus nō habeat, ſed viri:nec is ſui iuris ſit,ſed vxoris: ne deſerat vnus alterum,niſi mutuo conſenſu,ad tempus dierum feſtorum,& propter ieiunium atq; precationem. Poſtea ſimul conuenite,ne intretis in tentationem Satanæ, ob incontinentiam veſtram. Quod mea opinione ſcribo,non vt præcipiam. Volo enim omnes homines, vti ipſe ſum,ita eſſe. At quilibet donum habet à Deo,& plura eiuſmodi,Habes de ratione ſeruandi coniugij:de quo ideò ex te quęrebam, quòd aliquos ex vobis inaudierimus,adeò nihili facere im puritatem

puritatem,vt eam peccatum eſſe non ducant. Quos Petrus ſuperior Apoſtolus,hiſce verbis commonefacit. Nouit Dominus honeſtos, ab ipſorum lapſu conſeruare:iniuſtos autē ad diem iudicij ſeruat,illos potiſſimè, qui cupiditates ſeculi corporales,in immundiciis volutātur,&c. *Monachi.*

Facta eſt abs te mentio,etiam vitæ monaſticæ:cuius auctores ſunt Apoſtoli:ac de qua hæc apud Matthæum Ieſus Chriſtus cap.19. Qui parentes liberosq; ſuos plus me diligit,non eſt me dignus: niſi quis ſumpta ſua crucæ,me ſequatur, non eſt me dignus: & apud Lucam 18. Si quis ad me venit,nec ſuos odit progenitores,vxorem,liberos,fratres,ſorores denique animam ſuam,non poteſt eſſe meus diſcipulus,vt qui non portet crucem ſuam, nec pone me eat.Ita omnis veſtrum,qui non renunciarit omnibus bonis ſuis,hic nō poteſt eſſe meus diſcipulus. Et electum vas Paul.Apoſtolus ad Romanos de eodem. Quicunque Batizati,ſumus in Chriſtum,in mortē eius Baptizati ſumus, & ſepulti ſimul cū eo per Baptiſmū in mortem Vt quemadmodum is reſurrexit à mortuis,gloria Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus,& quæ ſequuntur,vſq; ad illa verba, Vulnera Domini Ieſu in corpore meo gero. Dicito verò mihi,qui fuerint illi, qui morbos ſanabant, dolores mitigabant, mortuos excitabant, potiones mortiferas ſalui bibebant,Diabolos illæſi eijciebant,aliaq; vt eſt in Euangelio agebant? Annon ab ordine monaſtico hæc omnia geſta?Sed de his hactenus. Quod ſcribis, vt nobis loqui tibi mandantibus,liberè id & audenter faceres, abſque metu ſeueritatis noſtræ. Nos,etiam hodie dictorum noſtrorum memores,nihil te metuere iubemus. Nihilominus tamen hæreticus mihi es, propterea quòd tua om-

nis doctrina peruerſa ſit,& Chriſtianæ atq; Eccleſiaſticæ diſciplinæ,plane aduerſa,neq; hæreticus tantùm es, verũ-etiam ſeruus Antichriſti,à Diabolo excitatus. Non ſolus tamen tu es Luterianus,ſunt enim alij te deteriores. Quapropter te hanc doctrinam, in regionibus noſtris patefacere prohibemus.Ieſum autem Chriſtum, dominum noſtrum diligenter oramus, vt genus noſtrum Roſſiacum, ita conſeruet,ne tenebris inuoluatur infidelitatis veſtræ. Patri,coæternoq́; eius Filio, & Spiritui S.ſit gloria nunc & per omnia ſecula,Amen.

AD CAP. VLTIMVM LASICIVS.

Argumentationis Moſcouiticæ, hæc eſt arbitror ſententia. Ita nos Chriſtum & cælibes Apoſtolos imitari debere,vt & ipſi cælibem vitam agamus. Cætera quidem rectè:ſed quod ad eiuſmodi vitam attinet,cautius loquendum erat.Certùm enim eſt, caſtum cœlibatum ſingulare Dei donum,ſiue opus Spiritus Sancti eſſe. Matth.19. Galat.5.Et in aliis quidem perpetuum, in aliis verò temporarium. Quomodo igitur quis ab omnibus id exegerit? vidit hoc acutius Apoſtolus. quamobrem tam Epiſcopo, quàm Miniſtro, vnam vxorem, permiſit 1. Timot.3. Corinthijs quoq; id conſilij dat, vt vnuſquiſq; propriam vxorem, & quæq; mulier proprium virum habeat 1. Cor.7.quo proprij verbo, tollitur polygamia. Si enim vnus vir, aliquot haberet vxores,communis illarum

rum eſſet, non proprius maritus. Quod ſi pridem Eccleſia Romana obſeruaſſet, nunquam Papa peperiſſet filium. Etſi id hodie quidam Pōtificum aſſentatores, inficiantur, at veteres aiunt: & locus, vbi tantùm ſcelus perpetratum eſt, etiamnum Pontificibus abominabilis, factum & arguit. è teſtibus hi ſunt. Sigebertus Gotfridus Viterbienſis in pantheo, Martinus Polonus Anno 855. Ceſtrenſis lib. 5. cap. 3. Chalcondyla Græcus de rebus Turcorum, Platina, Sabellicus in exemplis, Baptiſta Cāpofulgoſus, factorum memorabilium lib. 7. Nauclerus, abbas tritemius Mattheus Palmerius in Chronico Euſebiano. Vxorum Petri & Pauli Apoſtolorum, meminit Clemens ſtromatum lib. 7. ac cūm Petri ad ſupplicium, quòd Chriſtiana eſſet duceretur, cohortatam ab eo hiſce verbis idem teſtatur. Heus tu inquit, memento Domini. Ignatius quoq; ad philadelphenſes, tam Petrum quàm Paulum, ac cæteros Apoſtolos, operam dediſſe rei vxoriæ, teſtis eſt. Idem ſentiente Euſebio lib. 3. cap. 30. Eccl Hiſt. Ruffino interprete. Quin Chriſtus alloquens eoſdem, inquit, Luc. 11. Si vos cum ſitis mali, noſtis bona dona dare liberis veſtris. Si igitur liberos habuerunt: etiam vxores. Aliter enim tum Miniſtri Dei, quàm hodie in Papatu ſacrificuli viuebant. illi enim agglutinati coniugibus, ſobolem procreabant: hi liberos abſq; vxoribus quod mirere, gignunt, tales ſunt in regno Antichriſti hypocritæ. Non eſſe autem Apoſtolos, vxorum ſuarum cōſuetudine interdum vſos, quis dixerit alius, quàm cui matrimonium peccatum eſt: vel vt hîc Moſco ipſa impuritas, qui error Martionitarum olim erat, & Encratitarum. Nec ego crediderim, licet quidam veteres ſecus ſentiant, vel viduas, vel coniuges alienas, per tot mundi tractus, ſecum ductaſſe Apoſtolos 1. Corint. 9. Mulieres illæ Apoſtolorum fuerunt, vti illæ Romanorum. Illud me, inquit mouet, quod video omnes bonos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere Cicero Epiſt. 18. lib. 14.

Vxores Apoſtolorū.

Vxores Apoſtolos ſequuta.

vox γυνὴ tam uxorem, quàm mulierem ſignificat. ideoq; Ambroſio lib. 10 Epiſt. 82. & Hilduino in vita Dionyſii, illa Damaris Acto. 17. non mulier, ſed uxor Dioniſii Areopagitæ, primi Athenienſium Epiſcopi, Euſebio teſte lib. 4. cap. 22. fuiſſe viſa eſt. Pudor ſequi, nõ ſuum virum vetabat, & ſuſpicionem apud Gentiles pariebat. Etiam tum tentabãtur homines, à propria cupiditate Iacobi 1. quod Paulus de ſeipſo ingenuè fatetur. 2. Cor 12. Rom 7. Chriſti quem mulieres multæ ſequebantur Luc. 8 & diſcipulorum eius diuerſa eſt ratio. Nam ille Deus naturâ erat: hi homines, non tamen credo nunciaſſe illas, ita vti ipſos viros, Euangelium. Eadem omnium Apoſtolorum ſententia fuit. Non ſinit autem vnus, mulierem docere in Eccleſia 1. Cor. 14. 1. Tim. 2. Euangelium vt non confundit ordines Eccleſiæ, ita nõ ſeparat, ſed coniungit copulatq; coniuges, adeò ſtrictè vt eam cõiunctionẽ dirimant, tãtum adulteriũ,

Duo dirimunt coniugium.

& infidelis à fideli ſeceſſio. Nec ita impedimento eſt vxor, vt qs eſſe miniſter Euangelij nequeat. Eſt amplexandi tempus, eſt & abſtinendi ab amplexu Eccle. 3. ipſi quoq; Ethnici in ſacris Cerealibus, Ouidio id prodente, à complexu fœminarum abhorrebant. Liuius decem tum dies, matronas à viris ſecubaſſe tradit. quibus cum, ter in menſe congrediẽdum eſſe, Plutarchus in Solone ſcribit. Quæ tempora, non obſeruaſſe primos Chriſtianos, quis dubitarit? Si quæ impuritas in coniugio eſſet, non illud Paulus honorabile, nec thorum eius impollutum vocaſſet. nec id Diuina maieſtas inſtituiſſet,

Caſtitas in matrimonio.

aut ſuo in conſpectu. ſacerdotes, quibus erant vxores verſari, & hoſtias ſibi offerri permiſiſſet. Et tamen Moſcus, ſolis virginibus caſtitatem tribuit. Vbi nunc es Sancte Paphnuti qui concubitum cum propria vxore, caſtitatem appellaſti? tripart. Hiſt. lib. 2. cap. 14 Cuius viri, tanta olim fuit auctoritas, vt eius ſententiam ſecutum ſit, vniuerſum illud 318. Epiſcoporum Cõcilium Nicenum ad cœlibatum clericis iniungendum, paullo propenſius Gratianus

Diſt. 31.

Diſt.31. Permiſſum voluntati vniuſcuiuſq́., dormire cum vxore, vel non optimè hæc haud dubie enim, gratius eſt Deo caſtum coniugium, virginitate multis æſtibus inquinata. Porrò Paulus veram virginem, & corpore & animo caſtam eſſe vult 1.Cor.7.

Vnde ſua ſumant Moſci, de ijs quæ Chriſtum ſequebantur mulieribus, me latet. Id pro comperto habeo. fabulis eos duci: & quiduis abſq́; omni iudicio, quod per manus à maioribus acceperunt admittere. Si mulieres, nõ fuerunt virgines. Sola maria mulier vocatur, quia peperit: virgo, quia virum non cognouit. Qui primus, præter votum, de colẽda omni tempore vitæ pietate, in baptiſmate factũ, aliud perpetuæ caſtitatis, in Eccleſiã induxit (ꝙ quidã Baſilio Græco tribuũt) is hoc & extar pceptũ Diuinũ fecit, nuſq enim cuiq̃ pcipitur virginitas,) & laqueũ iniecit hominibus. ſeu verius ipſũ peccatũ. Quotuſquiſq́. enim virorũ eſt, q hac in ſimulata pietate, creatorẽ ſuu cũ cogitatione, tum reipſa non multo pluries q̃ in matrimonio offendat? quod cùm fit, quo is animo oculos ad Deum puriſſimum attollet? quaue id ſpe quod petit, ſe ab illo impetraturum ſibi perſuadebit? Seruari abſq́; eiuſmodi promiſſis caſtitas poteſt, ac debet non vouent eam miniſtri Eccleſiæ fratrum Bohemorum: & tamen pleriq́; omnes, in Bohemia & Morauia viuunt cælibes Sanctiſſimè, at qui in Polonia ſunt, vbi tuta & libera omnia. ij vxores ducunt. Non eſſe præcipitanter vouendum, monet Solomon. At quæ præcipitantiæ ſtultitia ne maior, quàm vouere in pueritia, quod non poſſis præſtare in adoleſcentia? & vouere id quod in Diuina non in tua manu eſt, niſi quod tibi ad tempus quaſi quoddam priuilegium eſt conceſſum? Nota nobis ſunt Moſis de votis inſtituta, nota Samſonis, Nazaræorum, matris Samuelis, Pauli aliorumq́; vota, ac illa Rechabitis in Ieremia, data à Patre præcepta. Quibus tamen, neq́; coniugium, generi humano neceſſarium, neq́; vſus carnium, corpori hominis conueniens, neq́; vota paupertatis

Moſci fabulis ducuntur.

Miniſtri fratrum Bohemorũ cælibes.

De Votis.

voluntariæ continentur. Imò, dicam liberius, nihil planè de eiuſmodi obligationibus, reperiri in vniuerſis Biblijs. Ad quas tamen faciendas, ſimplex puerorum, puellarumq́ ætas, varijs technis inducitur. Sed videamus iſtius coactæ, & imprudenter iurata virginitatis fructus. Iohannes Peregrinus, in conuiualibus Sermonibus. Eſt inquit, apud Germanos Epiſcopus quidam, qui dixit in conuiuio, vno anno ad ſe delata vndecim millia ſacerdotum, palàm concubinariorum. Nam tales ſingulis annis pendunt aliquid Epiſcopo. Et Sanctus Huldericus, Epiſcopus Augnſtenſis, ad Nicolaum Papam, circiter Annum Dom. 860. Sunt aliqui, qui Sanctum Gregorium ſuæ ſectæ ſumũt adiutorem. Quorum quidem temeritatem rideo, ignorantiam doleo. Ignorant enim, quòd periculoſum huius hæreſis decretum, à Sancto Gregorio factum, condigno pœnitentiæ fructu, poſtmodum ab eodem ſit purgatum. quippe cùm die quodam in viuarium ſuum propter piſces miſiſſet, & allata inde plus quam ſex millia infantum capita videret, intima mox ductus pœnitentia ingemuit: & factum à ſe de abſtinentia decretum, tantæ cædis cauſam confeſſus, cõdigno illud, vt dixi pœnitentiæ fructu purgauit, ſuoq́ decreto prorſus damnato. Apoſtolicum illud laudauit conſilium, melius eſt nubere quàm vri. addens ex ſua parte, melius eſt nubere, quam mortis occaſionem præbere. ceſſet ergo Sanctitas tua cogere, quos tantùm deberet admonere ne priuato, quod abſit præcepto, tam veteri quàm nouo contrarius inueniaris teſtamento. Et plura huiuſmodi in epiſtola, ſæpe recuſa, ac in catalogo teſtiũ veritatis à Flaccio Illyrico & à Weſthemero, in conciliatione Scripturæ ac patrum poſita. Bruſchius in chronologia monaſteriorum Germaniæ, Anno 1050. Ea tempeſtate, inquit, Monachi, ſine exemplo maiorum, vxores ducebant in quos idcirco Gregorius 7. Pontifex excommunicationis fulmine animaduertit. Et Lucidus libro de emendatione temporum. Anno Dom.

Fructus coactæ caſtitatis.

6000 infantum occiſa.

Monachi Vxores ducunt.

Dom. 1 0 5 4. celebrato Florentiæ concilio, multi Epiſcopi propter Simoniam, & fornicationem damnati ſunt. plura iſtiuſmodi omitto. Sed quantò præſtabat, permittere cuiuſuis arbitrio, à Deo permiſſum coniugium, vt quiuis legitimæ vxori iunctus liberos Deo, quàm in ſtupris Diabolo procrearet? verùm vt in alijs rebus, ita etiam in hac, oportuit Antichriſtum Chriſto cõtraria ſtatuere. Ille ipſe Hiedebrandus, ſiue Gregorius 7. qui Antichriſti Imperij, iudicio Epiſcoporum Bauariæ, vt eſt ad cap. 8. dictum, fundamenta iecit & carnibus die Sabbathi veſci in conſilio Romano, Anno 1 0 7 4. interdixit annis 20. ab hoc conſilio Florentino, ſacerdotibus coniugium ademit. quemadmodum Abbas Trithemius in Anno 1 0 7 3. Chronici Hirſaugienſis ſcriptum reliquit. Itidem Gotfridus Viterbienſis, qui Conrado, Friderico & huius filio Henrico 6. Imp. fuit ab epiſtolis. Gregorius, inquit, 7. Papa, ad clericorum incontinentiam reprimendam, connubia eorum à ſubdiaconatu & ſupra, per totum orbem Romanum, edito decretali, in æternum prohibuit. Hæc Panthei lib 17. cap. Henricus 4. Trithemius hoc cum magna pœna excommunicationis addita feciſſe narrat. Id quod & antea fecerant Syricius, & Innocentius, vt eſt ſcriptum diſt. 82. cap. quia. & 28. cap. decernimus. Nempe vt Prophecia Danielis de futuro eiuſmodi Antichriſto impleretur cap. 11. Neq, inquit, Deum Patrum ſuorum, neq, mulierum voluptatem, neq, vllum omninò Deum curabit. quin ſeſe ſupra omnia extollet. Apoſtolus ad tempus, coniuges precum ac ieiunij gratia ſecubare vult. Papa Apoſtolo ſapientior, vſum cõnubij inter quoſuis honeſti, in perpetuũ tollit. Chriſtus nõ niſi in cœlo, poſt reſurrectionem factam, eam eſſe hominum conditionem futuram ait, vt illis dare operam matrimonio non ſit neceſſe dicat Antichriſtus, hoc fieri mandat in terris: nec fœminarum, ſed puerorum delectatur amoribus: nullos prorſum curat diuos ſeu Deos, Auguſtos Cæſares &

Sacerdotibus matrimonio interdictũ

Reges. Quod, ſi cui incredibilè videtur, is Romam petat. Ita me amet Deus, niſi ibi Sodomam, niſi AEgyptum, niſi Babylonem viderit. Sentiunt hæc inuitæ virginitatis mala omnes hypocritæ. Qui tamen vri, aut victi ardore libidinis ſcortari, & peſſimo populi exemplo, cõcubinas atq; ſcorta domi alere, quàm in iucundiſſimo coniugio, (quod tamen illis eſt ſacramentum) viuere malunt. Vrget vota Moſcus quanto illi ſapientius qui non vrgent. Cautum eſt, inquit, ne vocatur cœlibatus, & vt à communione fidelium arceatur, qui propter Eccleſiaſticos ordines, ab vxore ſua ſeſepararet Diſt. 31 cap quoniam. & Cyprianus lib. 1. ep. 11. Si virgines perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, poſtquàm decreuerant: melius eſt vt nubãt, quàm vt in ignẽ delicijs ſuis cadant. certe nullum fratribus, aut ſororibus ſcãdalum faciant. Idem ſuadet canon ille Iſidori, in Decreta relatus. Quæſt. 4. cap. In malis. In malis promiſſis reſcinde fidem. in turpi voto, muta decretum, quòd incautè vouiſti, ne feceris: impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur. Et Cicero 1. officiorum. Qui ad naturæ ſuæ, non vitioſæ genus, conſilium vitæ omne contulerit is conſtantiam teneat. Id enim maximè decet, niſi forte ſe erraſſe intellexerit, in deligendo genere vitæ. Quod, ſi acciderit poteſt autem accidere. facienda morum inſtitutorumq; mutatio eſt. Riſum mihi mouent illa Baldi verba, in lege, ſi tibi filius, digeſt. de adopt. Papam poſſe permittere Monacho ducendæ vxoris ad tempus poteſtatẽ vt ſobole procreata, confeſtim ad monachiſmũ reuertatur. Quid enim ſi iterũ atq; iterũ, prolis edẽdæ cupidine inflammetur? an toties id Papæ conceſſu faciet, quod ducta ſemel vxore, ſemper facere poteſt? Inſulsè Moſcus vt multa alia, votũ caſtitatis verbis confirmat Petri Apoſtoli, quæ ab illo de abrogata Chriſtiana veritate prolata ſunt. Addit idem cœlibatui quo multis è clero virginibuſq; clauſtralibus, nullus maior cruciatus imponi potuit, ab vſu carnium abſtinentiam. nempe ne

Mala conſilia mutanda.

quem

quę lateret etiam id Moſcos, doctrinā dæmonum peruenisſe, 1. Ti. 4 Spiritus diſertè dicit, fore vt poſterioribus temporibus, deficiant quidam à fide, ſpiritibus deceptoribus attendentes ac doctrinis dæmoniorum, per ſimulationem falſiloquorum, inuſtam habētium conſcientiam, prohibentium contrahere matrimonium, abſtinere à cibis iubentium. Sic ad Coloſſenſes ſcribens ſuperſtitioſorum eſſe hæc verba dicit. Ne tetigeris ne guſtaueris. Salubre quidem eſt, mentiq; & corpori prodeſt, abſtinere ſe interdum cibo ac potione, ſaltem id ne fiat eo animo, quaſi eodem tempore, vinum parce bibere, carnes, oua, butyrum modicè edere nefas foret. Non enim vſus rerum, quæ bona à Deo creatæ ſunt, ſed abuſus culpatur. Nec ideo vel bruta animalia continentius nobis viuunt, quòd his non veſcantur: vel quidam homines, ab his rebus abhorrentes. Vt enim Moſcum ipſum multis ſeſe ieiunijs affligentem, & tamen aliquot vxorum, præter concubinas multò plures, thorum expertum prætercam: videamus quæ Matthias Miechouienſis, de Wladiſlao Rege Poloniæ abſtemio, & ieiuniorum obſeruante, cui tamen 4. vxores fuere, lib 4. Chronicorum Polo. cap 48. ſcribat. Per ſingulas hebdomadas, diem veneris mira abſtinentia, in pane & aqua ieiunabat, homo ſemper ſobrius, nec vinum nec ſiceram aliquādo guſtans, in orationibus & poplitum flexionibus prolixus. Et ſub finem cap. In Venerem, non permiſſam modò, ſed etiam prohibitam procliuus. vltima Maij, Anno 1 4 3 4. mortuus. Ita cap. 6 4. de huius filio Caſimiro, qui Pruſſiam Regno Poloniæ adiecit, Anno 1 4 5 4. vita functus 1 4 9 2. 7. Iunij. Fuit homo ſemper ſobrius, aquam bibens, vinum ſiceram, ceruiſiam, & pharmacum nunquam guſtans, & odorem eorum execrans atq; faſtidiens, in Venerem procliuus, balnea amans, mares ſex. quorum 4. Reges fuerunt, & fœminas ſeptem procreauit. Similia de ipſis Moſcis ſcripſit Sabellicus lib. 3. enneadis 10. Gens vinum ſa

Doctrina Dæmonū.

Ieiunium.

Rex Wladislaus Iagello.

Pruſsia ſe Poloniæ adiunxit.

Moſci ſalaces.

in venerem prona, ac bibaciſsima. fœnerant vulgo. nec fraudi eſt cuiquam, ne ſacerdotibus quidem.

Criminatur Moſcus quoſdam è noſtris qui tum in familijs illuſtrium legatorum fuere, quòd ſe impudicè geſſerint. fateor tales pleroſq; eſſe eos, qui aulici vocãtur. quorum ego, nolo eſſe patronus, qui Deum habẽt ob oculos, id non faciunt. Sed non ſola eſt impudica Sarmatia. vidi ſimilia flagitia, in alijs Europæ regionibus.

De monachis. *Non minus violẽter idem Sacra teſtimonia flectit, ad comprobandam, vitam monaſticam. Ita eſt ſcilicet Moſce, & Chriſtus & Apoſtoli præceperunt, vt nos è conſpectu hominum, in ſolitudines reciperemus deſertiſq; caris pignoribus, ac ipſa repub. inertes, inutileſq; Monachi fieremus. longe alia eſt horum verborum, quæ citas ſententia. Nũquam Chriſtus ſyluas petijt, vt in eis vitam beatam ageret: ſed ſemper in conſpectu hominum, cum ipſorum commodo verſatus eſt. imo ne iunior quidem, fuiſſe ocioſus creditur. Scribit enim Iuſtinus Martyr in colloquio cum Triphone Iudæo, aratra ipſum, cæteraq; ruſtica opera feciſſe atq; tractaſſe. Sequitur is Chriſtum, quem nulla pericula, nullæ voluptates, ab ipſo auocãt.* *Chriſtus aratra faciebat.* *Diligit, qui omnes ſuas fortunas, minus eo facit. odit ſuos parentes, liberos vxorem, cùm minus eodem amat: cumq; ſecus fieri non poſsit, deſerit, dummodo Chriſtum conſequatur, regni cœleſtis fiat particeps, & membrum veræ Eccleſiæ. Crucem portat, qui omnia aduerſa, eius cauſa conſtanti animo perfert. bonis ſuis renunciat, qui neceſsitate cogente, omnia amittit, vt Chriſto bona conſcientia, cum electis Dei fruatur. Quis hunc quæſo ſapiens crucem ferre? quis Chriſtum ſequi? quis mundum deſeruiſſe dicat, qui cucullo ſumto, in loco ab omnibus negotijs remoto, & omnis generis delicijs affluenti ſudore aliorum viuit? Chriſtianè is militat, propter regnum Dei ſe caſtrat, proximi commodis ſtudet. & Monachus ſolitarius eſt, qui fictam ſeueritatem præ ſe fert, libidini vbi poteſt,*

poteſt, clam ſeruit, ſimplicium hominum, in cœtu æqualium annonam deuorat? Ego ſane puto, dicit Eraſmus, cucullatum vitæ genus expertus, rem Chriſtianam nihilo deterius habituram, ſi non eſſent, tot cultuum ciborum ac titulorum diſcrimina. præſertim cùm monachiſmus propemodum eo prolapſus ſit, vt ſi externa detrahás, ferè deteriores ſint cæteru. bona verò pars monaſteriorum, adeò nullam habent religionis diſciplinam, vt nuſquam minus liceat, religioſam vitam agere. Hæc ille ad Io. Gacchū monachum epiſt. lib. 22. Deus hominem paradiſo exturbauit, vt labore ſudorem eliciente, victum ſibi pararet. quē rurſum monachi repetunt, amœniſſimis locis clauſtra ſua condunt: at tamen non laborant, ſed tanquam fuci, fructibus agricolarum in ocio ſaginantur. Quid de talibus Hiſtoria Tripartita cap 1. lib. 8? Monachi qui ſuis ipſi manibus, non laborant, violentis latronibus habendi ſunt æquales. Quid Apoſtolus? audimus quoſdam verſari inter vos, nihil operis facientes, à quibus vos ſubducite. 2. Theſſal. 3 & eodem loco. Qui non laborat non manducet. Et Ephe. 4. laboret operando manibus. quod bonum ſit impertiri, cui opus fuerit. Item, nos nullius veſtrum panem gratis commedimus: ſed cum labore & ærumna, nocte dieq́; operabamur, ne quem veſtrum grauaremus, & vt nos vobis pro exemplari exhibeamus, ad nos imitandos. 2. Theſſ. 3. Apud nos, inquit. AEthiopes, presbyteri vxores habent, idemq́; ac monachi, & omnes Eccleſiæ Miniſtri: ſuo labore viuūt. quippe Eccleſia nullas decimas, nec accipit. Habet tamē prouentus, & agros, quos ipſi clerici & monachi fodiunt, habet & eleemoſynas. hæc Zaga Epiſcopus AEthiops, in libro Damiani à Goes. Meritò hæc Indi faciunt. Nam ipſa natura docet, victum eſſe labore quærēdum. Nec ſatis eſt decere. Monachos Deum pro alijs orare. Etenim non bene orant: nec ſolum Deum: nec per ſolum eius filium ſed Sanctos in auxilium vocant, & per merita illorum Deum com-

Eraſmus de monachis.

Monachi cibo indigni.

Monachi in india.

pellant. Ad hoc orant & alij, extra hunc ignauorum fucorum ordinem: & quidem gratis ac melius. Nam non ſolis monachis ſi modo monachis ſed quibuſuis hominibus, vt indeſinẽter precẽtur, iniunctum eſt 1 Theſſ. Luc. 18. In Hibernia, ſcribit Io. Auentinus, Richardus inſulæ eius Patriarches, aduerſus mendicãtem religionem librum edidit, eumq́; Innocẽtio. 6. Pont. Max. dedicauit, vbi teſtimonijs ſacrarij cœleſtis comprobat, religionem mendicantem, velut cultorum falſorum Deorum propriam, aduerſam eſſe veritati & pietati Chriſtianæ. Chriſtumq́; & eius comites non ſolùm non emendicaſſe ſtipem hoſtiatim, victumq́; emendicando quæſiuiſſe: ſed ne cuipiam quidem vel Chriſtianorum, licere ſua ſponte profiteri mendicitatem. Hæc lib. 7. Annalium Boiorum, claruit Anno 1366. Iohan. de Rupe ſciſſa ordinis Minorum, vt Trithemius auctor eſt, qui multa prædixit breui futura, de Antichriſto, generali conculcatione Cleri, & Monachorum mendicantium interitu, deq; toto orbe ad fidem Chriſtianam reducendo: quorum dictorum bonam partem, poſt exortum Lutherum ipſi vidimus, nimirum quòd Deus ferre diutiùs non potuerit, tantam hypocriſim Phariſaicam. Tot ordines Monachorum præter Antonianos, Baſilianos, Auguſtinianos, Benedictinos nigros, & Cluniacenſes, poſt mille à Chriſto nato annos, Satana ad homines decipiendos vinculis ſoluto, à ſuperſtitioſis, & ſuauiter delirantibus hominibus inſtituti ſunt, & aſſenſu Pontificum Romanorum approbati: clarum id eſt, vel ex vnico Lucido monacho, libro de emendatione temporum, omnes enumerante, ex quibus confici ingens exercitus, contra Turcas poſſet. Peucerus verò, in Chronico Carionis aucto, non ſectas, ſed dogmata monachorum hiſce verbis recenſet. Anno 1218. natæ ſunt hoc ſeculo in Eccleſia, plures ac diuerſæ monachorum familiæ, veræ pietatis, doctrinæ Chriſtianæ, & diſciplinarum, literarumq́; artium peſtes publicæ: cùm animos hominũ tam teneret,

Monachi mẽdicãtes

Prædictio de interitu monachorum.

Monachorum ordines excogitati.

pro-

profunda ſuperſtitio, & Pontificum tyrannis inualuiſſet. Finxerunt homines iuſtos eſſe coram Deo, non fide gratis propter mediatorem Chriſtum, ſed propter opera. Statuerũt hominem, Legi Dei ſatisfacere: de perfectione abſurda commenti ſunt, vitæ monaſticæ genus, inſtitutum eſſe prædicarunt, ad promerendam remiſſionem peccatorum, & finxerunt eſſe ſtatum perfectionis plura eiuſmodi alia refert cognitu neceſſaria. Nec diuerſa ab his narrant ij, qui hypocriſi offenſi, luſtra illorum deſerunt, nec quoniam Paparum creaturæ ſunt atque ſatellites, cernimus, vt omnia ſedis Romanæ, (ſit honos auribus) ſtercora, pulchris condiant verbis, ac condita pro rebus ſacroſanctis plebi venditent. Qui quidem tam longe à priſcis Monachis AEgyptiis atq; Syrijs, Paulo, Antonio (quem ſatirum hominem vidiſſe, Hieronymus in vita Pauli teſtis eſt) Hilarione, Macario, Moſe, Arſenio pane ſicco radicibus, aqua, leguminibus, in ſpeluncis & montibus. ſæuiciam idololatrarum declinando viuere ſolitis, Sanctitate receſſerunt: quantum verum abeſt à falſo. fucus à re ipſa, illud ſeculum ab hoc noſtro. reuera enim mundo, verbis tantùm, non factis renuntiarunt, nomine ſpiritui, operibus corpori vacant. Nulla re alia melius meriti de repub. Chriſtiana, quàm quòd nobis Lutherum produxerunt virum certè incomparabilem. Quicquid contrà dicant cæteri monachi ranæ illæ Apocalipticæ, ex ritu beſtiæ egreſſæ falſis miraculis inſignes, bellorũ Euangelicis inferendorũ faces, atq; noui Teſtamẽti Phariſæi, & hypocritæ, horũ ille peſſimus, Bertholdus Schwartz Franciſcanus magiæ & metellariæ peritus qui anno pacis in mundum illatæ 1380. Coloniæ bombardas excogitauit, quo tormento verè Diabolico, inumerabiles homines, intra hosce ducentos annos periere ũt. Hos inter, primas nũc tenent, cornuti Ieſuitæ. qui auctore Loyola Hiſpano milite, Anno ſalutis hominum 1537. Romæ exorti, numero eorum, ita augeſcente, vt malæ citò creſcunt

Hæreſes monachorum.

Veteres monachi.

Monachus bombardæ inuentor

Ieſuitæ herbæ, primùm à Paulo 3. Papa, Anno 1540. deinde à Iulio iti. dem 3. tum à Paulo & Pio 4. poſtremò, ab ipſo Concilio Tridentino approbati ſunt. Vt igitur referant gratiam, cadentem Babylonem Romanam, magno niſu ſuſtinent, fœditatem ſcorti eius, erudita hypocriſi tegunt. Maieſtatem Pontificum coronatorum, quos non vidit priſca Chriſtianorum ætas, furioſo ardore tuentur. Sinceritatem doctrinæ Euangelicæ, ſophiſticis argutijs obſcurant. Euãgelicos vitia, Pontificiorum detegentes, incredibili odio perſequuntur animos auditorum, tendiculas ipſorum ignorantium quo volunt impellunt terras & maria, ſuperſtitiones atque errores, ſimul cum Euangelio ſeminaturi peragrant. demiſſo vultu fluxa veſte, longis precationibus, crebris ieiuniis, ſimulata ſanctitate imperitos decipiunt. vt Lutherianos euertant, principum animis, callidè ſe inſinuant malum bonum, bonum malum vocant, vel paullulum irritati leonibus iracundiores, læſi, vltra modum nocentiores. callidi in celandis ſuis vitijs, ingenioſi, in pelliciendis ad ſe hominibus quorum numerus, in collegijs centum quadraginta & quatuor, toto orbe terrarum ſparſis quinque millia virum iam ſuperat, breui tantus futurus ni Chriſtus ſuo aduẽtu falſos Prophetas perdat, vt ſint facilè cuicunque voluerint nocituri. At ne in fine quidem Moſcus, oracula Diuina, rei aptè accomodat. Quis enim animaduertit, vltima illa Marci ſeu illa alia Lucæ & Matthæi verba, nihil prorſus ad monachos, niſi quis hos ſolos, Chriſtianos eſſe putet, pertinere? Erant fateor illo tempore Apoſtolico, Philone

Priſci Eremitæ. Iudæo teſte, quidam eremitæ Chriſtiani in AEgypto, ſanctimonia celeberrimi, quos ſi quis cũ monachis, qui hodie ſunt, nihil minus quàm monachi comparet, noctem cum die comparet. Singuli inqt, habent Sacras ædiculas, quæ ſemnea vocant, ſiue monaſteria, vbi ſolitarij ſanctæ vitæ dant operam, temperantiæ tanquam fundamento in anima iacto, virtutes cæteras ſuperſtruunt, nec cibum nec

nec potum quiſquam ſumit, ante ſolis occaſum quòd ſapientiæ ſtudium luci conuenire iudicent, tenebris verò, curam corporis. nonnulli ex his vix tertio quoq; die famem ſentiunt, attenti magis ad diſciplinarum ſcientiam. nec deſunt, qui prælautè accepto epulo ſapientiæ, vix ſexto die deguſtant cibum, in cibatu vtuntur pane ſimplici, ſal vicem ſupplet obſonij: delicatiores hyſſopum pro condimento adijciunt, aquam bibunt, carnibus & vino penitus abſtinent. Plura Philo, libro de vita contemplatiua. Item Robertus Gagninus in Ludo Prouico craſſo Gallorum Rege. Bernardus, inquit, Clareuallis primus abbas, Olerum loco, fagi frondes deſumebat, & pane hordeaceo admixto, milio & vitia vtebatur. talis diu fuit religioſis hominibus viuendi auſteritas & parſimonia. Sed vbi poſſeſſionibus aucti, prouentibus ditati ſunt apud ſucceſſores illorum, virtus & Dei pietas elãguit. Ita in luxum parſimonia in ſuperfluas opes paupertas, in faſtum humilitas, in laſciuiam continentia confuſionem omnis ferè ordo nunc verſus, parui habetur. Et Polydorus cap. 1. lib. 7. de initijs vitæ monaſticæ. Id temporis, huiuſce vitæ genus ſimplex ac liberum erat. Vtpote iſtis omnibus ceremonijs minimè obſtrictum, quas hodie monachi obſeruãt, veſtitum honeſtum pro arbitratu ſuo quiſq; ſumebat. Item nullum votorum vinculum. Ita vt integrum cuiq; foret manere aut proficiſci, quo terrarum vellet. Vel ſi quem eiuſmodi ſui inſtituti pœnituiſſet, etiam poteſtas eſſet ad priſtinam redeundi vitam: non abſq; tamen inconſtantiæ nota. Petebãt autem loca, plurimum deſerta. I nunc Moſce, & noſtri ſeculi tam monachos quàm monachas, aut in medijs commercijs hominũ, aut ruri, ſed regie viuentes atq; degentes, illis antiquis æquiparato, tuos tuaſq;, ad quas tot vxores tuas, quæ leui de cauſa diſplicent detrudis, non bene noui. minus tamen illis eſſe deliciarum quam noſtris Europeis audio. At verò, quid dura atq; auſtera iuuat vita, ſi ei tantum, vt Chriſto

Moſcus ſuas vxores detrudit in monaſteria.

vitæ iuſtitiæq́, tuæ, non omnia tribuas? ſi Iudaico animo è cibo potu, veſtitu aliyſq́, rebus ab homine excogitatis iuſtitiæ perſuaſionē, & perfectionis opinionem induas? ſiq́, tibi aliquod ſupercilium ad q̃ procliues natura ſumus propter continentiam, & diuturna ieiunia arroges? melior eſt in conſpectu Dei, demiſſi animi publicanus, ſuperbo Phariſæo ſibi placenti, ac iuſtitiæ innitenti ſuæ.

Coronidis loco fert idem ſententiam iniquiſſimam, de tali miniſtro Chriſti, cui num pietate, rerumq́, Diuinarum uera ſcientia, par tum quis fuerit in Moſcouia, valde dubito: eo magis dolendū, quòd ſchiſmaticus ſi Dijs placet de hæretico. Nihil facilius Moſce quàm hæreſis crimen alicui impingere: & id bonis doctisq́, probare perdifficile. Hæreticus olim is erat, quemadmodum in præfatione docui, qui diſſentiebat ab Euangelijs 12. capitibus Catholicæ religionis, & 4. primis OEcumenicis concilijs: nunc is eſt, qui hæc omnia concedens, ab his diſsidet hominibus, qui de uotis, imaginibus, ieiunijs, cibis, igne purgatorio, miſſa expiatoria, indulgētijs, mortuis inuocandis ſummo vnius hominis in omni Eccleſia principatu, ſeptem Sacramentis deq́, rebus alijs, vt noua ita falſa dogmata inuexerunt in Eccleſiam. Præterea qui ait diſciplinam eccleſiaſticam, multùm à ſinceritate Euāgelica prolapſam eſſe, populum Dei multis modis grauatum, conſcientias hominum varijs tricis illaqueatas, Phariſæos denuo exortos, Antichriſtum patefactum, mūdum per aſtutum Satanam, in varios errores inductum. Sed minimè mirandum eſt, iſtum Chriſtianorum Ariſtarchum, ita cenſuiſſe. Iamdiu enim doctrina Chriſtiana, hæreſis eſſe, cæcis maliſq́, viſa eſt. Vellemus ex te Paule audire quæ ſentias. Nā de hæreſi iſta: notum eſt nobis, vbiq́, ei contradici. Act. 28. Et ipſemet Paulus cap. 24 Hoc verò tibi præſes confiteor, me ſecundum viam illam, quàm hæreſim dicunt, ita ſeruire Patrio Deo, vt qui credant omnibus quæ in Lege, & in Prophetis ſcripta ſunt. Idem nos Moſco

Quis hodie hæreticus.

Chriſtiana religio, hæreſis exiſtimatur.

reſpon-

reſpondemus, veri conſcientia freti. Breui, vt ſperamus tempore, diuerſam ab hac ſententiam, ex ore omnium noſtrum agonothetæ audituri. Longe enim alia ſunt Dei, alia hominum iudicia. Aliter ipſa veritas de vero, aliter mendax homo pronūtiat. Dicetur ibi, ſynagogis malorum eiectis, venite benedicti Patris mei, poßidete regnum. Proindè has improborum diras, nauci facimus. Adeò peruerſa hominum de veritate, nobiſq; eius aſſertoribus iudicia, parui ducimus. erroribus cæcorū Catholicis, orthodoxi minimè mouemur. multitudine perperam credentium, Chriſti Regnum non metimur. Propter tot aduerſa, quibus nos diu Caini Progenies affligit, quæ vera ſunt dicere, ſcribere religionē mirè labefactatam, priſtinæ dignitati reſtituere, Deo propitio ac rei huius auctore, nunquam intermittemus. Tu verò ô homo, ne ignores velim, reddendam tibi eſſe aliquando, Chriſto iudici orbis terrarum, vt omnis geſtorum, quæ ſeria non eſt ſecuta pœnitentia: ita huius ipſius veritatis à Rohita miniſtro, ad vos dono Dei miſſo indicatæ, ſed abs te cleroq; tuo, ingrato animo acceptæ rationem. Cuius viri, de Eccleſia Chriſti puriore, præclarè meriti, quòd pro meo modulo, eo ſtudio tueor innocentiam, hæreſis crimine immeritò aſperſam, dari mihi veniam, ſi id peccatum eſt oro. Etenim non ſolùm iuſti, ſed etiam miſericordis eſt, proximum ab iniuria defendere. Nolo inquit, Hieronymus, in ſuſpicione hæreſeos, quenquam eſſe patientem, ne apud eos qui ignorant innocentiam eius, diſſimulatio conſcientia iudicetur ſi taceat. Hæc ad Pammachium aduerſus errores Iohannis Hieroſolymitanorum Epiſcopi. Habes candide lector pauca de Moſcouitica. & vt vocant Lutheriana theologia, in vtraq; perſcribenda, abſq; omni cuiuſquam, vt opinor iniuria, bona conſcientia vſus, dedi operam, vt Moſcos, ſi quando hæc legent, meliora docerem: & cauſa noſtræ non malæ, apud iniquos iudices, pro virili patrocinarer.

RELIGIO MOSCOVITARVM, IOHANNIS FABRI, AD FERDInandum Regem Romanorum cui à confeſſionibus erat.

Moſcouitæ fidem Chriſtianam ſequūtur, quam à Sãncto Andrea Apoſtolo fratre Simonis Petri, primum eis prædicatam affirmant. Ea quoq; quæ ſub Conſtantino Magno à CCC XVIII Eiſcopis, in Nicea vrbe Bithyniæ primo Niceno Conſilio concluſa, ac à Baſilio Magno & Sancto Chryſoſtomo tradita & prædicata fuerunt, tam Sancta, tam firma, tam ſincera eſſe credunt, vt ab illis hactenus nunquam licuerit tranſuerſo digito (vt aiunt) recedere cuiquam, ſicut neq; ab Euangelio Chriſti. Ea quoq; modeſtia eſt eorum, vt quæ à Sanctis Patribus in ſuis conſilijs, ſemel ſunt deciſa, nunquam audeat quiſquam ſuæ profeſſionis, in dubium denuo vocare. Verùm ſi qua vel fidei difficultas, vel ritus religionis inciderit, vniuerſa ad Archiepiſcopum ac reliquos Epiſcopos, per ipſorum tantùm ſpiritum definienda refertur: neq; quicquam inconſtanti vulgo & inconcordi relinquitur. Sacerdotis enim labia cuſtodiunt Legem Dei, & Lex ex ore eius requirenda erit. Habent aut Archiepiſcopum qui in vrbe Moſcouia, in eo loco vbi ſedem Imperator habet Cathedram Archiepiſcopalem obtinet. Sunt & Epiſcopi quamplures in Nouigradia, vnus, in qua & Iſidorus extitit, ſub Eugenio Pontifice Rom. Cardinalis, teſte Raphaele Volaterrano

terrano. In Roſciuia alius, alius in Suſtali, alius in Otiſeri, alius in Smolne, alius in Reſani, Colmum, Volut, & Frotini præficiuntur Epiſcopi, qui & ſuas habent Diœceſes. Hi quidem omnes Epiſcopi, Archiepiſcopum velut ſupremum agnoſcunt. Archiepiſcopus autem ille, antequam Patriarcha Conſtantinopolitanus à Machometica tyrannide ſuppreſſus eſſet, ſemper hunc Patriarcham vt ſuperiorem recognouit. Huic tamen Romanum Pontificem, veluti Petri ſucceſſorē præceſſiſſe ſemper ac meritò fatentur. Neq; hodie huius rei immemor Ruthenorū Imperator, adhuc pietatis eiuſmodi diligens cuſtos: quotannis enim Conſtantinopolitano Patriarchæ in hanc vſq; horam quo viuere & Ægyptiacæ ſeruitutis finem æqua mente expectare poſſit elemoſynam mittere cōſueuit. Apud Moſcouitas ea lex & ſanctio eſt, vt presbyteros & omnes quotquot clerici ſunt ſoli ordinent Epiſcopi. Neq; vlli presbytero vnquam quenquam confirmare licet. Hoc enim muneris Epiſcopo ſoli incumbere aſſerunt, vt poſteaquam tinctus aqua, adultus fiat, per impoſitionem manuum Epiſcopi & ſignaculum crucis, adeptæ fidei teſtimonium reddat, firmeturq; per vnctionem quæ in fronte fieri ſolet. Iidem in Cœna Domini chriſma & oleum celebrant, atq; conficiunt. Cuius dein vſus ſit in Baptizando, confirmando, vngendo infirmos. Soli ſunt qui inſtituūt & deſtituunt presbyteros. Neq; vnquam licet laicis in ipſos animaduertere, rectè ob oculos habentes Pauli doctrinam ad Timothæum qua dicit. Accuſationem aduerſus presbyterum ne admiſeris, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Ita nec ſe vnquam Imperator ipſe de pœnis clericorum ingerit. hoc Epiſcopalis tantùm animaduerſionis conſtanter affirmant & prædicant vt eos arguat & caſtiget quos ſibi ſubditos Euangelicus ordo, ac in ſortem Domini vocatio fecerit. Habent & Epiſcopi ſuos vicarios & officiales, quemadmodum & noſtri qui iuriſdictionem in ſubditos exercēt, & iuſticiam in rebus Eccleſia-

Quod accidit 1453.

ſticis adminiſtrant. Decimis quemadmodum à Deo decretum eſt quoq; viuunt Epiſcopi: dominijs vtuntur iure conceſſis. villas ac caſtra poſſident. Reliqua verò ſacerdotum turba, aliquibus decimis, oblationibus, & alijs quamplurimis tam viuorum quã mortuorum aluntur. Pro ijs enim beneficia habent fundata, quorum patroni ſunt tam ſpirituales quam laici. Seueriori tamen cura hic agitur, quã ſoleat interdum nobiſcum, negligẽtius ſcilicet. Nemini enim facilè aliquod munus Eccleſiaſticum commendatur, neq; confertur beneficium, niſi prius huic ipſi ſatisfacere poſſe comprobetur, per eius rei tamẽ peritos velut Epiſcopos aut vicarios. Sunt Epiſcopis ſuæ familiæ, tum nobilibus tum alijs conſtitutæ. Hi certè ſunt Epiſcopi, per quos ſtatq; caditq; vniuerſa Ruthenorum religio. Diuina ſæpe, quum cum Imperatore conueniunt peragere ſolent. Pro inſignibus huius muneris, baculis vtuntur & mitris. Perinde atq; noſtri ſolent Epiſcopi. Ea verò abſtinentia eſt, quæ nunquam ſatis laudari poterit, inſignis admodum & magna, tum Archiepiſcopi tum reliquorum Epiſcoporum, cibi atq; potus, nec minor ferè quam monachis eius regionis, quibus ipſa ſolet eſſe refertiſſima, qui quidem ea lege obſtricti ſunt abſtinentiæ, vt nunquam in perpetuum carnibus veſci liceat. Non procul ab vrbe Moſcouia monaſterium eſt ampliſſimum, in quo trecenti fratres, perpetuò ferè ſub regula magni Baſilij degunt. in quo etiam ſepulchrum ſancti Sergij abbatis, quod ab exteris è longiſſimis etiam agris frequentatur. Multis enim miraculis celebre factum eſt, Chriſtianorum admiratione non parum dignis. E quibus vel vnicum in medium prolatum ſufficiet, omnium illuſtriſſimum, quod paucos ante annos illic contigit, duobus cæcis quidem viſus donatus eſt. Cùm enim abbas ille viueret, tanta vitæ ſanctitate extitit, vt facilè ſibi perſuaſerint, atque credant iam multa ipſum precibus ſuis apud Deum poſſe efficere atque conſequi mortalibus. Ideoque monumentum

tum eius, crebro mira cum deuotione accedunt honorantq́. Vniuerſi enim tum monachi tum virgines Veſtales, quotquot ſunt in monaſterijs, vnicæ regulæ vnique habitui obnoxij, nigro ſcilicet, vſque adeò religioſe viuunt, vt nō mirentur ſolùm, verum etiam ſummo honore eos proſequantur. Neque ipſis tam vilis ratio voti habetur velut hodie nobiſcum. Verùm cum quis ingreſſus fuerit monaſterium, nūquam in perpetuum quoquo modo, quáue indulgentia ei licebit exire, aut aliquo votum irritum facere. Vota verò tria ſunt quæ exhibēt ceu noſtri. obedientiæ ſcilicet, paupertatis, & caſtitatis. Quæ ſi quis prætergreſſus, è monaſterio qui proſilijt deprehenditur, perpetuo carcere in pœnam tanti ſceleris clauditur. Tanta eſt votorum ſanctitas. Vt etiam quamuis multa apud Ruthenos Archiepiſcopi & Epiſcoporum authoritas ſit. in his tamen illis minimè quicquam conceſſum eſt. Quod vouendum & reddendum Domino, vtriuſque teſtamenti ſcriptura edoceat, imò ipſa veritas requirat. Caſtitatis itaque adeò ratio haberi ſolet, vt nunquam monachis vxores ducere, neque monialibus nubere liceat. Ita enim à Paulo & tota Eccleſia prohibentur. Is autem qui virginem bonæ famæ duxit in ſacerdotem ordinatur in monachum tamen nunquam recipitur. Epiſcopus autē vel Sacerdos, poſteaquam cælebs in ſortem Domini vocatus atque conſcriptus fuerit, coniugio non copulatur, ſed perpetuæ caſtitati adſtringitur. Quod ſi quis concubinatus crimen admiſerit (quod tamen apud Ruthenos vitium eſt rariſſimum acerrima pœna ab Epiſcopo affligitur, ſuoque beneficio priuatur. Cumq́; vxor ſemel mortua fuerit quam primo duxit, in perpetuum quoq; aliam in vxorem nunquam ducit. Non bigamum nāq;, at vnius vxoris virum Epiſcopum inſtituit Paulus. Et quod pietati coloquonium adferre videtur deuotionis ſpiritum augere vt cùm Sacerdos Diuina celebraturus eſt, in coniugio conſtitutus, maximeq́; in Miſſa celebranda obſeruari ſolet, mini-

mè fas eſſe putant præcedenti nocte, cum vxore dormire: periculum enim illic eſſe verentur, ſi non cum peccato id fiat. Ideò quoque pro pleniori reuerentia nocte ſequẽti ab vxoribus quoq; abſtinent. Ea eſt in his quidem tanti corporis & ſanguinis myſterij reuerentia, is cultus, hæc ſpiritus perſuaſio. Videant igitur nunc noſtri quam pollutis manibus hoc ſacroſanctum myſterium, pignus omnis redemptionis noſtræ tractare ſoleant. Moueret optarim vel vnicum Dauidis exemplum, qui cum extremo iam ferè ieiunio laboraret, non tamen propoſitionis panes ab Abimelech obtinuiſſet, niſi ipſe & ſerui eius ab heri & nudiuſterius ab vxoribus aut alijs mundi fuiſſent. Cur igitur nõ mundiciei ille quoq; ſtuderet magis, q vaſa Domini, imò ipſum Dominũ adminiſtraturus eſt & manibus contrectaturus? Eſt & aliud officium ſacerdotum præcipuum, vt Euangelium Chriſti populo annuncient, ſalutem ſcilicet & pacem: id quod fieri conſueuit vbiq; omnibus diebus dominicis, feſtis quoq; diuæ virginis Mariæ: Apoſtolorum item & quorundam Cõfeſſorum martyrumq;. Verbum autem Domini pari deuotione & prædicatur & auditur. Magna quoq; eſt illis reuerentia virginis Mariæ, crebris quidẽ orationibus, veluti Chriſti mater pro interceſſione apud Filiũ rogatur. Verè enim ea putatur, cùm Theotocωs ſit, quæ pro nobis in terris plurima poſſit à Filio conſequi. Feſta itaq; eius Annuntiationis, Purificationis, Natiuitatis, Aſſumptionis, & quotquot denique inciderit, ieiunijs indictis, orationibus, miſſis, tum lectis, tum decãtatis celebrare, pro communi ritu Eccleſiæ ſolent Græcorum: quemadmodum & toto anni ſpatio, excepto quadrageſimali tempore, quando S. Georgij miſſam theologi celebrare conſueuerunt. Eſt autem vtraque Miſſa. *miſſa ter prolixior, quàm ſit ea quæ apud Latinos communis habetur. Deuotis quidem mentibus, accedunt, illam populi audituri, tanquam participes futuri eius. Solet autem hoc differre illorum*

Miſſa

Miſſa à noſtra, quod Moſcouitæ in pane fermentato, Græcorum more conficiunt. Calici item tantùm aquæ quantum vini rubei miſcent: quam aquam & calidam eſſe volunt, quod ex latere Domini non ſine myſterio magno, profluxerit ſanguis & aqua, quam calidam fuiſſe credere fas eſt: alioqui enim miraculum vix cenſeri poſſet. Hocq́ Sacramentum corporis & ſanguinis à ſolo Sacerdote conſecratur, qui ueluti noſtri ferè, ſtola alba indutus, tota mēte ad Deum eleuata, id efficere conatur myſterium, quod pro ſufficienti pignore omnium promiſſionum ſuarum Chriſtus, in vltima Cœna reliquit, quemadmodum vniuerſus orbis fatetur. Epiſtolam item & Euangelium æque in Miſſis habent. At lecto Euangelio, non mox Nicenum illud Symbolum, ſed poſt angelicum cantum, qui Sanctus appellatur. Primum fides Nicena decantari ſolet, cūq́ dominicæ orationis finis factus fuerit, mox antiphona de Beata virgine Maria ſequitur. Conſecratio itaq́ æque ab ipſis verbis fit à Chriſto probatis, quibus & eam vim conceſſam credunt, vt prolatis ipſis à Sacerdote, mox creatura creatori ſuo cedat, illudque quaſi neceſſarium eſſe. Dum verò ſic conficitur, ecce panis iuſtæ magnitudinis hordeaceus apponitur, in cuius medio hoſtia eſt, cui crucifixi forma, perinde, vt apud nos, impreſſa cernitur, quàm vi benedictionis in corpus Chriſti conuerſam, Sacerdos ſibi ſumit & manducat, reliquum verò panis per fruſtra diuiſum petentibus diſtribuit: quem ſinguli non vt corpus Chriſti, ſed veluti benedictum aliquem, & quodammodo ſanctum panem, cum ſumma deuotione ſuſcipiunt. Solent itaq́ has Miſſas celebrare de Trinitate, & beata virgine, deq́ alijs Sanctis. Et quoniam illis procul dubio Purgatorij opinio eſt, aſſiduè pro defunctis orāt, Miſſis ſubueniūt. In qua quidem re tanta illorum eſt religio, vt plerią́ bina pro mortuis anniuerſaria, vt vocant, agant. Alterum, qui fatalis quo mortuus eſt die agitur. Alterū autem, quo ab Eccleſia inſtitutum,

ſancti illius, cuius nomen habuit proprium feſtum celebratur. Ad hæc fiunt frequentes oblationes & elemoſynæ Chriſtianorum. Hoc quicquid eſt rituum & potiſſimum Miſſarũ, omne quidẽ ex inſtitutione primæua Eccleſiæ eſſe affirmãt, vti tradunt etiã Chryſoſtomus, Baſilius Magnus, ac Gregorius theologus. Hæc igitur ſint breuius dicta quam vel par ſit huic myſterio: Euchariſtiæ quidem Sacramentũ quantum ipſis in vſu eſt, populo adminiſtrari ſolet, tempore quo Chriſtus ipſe inſtituit: & dein ſequuta Eccleſia, paſchali ſcilicet. alia tamen ſerie forſan quam Romana Eccleſia faciat atq; decreuerit. Baptiſmum pro Sacramento primo, adeoque præcipuo ducunt. Quapropter hoc ſi quiſquam neglexerit deriſeritq́, mortis pœna affligitur Baptiſant itaq; pueros, In nomine Patris Filij & Spiritus Sancti. Huic muneri fungendo quæcunq; neceſſitas inciderit, nemo hominũ ſufficere putatur niſi ſacerdos extiterit. Prius verò quam Baptiſmus adminiſtretur, orationes fiunt frequentes ac deuotæ, à ſacerdote, à parentibus, à patrinis, à proximis, ab amicis, & quicunq; deniq; adſunt, quo Deus Opt. Max. ſeſe è cœlo per plenitudinem gratiæ ſuæ puero, per vniuerſum vitæ ſuæ curriculum aſſiſtere dignetur. Quibus certè precibus ad Deum fuſis, in Eccleſia, ad quod peragendum illic Baptiſterium ordinatum eſt, aut tempore brumali moleſtiam frigoris fugientes, in loco ſecretiori puer Baptizari ſolet. In cuius rei teſtimonium adhibentur patrini, pro more etiam noſtro quibus ex pollicitis incumbit, vt huius Baptiſmi memores eſſe velint, vt puerum olim, cum ætas patitur aut expoſtularit, in fide erudire non negligant, vt Deũ pro tanta gratia laudent, ac orent, vt donum hoc Diuiniſſimum fidei datum, indies augere dignetur. Prælectis itaq; orationibus, atq; etiam exorciſmis, cum puer fortioribus naturæ viribus apparet, ter totus immergitur, alioquin aqua tingitur, raro tamen, conſperſio enim minus ſufficiens iudicatur. Oleo & chriſmate interim quoq; appo-

Baptiſmus

ſitis

ſitis fronti & ſcapulis. Sal verò quod à noſtris adhibetur, & lutum ex Saliua, & puluere, non admodum receptum eſt Moſcouitis, abrenũtiationem verò trinam fidei quoq; confeſſionem trinam in vſu retinent. Interrogati dein per nos quãtum ipſi Circumciſioni tribuerint, num & ipſi in vſu haberent. Procul quidem ab eis abeſſe reſponderunt, vt vel ſcintillam veteris & aboliti Iudaiſmi obſeruent, imò in deteſtationem illius nec quiſquam Iudæorum per vniverſum Ruthenorum Imperium admittitur, etiam ſi multis millibus aureorum hoc conſequi præſumeret. Cùm verò iam adultus eſt puer, & perfectam ætatem cõſequutus, ita vt ſuæ fidei Chriſtianæ teſtimonia reddere poteſt, ad Epiſcopum ducitur, vt confirmationis huiusmodi fidei Sacramentum recipiat, quod & Chriſmate in fronte per ſignum crucis confertur. Adminiſtratio verò huiuſmodi Sacramenti, nulli conceſſa niſi Epiſcopis: quo cõiecturare licet atq; argumẽti loco haberi, quandoquidem omnem religionem ſuam per manus traditam habẽt ab Apoſtolis, impoſitionem illam manuum vel in confirmatione, vel in ordine ſacro, ſoli Epiſcopo traditam eſſe, ſicq; hactenus monumenta omnia tenuerunt, atq; perpetua obſeruatione cuſtoditum eſt. De matrimonio ſi qua dicenda ſunt: hoc certum eſſe affirmarunt, conſanguinitatis ſimul atq; affinitatis, multùm curæ ac ſolicitudinis eſſe ipſis, neque vnq̃ facilè negligi, adeò quoq;, vt nec vnq̃ in quarto gradu repertus ſit, q̃ cõtraxerit, neq; indultũ, verũ ꝑpetuo illicitũ. Hoc enim à ſanctis patribus ſancitũ ſemel, nunq̃ irritũ facere conãtur. Et ꝙ plus eſt, illud quicquid eſt cognationis quod in Baptiſmate, & cõfirmatione contrahunt patrini, in vniuerſum æque obſeruare ſolent atq; Eccleſiæ Romanæ decretis cautum eſt. Quod ſi in his decernendis concertatio oborta fuerit, lis omnis Epiſcoporum arbitrio dirimitur, ita tamen, vt nequaquam indulgentia cauſam leniorem fecerint, quo nulla fraus fiat omninò conſtitutionibus. Adulterij abomi-

natio fortaſſis maior illis quam nobis exiſtit. Illud enim ſumma execratione deteſtari & perſequi ſolent. Lex eſt etiam firma, vt quamdiu vir vixerit ſimul alteri nubere vxor non poſſit. At hoc defuncto primum etiam Lege liberatur, alioquin indiuidua conſuetudine vitæ cum marito commorandum eſt. Sacri ordines quoque apud ipſos ſuis quibuſdam obſecrationibus & cæremonijs Sacerdotibus conferuntur. Neq. illis clauium poteſtas tradita creditur, niſi ad imitationem Chriſti in aures illorum dicatur, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Huiuſmodi certè Euangelij forma à Chriſto nobis præſcripta, omni huic qui ab Epiſcopo vocatus, ordinatusq. in Presbyterum fuerit, authoritas tribuitur, qua vel à peccatis ſoluere, vel ijs ipſis obnoxios ſinere poteſt. Sacerdotali enim hoc miniſterio, Moſcouitæ ad pœnitentiam vtuntur. Quiſquis namq. ad prouectiorem ætatem, atq. eam venerit, quæ ingenij ſui viribus vti poteſt, ac diſcernere inter bonum & malum, rectum & prauum, lepram & non lepram, per contritionem ſeſe peccaſſe agnouerit, rectè ſpiritus contribulati ſacrificium reddens, mox ad pedes Sacerdotis procidit, & in aurem illi, vt qui ſedem Dei teneat, ſcelera omnia admiſſa ſigillatim, quantum memoria recolligere poteſt, ex ordine cum planctu aut gemitu declarat, à quo poſtea beneficium obſolutionis, tanquam Chriſti vicario accipit. Huic rei conficiundæ, tempus quoq. habent conſtitutum: quotannis enim Paſchæ feſto pro eccleſiaſtica ordinatione facere coguntur, pleriq. tamen deuotiores, ad celebriores feſtiuitates exomologeſin auricularem facere nō negligunt. Id ſi quis conſtituto tempore Paſchatis neglexerit, Anathema eſſe ſolet omnibus, abominaturq. ipſe ab omnium conuerſatione, adeoque ab Eccleſiæ ingreſſu coercetur. Confeſſus itaque, quò digne particeps fieri poſſit tanti myſterij corporis & ſanguinis Domini, prius per aliquot dies corpus affligat oportet, & in ſeruitutem vſque rediga

Confeſſio

Preparatio ad ſacram ſynaxim.

gat

gat carnem ſuam, reliquoſq́; pœnitentiæ fructus dignos in teſtimonium afflicta conſcientia peragat. Proin ieiunium illud quadrageſimale à Chriſto & Apoſtolis nobis inſtitutũ prorſus affirmant, quo quidem tempore, quoniam omnium procreãtium, Veneri commodiſſimum eſt, atque pruritus acerbiſſimos, animantium cunctorum, non eſt, quod plus prouocet, opus eſt ſummè vt veteris illius Adæ inſultus, perdomemus carnis abſtinentia, qua certè abſtinentia, apud hos quidem ſeptem hebdomadis ſumma diligentia perficitur, adeò vt hoc tempore in perpetuum nulli ſuorum hominum carnibus, ouis, caſeo, & butyro veſci liceat. Præter hoc etiam à decima die Nouembris, ad feſtum vſque Natiuitatis ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ieiunant, habent & alias hebdomadas continuas, quibus ieiunant, vt in Iunio ad feſtum Petri & Pauli. Aliquot item Hebdomadas in Auguſto ad feſtum Aſſumptionis Mariæ, tum diem Veneris per vniuerſum annum, quidam & Mercurij. Votum proin fecerant octo ex peregrinis illis, qui cum ſua Serenitate fuerunt, vt ſingulis hebdomadis tres dies ab eſu carnium abſtinerent, Lunæ ſcilicet, Mercurij & Veneris, id quod Diuina gratia hactenus obſeruatum aiebat interpres. Tanta eſt autem illis harum conſtitutionum obſeruãtia vt quocunque ieiunio piaculum eſſet, aliquem carnibus veſci aut ouis. Narrabant interim quoque, ex ſuis inueniri, qui cum ieiunia perſoluunt, nihil quod vnquam viſum ſit vita fungi, neque piſces ipſos ederent. Inueniri & alios qui ieiunio ſtatutis diebus, neque vinum, neque quicquam aliud potuũ bibant. Quare audita ita moti, vt mente, ἐνθουσιασμῷ *correpti, deſtituti videremur, quod admodum iniquã eſſe noſtrorum Chriſtianorum cum illis, in rebus iſtis Chriſti religionem cõcernẽtibus comparationem apparebat. Nec magis vnquam quicquam animis noſtris tenacius inhæſit, quod nos qui nobis ipſis multum perſuademus de arbore fidei noſtræ, fructu quidem deteriores illis*

eſſe contingat. Tuentur & alios pœnitentiæ gradus, quibus Deum nobis reconciliari credunt. Ex quibus & potiſſimus eſt Oratio, in qua frequentanda non facilè ſimiles reperiri cenſeo. Omni namque diluculo cuncti eorum, toto corpore in puluerem ipſum proſtrati, prolixas orationes, & quotidianas ad Deum fundunt, & ferè abſque omni temporis intercapedine orant precibus. Quarum primum locum obtinet oratio dominica, dein cum Archangelo Gabriele, diua virgo ſalutatur. Dicunt & fidei profeſſionem ſymbolo, quod Apoſtolorum eſſe à veteribus perſuaſi ſumus: & nullus eorum eſt, qui non ſingulis diebus litaniam perſoluat. Qui verò ditiores ſunt, è quorum facultatibus eſt magnos pro ijs ſumptus poſſe facere Ruthenicis literis imbuti, libros orationũ ſibi comparant, earum ſolùm tum quæ ab Eccleſia receptæ ſunt, cuiuſmodi apud Oratores vidimus. Imaginum verò non tam leuis cura, aut contemptus apud ipſos viget, veluti apud nos his factionibus huius ſeculi increbruit, præter omnem pietatem: verùm vt monumenta, quò nec vnquam immemores beneficiorum Dei fieri contingat, præ oculis habent. Frequentes cõueniunt in Eccleſiis quas & ipſi magnis ſumptibus extruunt, Orationis domos ex Euangelio vocitantes, quasq́; imaginibus varijs Crucifixi, diuæ virginis, Apoſtolorum, & aliorum quorundam ornant, id quod licere ſibi ex moribus vetuſtiſſimorum Chriſtianorum prædicant. Neque tam facilè ipſos mouet, quod apud Græcos Conſtantinopoli ante ſeptingentos annos extiterunt, qui imagines idololatris conuenire docuerunt, neque fas eſſe, vt cùm verè Chriſtianis reperiantur. Qui certè ſecunda dein Nicena ſynodo damnati fuerunt, quotquot pertinaci animo hanc ſententiam ſunt tutati. Neq; eſt vt vel vnũ aut alterum, qui his vt monumẽtis vtitur, adorare, facilè reperiri queas. Quoniam nemo eſt qui vel ignoret à lege prohibitum eſſe ne veneremur lapides. E contra etiam nullibi ſcripturæ locus eſt, quo non vti liceat

Cultus imaginum.

ceat ijs monumẽtis, q. vetet. Imò & in cõuiuijs illi ob oculos ponere conſueuerunt monumenta huiuſmodi, vt in perpetuum animo obuerſentur, quæ præſtitit nobis Deus, atq; facilius recordentur vniuerſæ vitæ noſtræ exempli, Chriſti. At quod è cæremonijs eſt, communem habent nobiſcum vſum, in ſacris candelarum. quoniam cera opulentiſſimi ſunt, frugibus verò terræ, & ijs omnibus, quæ ex ſubſtantia ſunt alicuius, venerandum ducunt Deum, quæ candelæ tunc potiſſimum accenduntur; quando totius redemptionis noſtræ myſterium corporis & ſanguinis Domini, Miſſa à Sacerdote contrectatur. In organa verò illa Pipiniana, quæ tamen nobis primo à Græcia ſunt miſſa, nullos omninò ſumptus faciunt neq; hactenus vſi.

Neq; illud quidem minori, quam reliqua quæ egregiè faciunt, loco habendum erit, quod plurimum commendatos habent pauperes, quibus quiſq; pro ſua facultate, atq; quantum Euangelij pietas conſulit, exponit elemoſynas, veſtit, potat, paſcit, hoſpites colligit, & reliqua agit huiuſmodi, quibus Filios Dei in vita prouehere poteſt. Conſtituunt ad hæc peregrinationes, ad præſcripta quædam ac ſancta loca, quam rem nunc lubens prætereo. Is quoq; qui morbo aliquo prægrauatus eſt, cuiuſmodi in extremum mortis periculum ducere videtur, non ſolùm auriculari confeſſione ſua peccata enumerare ſolet: verùm ad hoc etiam, vt fidem ſuam teſtetur in Chriſtũ qui hoc modò teſtamento reliquit ſe remiſſurum noxam, Sacramento Euchariſtiæ prouidetur. Extremam item vnctionem minime negligit. Tum pro ægrotante frequenter fiunt orationes, atque litaniæ res agitur. Sicque tandem exacta exomologeſi, pro rituque communi Chriſtianorum omnibus perpetratis, confeſſus ille à Sacerdote abſoluitur. Septem igitur numero Sacramenta habẽt, velut ea quæ ſine omni fraude promiſſionum ſuarum eum qui pro Chriſtiana pietate ipſis vtitur, participem, ac compo- Extrema Vnctio.

tem faciunt. Præcepta item decem eadem authoritate tenent, quæ Moſi primo tradita ſunt, quaſi nunquam intermoritura, certi per verbum eius, quod venerit vt impleret legem, minimè vt ſolueret. Indulgentias ab Archiepiſcopo & Epiſcopis accipiunt, magis tamen caſtè forſitan ab ipſis agitur in ea re, quam à noſtris. Impijſſimum enim eſſe dicunt, vt quæ ipſi gratis acceperint ſibi magnis ſumptibus redimenda eſſent. Neque fas eſt vlli Epiſcopo dare poteſtatem veſcendi carnibus. Matthæus, Marcus, Lucas, Iohannes, Epiſtolæ Pauli, & reliqua à nobis receptæ cum Apocalipſi, inter canonicas noui Teſtamẽti ſcripturas recenſentur. De canonicis verò veteris Teſtamenti idem aſſerunt, quod decreuit Eccleſia Catholica. Pontificem Rom. ut Chriſti vicarium & ſucceſſorem Petri agnoſcunt. Propterea S. Clementis S. Leonis, & diui Gregorij feſta apud Moſcouitas celebrari cõſueuerunt. Quod autẽ ab eo veluti apoſtatæ ac ſchiſmatici damnentur hoc ſe iudicio iuſti iudicis Dei committere, dicebãt. Sæpiſſ. certè tentatum eſt eos perſuaderi, quò ad occidentale in Eccleſiã redirent. Quæ tamen fuerint, quæ infelicius homini fruſtrata ſint, fortè plus profuerit obticere quam commemorando vel ſcandalum infirmioribus præbere, vel odium quorundam in me contrahere. Diſſentiunt à nobis in Sacramenti conſecratione aliquãtulum, ac fractione panis, Spiritum Sãctum à ſolo Patre nec à Filio procedere perinde atq; Græci tuẽtur. Quanquam verò ſint apud Græcos pleriq; qui purgatorium negãt, & alij qui purgatorium ſcripturis probare conentur. In hoc tamen ſe non facilè ſciſſuram pati affirmant, quin id ipſum firmiter cũ Romana Eccleſia teneant. Miſſas noſtras animo promptiſſimo audiunt neq; aliud magis cruciari aiũt, quam quod à quibuſdam quaſi alieni à fide vitentur, quando omnia ferè noſtra ſacra cum ſtudio obſeruent. Feſta item quatuor ſolennia celebrant. Natalis ſcilicet Domini, Paſchæ, & Pẽtecoſtes, atq; diei quo Mater

Indulgẽtiæ

Domini

Domini aſſumpta eſt in cœlum. Magno loco habent Apoſtolos, præcipuè tamen Sanctum Nicolaum, quem celebrant, honorant atq; inuocant. Diem Palmarum ad imitationem Eccleſiæ Rom. celebrant, palmas & oliuas, atq; reliquas huiuſmodi arbores benedicentes. Hancq; benedictionem creaturarum, non ſolùm ab Eccleſia piè receptam, ſed & ſacris literis rectè fundatam probant. Ex qua enim quæ eſt in Numeris Cap. quinto & decimonono apertè monſtretur, quid execrationes poſſint. Et è Paulo ad Timotheum, ſanctificari creaturam per verbum & orationem, notiſsimum eſt omnibus. Apud ipſos deniq; per verba incantari ſerpentes, per verba eiici dæmones, & liberari obſeſſos commune ſit. Per ieiunium enim & orationem expelli Dæmoniũ Chriſtus poſt ſe ſcriptũ reliquit. Signum crucis ac imaginem crucifixi, etiam contra hoſtes pugnaturi ſecum deferunt, inde triumphari deſiderantes vnde & Chriſtus. Sanctos vere pro nobis apud Deum intercedere poſſe credunt, ac q ſedulo faciant ſperãt, quorũ etiã vota facilius exaudiri autumãt. Quare & eos inuocant & venerãtur. Eosquoq; q publicè peccant, excõmunicatione ꝓſequũtur, q̃ eorũ lingua obſcha vocãt, q̃ ſi quis incurrit, è cõmuni omnium hominum conſortio, & conuerſatione Eccleſiaſtica eiicitur. Vnicum eſt quod à nobis ſane probari nõ poteſt, & à noſtris inſtitutis alieniſsimum, quòd pueris vix dum tres annos natis, Euchariſtiæ Sacramentum præbent, quodque in pane fermentato conficiunt, & ex cocleari panem vino intritum pro corpore & ſanguine populo miniſtrant. Hi ſunt itaq; mores Moſcouitarum, hæc religio, illa pietas, Sereniſsime princeps, quæ in vniuerſum inclita tua in rebus Diuinis procurãdis ſedulitas ignorare omninò doluit, ideoq; iuſſu tuo hæc certè illorũ hominum perquiſita ſunt. Data Tubingæ XVIII. Septembris, Anni M. D. XXV.

ELVCIDARIVS ERRORVM RITVS RVTHENICI, IOANNIS SACRANI Cracouienſis Eccleſiæ Canonici, Anno Do. 1500. ſcriptus.

EX omni gente Chriſtianum gerente titulum, præciſa tamen ab vnione Eccleſiæ, in defenſione ſui erroris ſchiſmatici, nulla pertinacior inuenitur gente Rhutena. Adeò namq́; in ſecta & errore ſuo, dura & inflexibilis eſt gens, vt nulli Scripturarum veritati, nulli Eccleſiaſticæ determinationi, nulli doctorum Catholicorum, aut conciliorum ſententiæ, aſſenſu cedit vnquam, quando potius viſæ & agnitæ veritati, proh dolor pertinaciter contradicit, & doctos Catholicos, etiã ſui ritus viros refugit, ſanamq́; doctrinam eorum odit ſemper, ac diſciplinam ſalutarem exhorret. Et hæreticorum Valdenſium more (quorum temeratiſſima ruſticitas Innocentij ſecundi temporibus, virus peſtiferum admodum in Eccleſiam iniecerat, quod necdum eſt in Bohemia conſepultum) ambitionis faſtu inflati, ſe duntaxat veros Apoſtolorum, & Eccleſiæ primitiuæ ſectatores audent aſtruere & in eo, quod abſciſi ab Eccleſia vltro diſſident, eius excõmunicationẽ contra ſe tanquam ſchiſmaticos, æternam reputant benedictionem. Multa contra Eccleſiæ Catholicæ ritum, ordinem atq; authoritatem blaſphemantes, quæ ſequenti capitulo notabũtur, qui tamen & Græcanico ritu in plurimis abutentes ab eis ſemper, & vſq; modo pro hæreticis eorum habiti

Valdenſes.

Coronatus Innocẽtius An. 1130. ſedit in tẽplo Dei 13. annos.

habiti ſunt, těti, & reputati. Hi Chriſtianum ſanguinem, non minus hoſtibus crucis Chriſti ſitiunt aſſiduè, toto niſu conantes, vt è medio fideles quoſq; exterminent, vt ſic nomen Eccleſiaſticæ religionis, apud & inter eos abolitione prorſus interiret, nec probatione aut exemplis externis nobis opus eſt. Miſſo quidem execrabili, nulla tamē obliteratione præteribili ſacrilegio, quod in Dominum Iſidorum Kyouienſem Metropolitam, de concilio Florentino miſſum cum collega, quodam Epiſcopo ad ſe venientes, vt iuxta Florentini conſilij determinationem cum Græcis, Occidentali ſeu Eccleſiæ Romanæ concorporarentur & vnirentur, commiſerunt, oppugnatione rabida conſentientes nequaquam, tum decretæ vnioni recens hoc de Anno Domini 1 5 0 0. facinus admiſſum vniuerſorum obtutibus antepoſitum innoteſcat. Diuus ac Religioſiſſimus Princeps. Dominus Alexander magnus Lytuaniæ Dux modernus, ignitus Catholicæ fidei amore zelotipo, inſtar Vitoldi inclitiaui ſui, qui prima fidei Eccleſiæ fundamenta in Lytuania iecerat, ſecum deliberans, quemadmodum in ampliſſimo Ducatu ſuo honeſta quapiam ratione, ad vnitatem Eccleſiæ ditionis ſuæ Ruthenos reduceret. Dum itaq; pia benigna ac paterna adhortatione adoriendos ſtatueret, ipſiq; præſentirent propoſitum deuotionis ſuæ in eius cunctorumq; ſibi ſubiectorum, fidelium perniciem, & exterminium, rabido furore coniurari duces, & certi primores eorum, ad magnum Moſcouitarum Ducem ſchiſmatis & eorum ſectæ tutorem, è veſtigio defecerunt. Cuius quidem filiam infectam paterno contagio. Idem Deo deuotus & innocentiſſimus princeps ſuorum optimatum & armigerorum ſuaſu, & inſtantia coactus, pacis & affuturæ amicitiæ fiducia. Paulò antè thoro matrimonialiter ſibi conſtituit. Sane præfatus Dux Moſcouitarum ad iniuriam ſibi referēs, religioſiſſimi Principis huiuſmodi propoſitum, gaudens hac occaſione ſibi (longè ante præconceptam) præbitam licentiam,

Circiter An. 1386.

ad inuadenda, deturbandaq́, ac populanda eius dominia, & ad pacem vnionemq́, Chriſtifidelium conuulnerandam, mox neruis Thartaricarum gentium vicinarum obfirmatus, ſocer genero patentibus indictis inſidijs, non ante cruentum plenè ſaginauit affectum, donec innumera millia Chriſtianorum, iam per ſuos ex Lytuano Dominio, iam per ſubinductos Thartaros ex Dominiis Sereniſſimi Chriſtianiſſimiq́, Domini Iohannis Alberti Poloniæ Regis in perpetuam, atq; infamem ſeruitutẽ abigeret. Hæc enim ſchiſmatis huius Ruthenici, vna eademq́, eſt voluntas omnium, vt aduerſus Romanam Eccleſiam, & eius ritum odio fremant, inſectenturq́, eã maledictis ſuis, & fideles de obedientia eius, fide, bonis, gloria, vitaq; nudare, ac priuare moliuntur ſemper, nec mirum. Nam cum non ſint de vnitate & ſocietate Eccleſiæ, & per conſequens nec de regno Chriſti, aliud agere nequeũt, niſi vt adinuentionibus varijs, moleſtent Chriſti fideles, & perſequantur blaſphementq́, ſanctam matrem Eccleſiam. Non habentes illud in proſpectu, quod ſcribit Hieronimus ſuper Epiſtola ad Titum 3. & habetur XXIIII. quæſtione III. capite. Si igitur quomodo Michael Archangelus, non fuit auſus Diabolo certæ maledictionis digniſſimo iudicium inferre blaſphemiæ, diſputans de corpore Moyſi, vt in Epiſtola Iudæ Apoſtoli ſcribitur, ſed dixit imparet tibi Deus. Si igitur Michel nõ fuit auſus blaſphemiæ iudicium inferre Diabolo, per cuius os maledictum blaſphemiæ, ipſius ixire non debuit, quomodo ipſi Rutheni blaſphemare audent ſeruos Chriſti, & Eccleſiam ſuam Catholicam, quæ vnica eſt, & in duo vel plura diuidi non poteſt, quæ corpus Chriſti eſt, qui vnus & indiuiſus eſt, vt habetur 24. quæſt. 1. c. 1. Didicimus c. Schiſma & ſuper vnam petram ædificata eſt, vt habetur 24. quæſtione. 1. capite, loquitur Dominus. Cùm & Apoſtolus cuius fingũt ſe imitatores fieri, ad Titum 3. dicat admoue ad omne opus bonum paratos eſſe. Neminem blaſphemare. Et

quia

quia dicit neminem Ergò non tantùm hominem,ſed nullam creaturam Dei,vt exponit Hieronymus ibidem, & per cõſequens, non Eccleſiam Catholicam in qua ſola eſt Chriſti regnum. Nam dicit Beatus Auguſtinus ſuper Iohannem, quod ſoli fideles Chriſtiani, ſunt regnum Chriſti,quod nõ colligitur,ſed emitur ſanguine Chriſti. Et in alio loco ibidem, quid eſt regnum Chriſti niſi credentes, quod demonſtrat etiam Auguſtinus in homelia zizaniorum,vbi dicit hi quos ſchiſmaticos communionis direpta ſocietas facit, ſpicis corruptis comparantur vel paleis ariſtarum fractis, & ereptis de ſegete, quæ non ſimiliter cũ frumento intrant in promptuaria dominorum,& cõtra ibidem Grègorius dicit eos eſſe Zizania, nec in vnum concludi ſagena Eccleſiæ, in qua regnat Chriſtus,& non obſtante quod ex eodem ſemine Euangelij & nomine Chriſti procreati ſunt.Non habẽt tamẽ fidei aut Eccleſiæ niſi ſolius Chriſtiani nominis ſocietatem, quamobrem hoſtes vnionis facti, pacis & veritatis,ac in diuerſorum errorum præcipicium lapſi commẽtis varijs,quæ monſtroſa & peſtifera hæreticorum ingenia ab initio conflauerunt, ſtatum auctoritatem ritumq́ ſanctæ matris Eccleſiæ deprauare non formidant, & quæ qualiáue vomant audiamus.

CAPITVLVM II. DE ERRONEIS articulis Rutenorum qui in hoc capitulo demonſtrantur eſſe quadraginta. Quamuis multo plures ſint,quos inſerere tœdioſum fuit.

PRIMVS.

NEgant *Ruteni Sãctum Petrum,verum Papam & verum Romanæ ſedis antiſtitem & Eccleſiæ militantis caput vnicum*

fuiſſe, nec accepiſſe plenitudinem auctoritatis à Chriſto, quod & de quolibet Romano Pontifice ſucceſſore eius tenent, & communem eum cum alijs Pontificibus eſſe dicunt.

SECVNDVS.

Negant Eccleſiam Romanam caput eſſe Eccleſiarum omnium principem rectricem & magiſtram. ſecundum quod ſcribitur diſt. 23. c. ſacroſancta.

TERTIVS.

Dicunt omnes obedientes Eccleſiæ Romanæ, veros Chiſtianos non eſſe, neq; ſaluandos, eò quod ab Eccleſia primitiua diſcrepent. Se verò ſolos eſſe veros Chriſtianos aſſeuerãt. ſectatores Chriſti & Apoſtolorum, & ſic eſſe de numero ſaluandorum. Immò Dominum Papam cum Eccleſia Romana dicunt hæreticum eſſe, de hæreſi Arriana, & Catholicos omnes Arrianiſtas vocant, & anathematiſant ipſum tẽpore cœnæ Domini cum ſuo clero, dicuntq́; non habere plenam poteſtatem ligandi & ſoluendi, quod ſumpſerunt ex ſectione ſeu diuiſione Græcorum decima ab Eccleſia Romana de qua infra.

QVARTVS.

Dicunt omnes Latinos Eccleſiæ doctores nullius veritatis & efficaciæ eſſe fuiſſeq́;, hinc nec alicuius eorum dicta ſuſcipiũt, quantumcumq́; forent ab Eccleſia ſuſcepta & approbata, nec credunt afflatu Spiritus Sancti locutos fuiſſe aut ſcripſiſſe, hinc nec libris aut ſcriptis beatorum Hieronymi, Auguſtini, Gregorij, Ambroſii, &

ſii, & ex conſequenti aliorum doctorum fidem dant, & eorum auctoritatem nullo modo ſuſcipiunt.

QVINTVS.

Dicta doctorum Græcorum ſuſcipiunt, dummodò nihil aduerſus eorum errorem in eis inuenerint. Si verò quid ex eis quod aduerſus ſectionem & ritum eorum erroneum fieret acceperint, corrupta dicunt & vitiata eſſe ac fidem eis adhibere, non debere aſſeuerant.

SEXTVS.

Sanctos ex Eccleſia & fide Catholica, Romanæ profeßionis & obedientiæ blaſphemant, & damnant ſicut infra patebit in ſeptimo ſchiſmate.

SEPTIMVS.

Imagines operis, & artificij catholicorum horrent, & quantum ex eis eſt, inhonorant, etiam ſi crucifixi, aut eorũ Sanctorum fierent. Sui verò artificij venerãtur, dummodo in ſinagogis eorum locatæ aut pictæ fuerint, alias non.

OCTAVVS.

Eccleſias Catholicorum ſpernũt, confutant, inhonorant, ac blaſphemant contra canonem Innocentij tertij de Baptiſmo c. Licet Græcos. Nec vllam in eis exhibent reuerentiam Sacerrimo Sacramẽto niſi coacti, aut metu maiorum offenſe, aut ſimulata aſſen-

tatione, & ſic de earundem Eccleſiarum conſecratione, nihilte-nent. Sic & de conſecratione corporis Chriſti, dicentes, in azimis ipſum conſecrari non poſſe. Eorum verò ſynagogas per ſimplices eorum, Sacerdotes conſecrari poſſe dicunt, prout de facto conſecrant.

NONVS.

Statuta Eccleſiæ dictaq́ aut ſcripta ſeu Canones, & Conciliorum determinationes, ac decreta, nulla eſſe dicunt, etiam & de primis Concilys dicunt, quod à ſeptima Synodo omnia Concilia nullius efficaciæ fuère, neq́ de iure Catholico. quod ſine eorum conſenſu agebantur & approbatione.

DECIMVS.

Omnia Eccleſiæ Sacramenta profanant & blaſphemant, ridentq́ & inhonorant, præcipuè Sacramenta Baptiſmi & ſacræ Euchariſtiæ, eò quod non ſecundum formam ritus eorum fiant.

VNDECIMVS.

Nullum Pontificem Catholicum habere poteſtatem dicunt, chriſma conſecrandi. ſolum Patriarcham, quem ſe habere iactant Conſtantinopoli. per quem ſi ſemel conſecratum fuerit dicunt, ad annos plurimos illud efficaciam habere ad vnctionem.

DVODECIMVS.

Ordines, benedictiones, pontificia, ſacerdotia, orationes, ieiunia, indulgentias, iubileos, & omnia Eccleſiaſtica officia, & ea

quæ

quæ auctoritate clauium diſpenſat Eccleſia damnant, nec vllius efficaciæ dicunt eſſe. Similiter obedientiam Eccleſiaſticam authoritatemq́; rident: & ſicut de indulgentÿs, ſic & de excommunicationibus Eccleſiæ nihil tenent.

TREDECIMVS.

Dicunt confirmationis Sacramentum nullum eſſe. Ideò nec illud accipiunt: ſine quo promouent Sacerdotes ſuos, nec habent tēpora limitata ad ordines: ſed paſſim & vno die promouēt, & plures ordines conferunt.

QVARTVSDECIMVS.

Dicunt Sacramentum extremæ vnctionis, nullum aduerſus peccati reatum medelam conferre poſſe, & B. Iacobum vnctionem intellexiſſe, tamen ad medicinam langoris corporalis.

QVINDECIMVS.

Sicut quandoq; baptizant in acetabulo, id eſt, in qua acida, expreſſa de ſucco pomorum, aut fructuum, confecta cum aqua naturali & fermento: dum aqua pro tēpore caruerint, diſcretionem in aqua non ponentes: ſic in defectu vini in eodem acetabulo ſacrificant, imò execrant.

SEDECIMVS.

In præparatione calicis duas aut tres guttas vini aquæ immiſcent calidæ, nec vinum ſentitur in aqua abſumptum, & dam-

nant Eccleſiæ ritum quod aquam frigidam ad calicis præparationem accipiant, & panem fermentatum pro ſacrificio recipientes diuidunt biſariam, ſuperiorem partem in panis medio triangulariter, in profundam excidentes, in corpus Chriſti conſecrant. Reliquũ panis Beatæ virginis corpus deſignare dicũt, & in veneratione conſeruant, in cuius panis præparatione farinã recipiunt In nomine Patris, fermentum mittunt in nomine Filij, calidam fundũt aquam in nomine Spiritus Sancti. Item ad panis ſacrificium plures panes aſſociant & apponunt, vnum in nomine Mariæ, alium in nomine præcurſoris, alium in nomine Baſilij, tandem Leonis, Heliæ, & ſic conſequenter ſingulis panibus ſanctos ſingulos inuocatione attribuunt. Vnde & in Calicibus ligneis, in locis plurimis ſacrificant, Vbi pane ex pluribus, vt tactum eſt polentis exempto, offam quandam faciunt, & conſecrãt tandem in conſumptionem coclearibus ligneis, & ſordidis vorãt, & micas ſeu relliquias panniculis detergunt, eijciuntq́;. Sic quoq; communicant, & populum coclearibus, ex calice expromendo, & in eſum offerendo.

DECIMVSSEPTIMVS.

Sumunt experientiam de calicis conſecratione, tanquam dubitantes de conſecratione eius. Nam antequam communicant in ſacrificio, faciunt eis dari aquam calidam quam infundunt in calicem conſecratum, vnde ſi vapor exalauerit, credunt vere illic eſſe ſacramentum, tum primo communicant. Etſi pars in calice relicta fuerit ſeruatur, & peractis prandijs à ſacerdote redeunte voratur.

DECIMVSOCTAVVS.

Conſecrant pro bellantibus panem ſimilagineum, in corpus Chriſti.

Chriſti, & laicis in bella procedẽtibus tradunt in manus, qui cum ſunt cum hoſte conflicturi & iam manus conſerturi, replent vas eſcarium aut popularium, quod in promptu fuerit aliquo liquore, qui tunc occurrerit, & illic pane illo poſito, ſeipſos ordine communicant.

DECIMVSNONVS.

Sacramentum Euchariſtiæ, quod die cœnæ ſacræ conſecrant, illud ſolùm dicunt pro infirmis procurandis valere, & non aliud, quod diebus alijs conſecratur, & tale ad anni decurſum conſeruant in calice præparato. quod vermiculoſum & tabidum, infirmiori imprimunt coclear.

VICESIMVS.

Ante præparationem calicis incenſis cereis, panem conſecrandum cum vino, & aqua calida in calicem fuſa, velut dictum eſt, cum reuerentia ſumma ſpectandum populo offerunt, & circunferunt vbi populus pronus cadit veneratur & idolatrat. Et poſt in altari poſitum, & conſecratum nemo veneratur, neq; eleuatur.

VICESIMVSPRIMVS.

Non ſolùm in forma Baptiſmi ab Eccleſia diſcrepant, ſed etiam in materia. Quanquam vt ſupra in Articulo 15. dictum eſt & ſacro Epiphaniarum die, loco fontis Eccleſiaſtici flumina rapidè manantia, dummodo haberi poterũt, pro Baptiſmate infantium conſecrant, inſtar Iordanis. Et quem puerum in merſione ibidem mori frigore, aut è manibus elabi & mergi contingat, ab Angelo

raptum dicunt in cælum, neq; mundum eius præſentia fuiſſe dignum aiunt.

VICESIMVS SECVNDVS.

Sacerdotes eorum communiter non orant, niſi quando miſſæ offitium ſuo more ſint habituri, & quæ aut quales horæ eorum ſunt Deus videat. Et dicunt presbytero ſufficere ad contientiæ purificationem, cum vxore cubanti & celebrare volenti, quod ſe fermentata aqua calida abluat, à vertice capitis ad pedum veſtigia. Hanc loturam tantæ dicunt efficatiæ quanta foret confeſſio.

VICESIMVS TERTIVS.

Si caſu quis Catholicorum presbyterorum in altaribus eorum celebrauerit, mox velut execratum violant & effringunt, & dicunt quod in vno altari tantùm miſſa vna debet in die celebrari.

VICESIMVS QVARTVS.

Dicunt populum mereri, & magnæ indulgentiæ fieri, quotiens quis hominem Catholicum obedientiæ Romanæ interemerit.

VICESIMVS QVINTVS.

Dicunt ſuos præsbyteros irregularitatem incurrere, cum paſſerem, aut aliquod volatile occiderint, qui nõ prius regularitatem acquirunt, donec idem volatile ſub aſcellis geſtum ab eis, totaliter computreſcat. Hæc eorum eſt pœnitentia, quæ non eſſet adeò dura ſi Chriſtianum hominem occiderint.

VICE-

VICESIMVSSEXTVS.

Falſo iurare aduerſus inimicum & præcipuè contra virum Romanæ profeſſionis non eſſe peccatum dicunt. Similiter & decipere damnificare aut fraudare eundem.

VICESIMVSSEPTIMVS.

Sicut Sabbatum in Quadrageſima nullo modo fore ieiunandũ, & peccare eos mortaliter, qui ieiunauerint. Neq; Miſſam celebrandam in tota Quadrageſima, niſi Sabbaticis diebus & Dominicis. Vndè damnant Eccleſiam Romanam, celebrantem alijs diebus Quadrageſimalibus præter Sabbatum & Dominicum. Et ſimili errore ante ieiunia ſua octo diebus ſolenniſant. Similiter & poſt ieiunia, carnes vorantes quotidie ferijs ſextis. Imò & in Vigilijs ſi quæ tum occurrerint. Nec piſcibus licere vti dicunt niſi eorum inteſtinis, cum ieiunia Quadtageſimalia peragunt.

VICESIMVSOCTAVVS.

Chriſti fideles peccare mortaliter dicunt, quod barbas radant. & manducant ſuffocata. Et ſimiliter damnant Chriſtianos carnes edentes vltima Dominica antè Carniſpriuium, & conſequenter.

VICESIMVSNONVS.

Dicunt licitè vendi poſſe prælaturas, ac beneficia, aut emi. Similiter & ſacros ordines, & quæ beneficia patres tenuere dicunt, filij ad ea ius hæreditarium ſe habere.

TRICESIMVS.

Dicunt viuentem hominem, mortaliter peccare non poſſe.

TRICESIMVS PRIMVS.

Dicunt fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum mortale: ſimiliter & vſuram.

TRICESIMVS SECVNDVS.

Dicunt furi ſufficere rationem furti ſui, ſeptem Sacerdotibus repræſentari, & fateri crimen, & petere olei vnctionem ab eis. Nulla tamen poſt hoc pecunia, nec reſtitutionis debito debere onerari.

TRICESIMVS TERTIVS

Aſſerunt non eſſe purgatorium, ſolùm eſſe duo receptacula animarum cælum & infernum.

TRICESIMVS QVARTVS.

Dicunt animam ante diem iudity beatitudinis gloriam non habere, quod & credunt. Corpore in terra manente. Omnia hæc in concilio Florentino caſſata ſunt, & per Bullam Eugenij correcta.

TRICESIMVS QVINTVS.

Dicunt quod viuorum ſuffragia proſint damnatis in inferno, Et non alijs.

TRICESIMVS SEXTVS.

Dicunt Spiritum Sanctum non procedere à perſona Filij niſi ſolius Patris. Alias duo eſſent principia, & duæ ſpirationes, quod tamen ſufficienter explanatum eſt in Concilio Florentino 1439.

TRICESIMVS SEPTIMVS.

Diuortia faciunt in matrimonijs nulla rationabili cauſa interueniente, pro ſola auaritia & libitu, quæ laici ſimplices inter coniuges faciunt. Et dicunt quemlibet qui petit ſeparari licere.

TRICESIMVS OCTAVVS.

Dicunt ſecundas & tertias nuptias, ac deinceps, eſſe illegitimas nec facere verùm matrimonium, nec inde ſequi prolem legitimam.

TRICESIMVS NONVS.

Mortuorum tumulos, peracta ſepultura iubentur ſinguli per Sacerdotem, ſuos oſculari, & poſt ipſam ſepulturam conuiuantur, vorantes quaſdam polentas ab ipſis presbyteris benedictas.

QVADRAGESIMVS.

Dicunt ſecularibus Dominis eorum præſidibus, licere ſine nota excommunicationis maioris verberare & deponere eorum Patriarchas Epiſcopos, Sacerdotes cuius rei origo cœpit, vt dicetur in 10. diuiſione Græcorum ab Eccleſia, ſunt & aliæ plures leuitates & ſtultitiæ eorum & errores, quos præſentibus obmitto inſerere.

Satis hinc liquidè patere poterit, quòd horrendis erroribus, ſi veteratores & ſectatores prophanam à veritate & ſalutari Eccleſiæ Catholicæ determinatione diſcrepent, ſecti ab vnitate fidei orthodoxæ. Vndè in ſimplicitate & humilitate ſimulata, venientibus ad Apoſtolicam ſedem, an è veſtigio credēdum diſpenſandumq́; ſit cum eis deplano, non deſimo.

CAPITVLVM TERTIVM DE PERTINACIA Ruthenorum, qui nec in obedientia, neq; in iuriſdictione petenda ab Eccleſia, Græcos redeuntes voluerunt vnquam imitari.

Et quia in Græcorum atque Ruthenorum ſchiſmate claruit ſemper, & vſq; modo liquidè cernitur, inobedientiæ pertinacia maior eſſe in Ruthenis quàm in Græcis, qui nō ſolùm animaduertere volunt poteſtatem & iuriſdictionem omnem, non niſi ab Eccleſiæ Catholicæ auctoritate manâre: nec aliunde conſequi eam oportere. Quin potius imperium authoritatemq́; eius omnem nihili ducentes, à tertia Græcorum ab Eccleſia ſectione, ſeu ab Epheſina Synodo hæretica diuiſi cum eis ab Eccleſia. Ibi Dioſcorus Alexandrinus Epiſcopus Leonem Papam primum contumelioſis verbis afficere, & excommunicare primus temerè auſus eſt. Poſt in Chalcedonenſi Catholico Concilio damnatus, nunquam deinceps vniri Eccleſiæ voluerunt.

Græci duodecies defecerunt à Rom. Ecc.

At verò Græci poſt eandem diuiſionem tertiam, redire nouies perhibentur. De quorum abitione & reditionibus præſens quoq; Capitulum introducitur incidentaliter. Græcos itaq; ſeu Orientales Eccleſias à Romana ſeu Occidentali Eccleſia omnium Eccleſiarum matre & magiſtra, cui ſinguli quiq; omnium condi-

tionum

tionum ſtatuumq́; ſubeſſe & obedire, eamq́; ſequi, venerari, ac in credendis audire tenentur, velut habetur Diſtin. 19. ca. in memoriam: duodecies præcidi legimus per diuerſas hæreſes & ſchiſmata. Ipſam tamen Romanam Eccleſiam, ſemper in vna vera & ſolida fide Catholica perſtitiſſe, perſtituramq́; ad ſæculi conſummationem iuxta illud Lucæ 22. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Secundum quòd & beatus Hieronymus ad Damaſum Papam dicit, & habentur verba eius 24. Quæſtione. 1. Can. Hæc eſt fides. Sacra Romana Eccleſia, quæ ſemper immaculata permanſit. Domino prouidente & beato Petro Apoſtolo opem ferente in futuro permanebit ſine vlla hæreticorum inſultatione. ſcilicet præualente, atq; firma & immobilis omni tempore perſiſtet.

Vndè huiuſmodi præciſiones eorum, poſt tranſlatam Imperij ſedem ab vrbe Romana in Conſtantinopolim per Cōſtantinum Imperatorum ſecutas legimus ad illam vltimam, in qua nunc obſtinati perſiſtunt quæ poſt Florentinum Concilium acceſſit. Quibus redeuntibus, tamen minus ſuſceptionis ab Eccleſia gratioſe impendebatur, ſemper vt habetur 22. Diſtinctione. Ca. Sacro Sancta. Quæ quidem Orientales Eccleſiæ, principales & patriarchales fuerant quatuor. Conſtantinopolitana, Alexandrina, Athiochena, & Hieroſolymitana. Quæ iam diuiſim, iam quandoq; coniunctim ſe ab obedientia Eccleſiæ Romanæ ſubtrahebant. Conſtantinopolitana tamen Eccleſia fiebat ſemper alijs occaſio huiuſmodi abceſſionis. 4. Patriarchales Eccleſiæ.

Vndè Prima ſectio fuit Anno Domini 335. tempori Iulij Papæ & Conſtantini Imperatoris, Conſtantini magni filij, Arriana hæreſi plurimū infecti, qui ſeductus per Euſebium Anthiochenum Patriarcham, & alterum Euſebium Nicomedienſem Epiſcopum, ambos ſectatores Arrij Hæretici: qui in Alexandria dogmatizabat. Filium in quantum Deus, minorem eſſe Patre. Imo po- Prima diuiſio Græcorum à Romanis.

tius dicebat eum creatum eſſe non Dominum non coæternum, nec eiuſdem ſubſtantiæ cùm Patre, & alia nefanda plura: multas & graues perſecutiones intulit omnibus Catholicis, tã Orientalibus q̃ Occidentalibus, quoſdã ſuffocãs quoſdã in exilium condemnans.

Eius igitur fauoris fiducia, idem Euſebius Patriarcha Antiochenus: non quæſita Papæ licentia: volens determinationem Niceni Concilij in Symbolo damnare de conſubſtantialitate Patris & Filij: Concilium in Antiochia congregauit. Et ad illud cunctos Epiſcopos Catholicos citari fecit. Vtpote Anataſium Alexandrinum Epiſcopum & Patriarcham Paulum Conſtantinopolitanum, Marcellum Anchiræ Epiſcopum & Lucianum Andripolitem, qui Orthodoxæ fidei erant veri zelatores.

Illi verò pro eo, quod ſine Papæ conſenſu interueniente factum eſſet: ad tale conciliabulum venire contempſerunt. Quapropter per eum excommunicati ad Iulium Papam appellàrunt. Euſebius verò literis Papæ de audacia temera correptus atq; citatus ad reddendam de tanta præſumptione rationem, ſpreto mandato Papæ ab obedientia ſua & Eccleſiæ Romanæ ſe ſubtraxit. Mox in exilio Paulum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, eius ſuggeſtu Imperator clam ſub altari in Enſa ciuitate ſuffocari præcipiens, Euſebium Nicomedienſem Hæreticum tranſtulit in ſedem Conſtantinopolitanam. Quæ ab eo annis duodecim poſt à Macedonio hæreſiarcha Spiritum Sanctum creaturam aſſeuerante occupata, anno vno. Tandem à tribus alijs Hæreticis Eudoſio Demophilo, Euagrio, Annis viginti tribus reſidentibus, vſq; ad Felicis Papæ, & Theodoſii Catholici Imperatoris tempora ſubſeſsione tenta eſt & gubernata. Donec à Gregorio Nazianzeno ſuſcepta, ab huiuſmodi erroribus & ſchiſmate fuerat purgata & reunita Eccleſiæ Catholicæ, ac ſub obedientia Romani Pontificis tenta eſt. Poſthac annis 45 ſub quinq; Pontificibus Catholicis videlicet Nectario 16.

Chryſo

Chryſoſtomo 6. Arſacio 2. Achito 20. Siſinio 1.

Secunda diuiſio fuit tempore Cæleſtini Papæ & Theodoſii Imperatoris iunioris. Anno Domini 406. Cùm Siſinio Epiſcopo Conſtantinopolitano mortuo. Neſtorius præbyter Hæreſiarcha occultus, de Anthiochia ad illam ſedem vocatus eſſet, qui in concionando dogmatizabat primo.

Quod nullus audeat beatam virginem dicere matrem Dei ſed Chriſti, quia non genuit Deum ſed hominem, cum Deus generari nequeat ab homine. Dicebat quoq; duas in Chriſto perſonas diſtinctas vnam Filÿ Dei, aliam Filÿ virginis. Neſtorÿ error.

Idem dogmatizabat Spiritum Sanctum, nec eſſe à Filio, nec habere exiſtentiam à Filio; ſed à Patre ſolo procedere. Hunc errorem Phocius maximè plantauit in Græcis, vt infra patebit de proceſſione Spiritus Sancti, quem vſq; modo Græci errorem defendunt cum Rutenis. Hunc Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus, vir Catholicus venerationis plurimæ apud Græcos, plurimis Epiſtolis reprehendit, de tam impio errore. Detulitq; eum Papæ Celeſtino, qui ſibi mandauit vt Cyrilli ſcripta Catholica ſuſciperet, & corrigeret errata, & in credẽdis, Eccleſiam Romanam ſequeretur. Qui tandem mandata Papæ reſpuit, eiq; contempſit obedire. Et quia nulla alia orientalis Eccleſia eum ſecuta fuerat ſed nec tota Coſtantinopolitana. Quia multi clerici & laici reſiſtebant ſuis erratibus. Idcircò durare non potuit Schiſma & ille error. Nam poſt triennium Synodus vniuerſalis per Papam Celeſtinum in Epheſo celebrata eſt. Vbi congregatione ducentorum Epiſcoporum eadem eſt hæreſis reuocata. Et conſtitutum vt nullus aliam fidem exponeret vel doceret, quam illam quæ ſcripta eſt à ſanctis Patribus 328. in Nicena Synodo congregatis de qua Synodo in. C. Canones. diſ. 15. Concilium Epheſinũ anno 430.

Tertia diuiſio fuit, generalis omnium Eccleſiarum Orienta-

lium tempore Leonis Papæ, primi & præfati Teodoſii iunioris Imperatoris Anno Domini Quadringenteſimo, quadrageſimoquarto: dum poſt mortem Cyrilli Alexandrini Epiſcopi doctoris Catholici, & zelatoris fidei Orthodoxæ, Dioſcorus ſedem eius accepiſſet, & Eccleſiam Conſtantinopolitanam Flauianus Catholicus Epiſcopus tenuiſſet. Monachus quidam Eutyces nomine Archimandrita, id eſt, plurimorū monaſteriorum præſes, ſeu Abbas, qui Neſtorij hæreſim vehementer impugnans, duas in Chriſto perſonas
Hereſis Eutyceis. *aſſeuerantis in aliam illi oppoſitam incidit, dogmatiſando vnam tātum in Chriſto naturā fuiſſe Diuinam, & humanam abſumptam eſſe, & in illam conuerſam. Dumq́; Flauianus Conſtantinopolitanus, illum hæc palam concionantem redargueret, & eius pertinatiam nequiuiſſet moderari, vt hæreticum de Eccleſia eiecit, & abſtulit monaſteriorum gubernationem. Qui dum appellaſſet petijſſetq́; Cōcilium generale, ac ſe iudicari ſuper erratis ab Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo, Leonis Papæ dicti auctoritate, Synodus congregata eſt in Epheſo, & legati miſſi qui nomine Papæ illi præſiderent, Dioſcorus monachis vallatus & militibus, veniens ad Synodum, contra Papæ mandatum violēter Synodali præſidentia vſurpata, cogebat omnes vt ſubſcriptione faterētur Eutycetis fidem eſſe Catholicam.*

Quo viſo legati Papæ fugerunt, ne errori tali & eius temeritudini conſentirent, qui tandem Flauianum Epiſcopum mox detinuit, & pro ſententia aduerſus Eutycetem lata tanquam iniuſta, coniecit in carcerem, appellantemq́; ad Papam noctu fecit iugulari. Quo quidem iugulato, Archidiaconū ſuum nomine Anatolium ſuæ opinionis, in Epiſcopum Conſtantinopolitanum conſecrauit. Et Eutycetem reſtituit officijs & monaſterijs. Similiter Anthiochenum tunc Epiſcopum reſtituit, & alios quatuor. Et in eius ſedem quēdam nomine Maximum, æque hæreticum inſtituit,

ut

vt ſic contra Papam firmaretur. Quò tempore Hieroſolymitanam quoq; Eccleſiam adminiſtrabat Iuuenalis Epiſcopus, & pariformiter in omnibus conſentiens. Sic itaq; Eccleſias Orientales omnes ſibi concilians, ad inobedientiam Papæ prouocauit. Audiens Leo Papa & geſta omnia illius Synodi irrita faciens, ſcripſit Imperatori vt annueret aliam Synodum fieri intra Italia: vt & error ipſe, & Dioſcori nequitia corrigeretur qui Eccleſiam perturbauit.

Ille verò non ſolùm non annuit, ſed & decreta dictæ Synodi potenter defendit. Sic itaq; Dioſcorus ab obedientia Papæ cum Eccleſiis Orientalibus ſe ſubtrahens, omnium primus contra Papam non ſolum libellum famoſum ſcripſit, caput cum putridum nuncupans: ſed etiam temera præſumtione auſus eſt Papam excommunicare. Et iſta ſectio ſtetis toto tempore Theodoſii & durauit annis ſeptem. Nullum enim aliud Imperator Cōcilium voluit admittere vt in loco quopiam celebrari potuiſſet. Verùm dum Imperator Catholicus Martianus, Theodoſio mortuo in Imperium ſucceſsiſſet, Papaq; annuiſſet vbi vellet Synodum celebrare & interceſsiſſet pro Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo qui timore depoſitionis ad vnionem accedebat, vt ſuæ ſeſsioni conſentiret, Papa tandem & Anatolium ſuſcepit & confirmauit.

Papa excommunicatur.

Et in Chalcédone ciuitate Synodo ſexcentorum triginta Patrum congregata, cui & Imperator intererat, vt habetur Diſt. 96. C. Nos ad fidem Eccleſias ipſas ad vnionē cum eis ſuſcepit, & Eutycetis hæreſim damnauit. Et declarauit in vna perſona Ieſu Chriſti, duas eſſe naturas diſtinctas, & conſtituit beatam virginem matrem Dei dici debere Græce θεότοκος. *Toleratiſq; tribus Epiſcopis in Eccleſiis eorum ſcilicet Conſtātinopolitano, Antiocheno, & Hieroſolymitano, ſolùm Dioſcorum Alexandrinum cōdemnauit, ex eo præcipuè, quod fuerit auſus leuare contra Papam excom-*

Synodus Chalcedonēſis Anno 453.

municationem, vt habetur Diſt. 21. C. Intantum. Et exindè fuit aliqualis turbatio in Alexãdrina Eccleſia ex parte cleri & populi particularis, qui Dioſcori partibus fauebant. Hic Leo epiſtolam daturus Fabiano Conſtantinopolitano Epiſcopo, cõtra hæreſes Neſtorij & Eutycetis, prius eam poſuit ſupra ſepulcrum beati Petri Apoſtoli petẽs errata corrigi, & quæ deficerent in ea ſuppleri. Die tandem quadrageſima beatus Petrus illi apparens dixit: Legi & emandaui, vndè vidit in ea aliqua manu Apoſtoli emendata, aliqua ſuppleta.

Petrus Apoſtolus mortuus ſcripſit.

Quarta diuiſio fuit per Achatium Conſtãtinopolitanum Epiſcopum, in Oriẽtalibus Eccleſiis concitata, tempore Simplicij Papæ & Zenonis Imperatoris. Anno Domini Quadringenteſimo, ſeptuageſimo. Cui diuiſioni Sectio in Alexandrina Eccleſia occaſionem præſtitit. In qua ſede vacante, Catholici ſuum elegerunt Epiſcopum, nomine Timotheum Faſciolum, & heretici ſuum etiam nomine Timotheum Elurum, qui dum vix anno vno viueret, ſubſtituerunt ei alterum, ſcilicet Petrum Mongium. Achatius tandem ingratus primum de Petro Mongio à Papa Simplicio literis obtinuit, vt nullo modo Petri Mõgij ſeſſioni conſentiret, ſed potius autoritatem ei conferret, ad eyciẽdum eum de ſede tanquam hæreticum. Qua conceſſa vſus ſuffragio & poteſtate Imperatoris, Petrum Mongium eiecit, & ſolũ Timotheum Faſciolum Catholicum in ſede reliquit. Quo breui mortuo, Clerus Iohannem Catholicum virum elegit in Epiſcopum. Et quia conſuetum fuerat Epiſcopis nouiter confirmatis, Papæ & Patriarchis ac Coepiſcopis ſuis literas Synodales mox mittere, & in eis fidem profiteri: Iohãnes, facta ſuorum Synodo, ex ea Papæ literas Synodales miſit. Miſit inſuper Antiocheno & Hieroſolymitano Epiſcopis. Miſerat non minus & Achacio Conſtantinopolitano, quæ neglectu nuncij redditæ ſibi non fuerunt. Ille verò deſpectum huiuſmodi

Mos Epiſcoporum nouorum.

ad iniuriam ſibi referens, cum Petro Mongio à ſe depoſito, tunc Conſtantinopoli præſente conuenit: conciliatoq; Imperatore voto ſuo Iohannem ipſum de ſede repulit & Petrum Mongium reſtituit. Expulit & Antiochenum Epiſcopum & Hæreticum quendam Petrum nomine in ſua ſede conſtituit, quod & fecit Patriarchæ Hieroſolymitano. Et ſic omnes Eccleſias Orientales ſuis fautoribus occupauit & rebelles fecit Romano Pontifici. Et quãuis in tali ſectione Papa plures illi miſerit Epiſtolas corripuitq; eum de temeritate & ille nihili duceret omnia, depoſuit eum. Ille verò nihilominus Conſtantinopolitanam ſedem Imperatoris fauore & præſidio occupabat diutius. Quo deinde mortuo Flauitius in Epiſcopum Conſtãtinopolitanum electus, noluit niſi de approbatione Papæ in ſede reſidere. Quo vnico Anno ſedente Eufemianus electus, cum ſimili conſenſu Papæ petito ſedem accepit, & Annis ſex in ea ſedit. Donec ab Anaſtaſio Imperatore hæretico, qui Zenoni ſucceſſerat deponeretur. Cui Macedoniũ ſubſtituit neqtiarũ omniũ ſentinam: ſcripturarum falſificatorem. Quo depoſito poſt Annos tres Timotheus hæreticus ſurrogatur in ſedẽ, qui Diuinam naturam in Chriſto paſſam dicebat, & tenuit ſedem annis ſex. Et ſic hæc ſciſſio durauit annis 45. vſq; ad tempora Iuſtini Imperatoris Catholici, qui ſuccedens Anaſtaſio, Ioannem Timotheo mortuo, in Conſtantinopolitana Eccleſia ſedere fecit, & ſic Eccleſiam Orientalem cum Occidentali vniuit. Quæ vnio durauit ad tempora Iuſtini Imperatoris & Agapiti Papæ.

Acharius Epiſcopus Conſtan. Eccleſias turbat

Quinta diuiſio fuit circa Annum Domini Quingenteſimũ Octogeſimum, tempore Papæ Pelagij & Imperatoris Mauritij, quæ venit ex faſtu & ſuperbiæ tumore cuiuſdam Iohannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, qui ſe pro Papa vniuerſali geſſit, & ſe Papam vniuerſalem appellari fecit. Dicebat enim quod ciuitas Imperialis debet eſſe etiam ſedes Pontificis ſupremi. Quemadmodum Ro-

Iohannes Papæ vniuerſalis titulum vſurpat.

ma fuerat ante.

Vndè non ex aliqua hæreſi, ſed ſola ſuperbia hæc ſeſsio prouenerat, vndè Pelagius Papa corripuit eum epiſtolis ſuis, & friuolam eius rationem eliſit. Similiter beatus Gregorius primus, qui Pelagio Anno Domini 590. ſucceſſerat, ſcripſit ei, & Imperatori Mauricio ſuam ſuperbiam redarguens, vt patet in Regeſtro ſuo, & Diſt. 99. ca. Nullus. & ad ſupprimendam tam temeram ſuperbiam ſuam, humilitatis titulum ſibi apponens, ſe in literis omnibus ſeruum ſeruorum Dei intitulare cœpit. Quem vſq; modò ſequũtur omnes Romani Pontifices, licet quidem putent Damaſum Papam hunc primum titulum aſumpſiſſe, & ab alijs ſucceſſoribus fuiſſe prætermiſſum, donec à beato Gregorio continuaretur. Hæc diuiſio pauco tempore durauit, quia mortuo Iohanne ſucceſſor eius in illa elatione non perſtitit, ſed ad Eccleſiaſticam vnionem acceſſit. Quibus temporibus fuit Artenius hæreticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui dogmatizabat vnam tantum fuiſſe in Chriſto voluntatem & operationem. Quem Papa Pelagius veniens Conſtantinopolim eiecit de ſede, & ſub ijſdẽ temporibus quinta Synodus celebrata eſt auctoritate Papæ Vigilij Imperante Iuſtiniano.

Seruus ſeruorum Dei. *Quinta Synodus.*

Sexta diuiſio fuit, & cœpta eſt Sergij Papæ & Heraclij Imperatoris temporibus Anno Domini Sexingenteſimo Octogeſimo & durauit annis 65. ferè vſq; ad tempora Agapiti Papæ, & Conſtantini quarti Imperatoris Catholici, filij Conſtãtini tertij omnium Imperatorum peſsimi ex Heraclio geniti qui Papam Martinum ab vrbe, Cõſtãtinopolim tractum, damnauit exilio in Cerſonam, vbi loci & beatus Clemens exulabat. Quam diuiſionem & ſceſsionem fecit Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Hæreticus, qui ſimiliter vt Artenius tenuit vnam voluntatem & operationem fuiſſe in Chriſto & pertinaciter ſtetit ſub inobedientia

cum

cum alijs ſex Epiſcopis videlicet, Piro, Paulo, Petro, Thoma, Piro, Theodore ſe ſequentibus hæreticis fiducia Heraclij, qui Heraclius poſt multa facta egregia, de quibus mentio fit in legenda exaltationis ſanctæ crucis, quæ pro fide & Eccleſia fecerat, lapſus erat in eundem errorem Artenij, ſuggeſtu Sergij ſeductus, donec tempore Agapiti Papæ Theodoro, in Conſtantinopolitana ſede, Georgius vir Catholicus ſucceſſerat, & Conſtantino tertio Imperatori filio Heraclij deteriore patre in hæreſi. Conſtantinus Quartus filius eius princeps Catholicus ſuccedens geſſit Imperium. Sub quibus Eccleſia iterum vnita fuit. Et ſexta Synodus vniuerſalis de qua diſtinctione ſedecima Capitulo ſexto Synodus, per Agathonem Papam celebrata. durauit vnio quaſi annis viginti tribus ad tempora Iohannis Papæ Sexti tenētibus ſedem Conſtantinopolitanam ſucceſſiue quatuor Epiſcopis Catholicis, Georgio, Theodoro, Paulo, Calonico: donec Titus ſucceſſerat eidem Calonico hæreticus de errore Arteni. Sexta Synodus.

Septima ſectio cœpit à Tito Conſtantinopolitano Epiſcopo hæretico, ferè totidem annis durans vt præcedens. Incipiens tempore Iohannis Papæ Sexti, qui Græcus fuit, durauit ad tempora Adriani Papæ primi, & Conſtantini Imperatoris Quinti, qui cum Hirene matre tunc tenuit imperium. Qui Titus, cum duobus ſucceſſoribus Iohanne & Germano ſedit ſedi Romanæ inobediens annis 24. hæreſim tenens Artenij. Quæ quidem hæreſis in ſucceſſore Germani finem accepit. tamen alia conſurrexit ſcilicet ſub Anaſtaſio, qui annis 24. ſedit in ſede Conſtantinopolitana Eccleſiæ Romanæ inobediens, cum ſucceſſoribus duobus Conſtantio & Niceta. Vndè hæreſis Iconomachorum conſurrexit in deſtruentium & perſequētium imagines. Contra quos eſt Capitulum de Conſecratione diſt. 3. Venerabiles imagines. De qua hæreſi fuit Anaſtaſius cum duobus ſequentibus. Iconomachi.

Teraſio tandē Epiſco. Catholico Nicetæ ſuccedenti in Ecc. Conſtantinopolitana, qui in ea ſedit An. 12. Et Imp. Conſtātino. V. cum Hirene matre ſua, Imperium gubernāte, viro Catholico, Synodus per Adrianum Papam primum, in Nicea ciuitate Aſiæ celebrata eſt, Anno Domini Septingenteſimo Septuageſimo quinto, & vnita Eccleſia. Ibidem fuerat Synodus illa quam tempore Conſtantini Imperatoris Syluester Papa congregarat. Et durauit vnio ad tempora Leonis Imperatoris, qui fuit Armenus genere, & Baro Michaelis Imperatoris. Et occiſo Michaele, qui poſt Conſtantinum Quintum & Hirenem imperauerat, quæ filium Conſtantinum eundem exoculatum, in carcerem coniecerat, quod eam priuarat imperio. Imperium tyrannice inuaſit & occupauit, ac ſopitam hæreſim Iconomachicam à Concilio ſeptimo reaccendit, temporibus Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui Teraſio ſucceſſerat, & ſedit annis nouem.

Nicena ſynodus.

Hirene impia regina

Octaua diuiſio circa Annum Domini Octingenteſimum trigeſimum, tēpore dicti Leonis Imperatoris fuit ſub tribus Patriarchis Conſtantinopolitanis hæreticis, Iconomachitis, ſcilicet Theodoro, qui ſedit annis ſex, & Antonio, qui ſedit annis tredecim, & Iohanne, qui annis nouem.

Octaua ſynodus.

Qui tres nominatim anathematizati ſunt, per octauam Synodum, & durauit annis quaſi 27. Donec Methodius vir Chriſtianiſſimus in ſede Conſtantinopolitana ſedit. Sub quo totaliter defecit hæreſis Iconomachica, qui annis quatuor reſidēs Eccleſiam iniuit. Cui Methodio cum Ignatius vir Sanctus, & conſtans, miraculis ſucceſſiſſet, & cùm iam ſediſſet annis 11. per Imperatoris Michaelis, qui Leoni in imperium ſucceſſerat, auunculū, Vardam nomine, cognomento Ebrioſum, de ſede pulſus eſt.

Qui excōmunicabat eum, q́ ſpreta legitima vxore nurum ſuam ſuperduxerat, nec abſoluere voluit, niſi rediret ad priſtinum coniugium

ingium. Et per violentiam fecit eligi quendam Phocium laicum ſceleſtum hominem, in Patriarcham Conſtantinopolitanum.

Phocius S. Sanctum à ſolo Patre procedere docuit.

Nona diuiſio cœpit à pranominato Phocio Nicolai Papæ primi, & Michaelis Imperatoris tēporibus circa Annum Octingenteſimum Quinquageſimum Octauum.

Nam petente dicto Michaële Imperatore vt Papa Nicolaus Phocium ad ſedem Conſtātinopolitanam confirmaret Papaq́; hortaretur, è contra pluribus eum litereris vt Ignatium iniuſtè à ſuis inferioribus, contra Canones depoſitum reſtitueret ſedi ſuæ, vt habetur 21. Diſt. C. Inferior ſedes, cum 5. capitulis ſequentibus. Dumq́; cerneret ea in re obſtinatiorem Imperatorem, Phocium depoſuit, & multas contra eum excommunicationum ſententias promulgauit.

Ipſe verò fauore & præſidio Imperatoris ſedem occupabat violenter, modum & viam querēs conatu toto, quo ſe ab obedientia Papæ eximeret. Et quia veteres Hæreſes ſenſit ea in re non fore ſibi profuturas, nouam conflauit.

Nam verſuta calliditate conſtituit quaſi generale Concilium comportare, vt pertinaciter de proceſſione Spiritus Sancti Neſtorij dogma defenderet. Quod quia ſine Papæ auctoritate & cōſenſu facere nequiuerat: ſubduxit ignotos viros, eos eſſe legatos ſimulās, non ſolùm Romanæ Eccleſiæ, ſed etiam principalium ſedium aliarum. ſcilicet Alexandrinæ, Anthiochenæ, Hieroſolymitanæ. Et congregans Metropolitas & Epiſcopos per ſe agebat omnia. Nicolaum Papam, multis criminibus accuſando, maximè quod excōmunicatus eſſet, eo quod ad Symbolum addiderat Spiritum Sanctum & à Filio procedere, & eſſe depoſitum geſtis tertij Concilij contra cuius decreta fecerat. Quæ pertinatia magis imbuit Græcos in hoc errore, & eos irritauit contra Latinos qui & plures ac varios accuſatores cum teſtibus ſubduxit, vt coram Concilio

Ee

contra Papam acclamarent. Et ſic adiudicauit contra Papam vt petebatur. Et hæc ſciſsio ſtetit annis nouem durante eodem Phocio & Imperatore Michaele. Quo deinde Michaele occiſo, per Baſilium collegã ſuum, qui veritus ne in ebrietate furẽs eum aliquãdo occideret, q etiã chariſsimos ſuos in hoc furore ſolitus fuerat occidere, eũ occidere maluit, & poſſeſſo Imperio, voto Papæ Nicolai parens, Phociũ de Conſtantinopolitana ſede expulit, & Ignatium reuocatum in ea collocauit. Iſte ergo Phocius procurauit diuiſionem plus alijs inter Græcam, & Latinam Eccleſiam occaſione proceſsionis Spiritus Sancti tantum à Patre, & Græcos in eo ſeduxit cùm eorum ſequacibus Ruthenis. Interim Papa Nicolaus moritur & Adrianus ſecundus elegitur in Papam, qui ſimiliter omnia facta contra Phocium per Nicolaum confirmauit. Et miſsis nihilominus legatis tribus in Græciam, Donato Stephano Epiſcopis & maximo Diacono, diſcernere commiſit eis inter Ignacium & Phocium. Illi conuocato Concilio inuenerunt detectas fraudes, falſitates, & varias fictiones Phocij. Vndè cùm nollet fateri crimina, neq; pœnitere pro tot reatibus anatematizauerunt eum cum tota Synodo duodecim Anatematibus, & expulerunt à Synodo, vndè vnita fuit Eccleſia. Qui Phocius nihilominus clam varias machinationes inſtruens: dolo cuiuſdam à ſe confectæ, & tanquam veteris Prophetiæ in vulgus emiſſæ, & velut ſibi diuinitus reuelatæ ad intelligendum, gratiam Cæſaris adquiſiuit. Sic quod poſt mortem Ignacij, vi quadam eum in ſedem Conſtantinopolitanam repoſuit. Ipſe verò falſitate ſolita literas Iohannis Papæ Octaui ſuper ſua cõfirmatione, tãquam ad petita Imperatoris confinxit & ſedem occupauit, donec Stephanus Papa Iohannis Octaui ſucceſor eum palam deiecit & expulit.

Ebrietatis mala.

Decima diuiſio fuit tempore Conſtantini Sexti filij Baſilij, qui Monachus dictus eſt. Et Leonis Papæ noui, qui fuit Anno Milleſimo

Milleſimo Quinquageſimo, quo tempore quoq; fuit Michael quidam illiteratus homo & ambitioſus, Patriarcha Conſtantinopolitanus. Cui Conſtantino dum Sicilia fuiſſet ſubiecta, veniensq; ad eam cum theſauris multis & gemmis, & vrbem & Eccleſias eius ſpoliaſſet, miſiſſetq; Conſtantinopolim ad conſtructionem monaſterij ſancti Gregorij, mox in eius egreſſu rebellarunt, & regem ſibi conſtituerunt, Leoni Papæ querela ſuper tyrannica Conſtantini expoliatione expoſita. Quo cognito Imperator dum apud Papam inſtaret, vt eos à defectione per excommunicationem retraheret ab vna ipſe quoq; ab altera parte, armis huiuſmodi rebellionem ſefrenaturum diſponeret: Papa reſcribente quod id facere ſibi nō liceret, eo quod iuxta querelam Siculorum occaſionem ſolus præſtitit rebellandi.

Indignatus Imperator iudicauit Papam eorum defectionis eſſe authorem. Et non valens ſe de Papa quouis alio modo vindicare cum Græcia tota ab eius obedientia ſe ſubtraxit. Ad quod facinus parati ſemper Græci extiterunt.

Græcia deficit à Papa Romano.

Conſtituens igitur Patriarcham Conſtantinopolitanum vniuerſalem Papam facere tractatu ſuper ea re cum Michaele Patriarcha Conſtātinopolitano habito: ipſoq; homine ambitioſiſſimo annuente, voto ſuo, conuocato Concilio, Epiſcoporum omnium Orientalium coram eis dictum Michaelem vniuerſalem Patriarcham orbis totius pronuntiauit, & dextrauit eum ſuper equum inſidentem per hypodronium palatij, prout Imperator facere Papæ ſolitus eſt, ducens frenum equi ſui aliaq; omnia inſignia Papalia ei contulit.

Imperator Papæ equiſo.

Mox miſer ſtulta elatione inflatus, Rommanum Papam in illo Conciliabulo cum omnibus occidentalis Eccleſiæ Epiſcopis ac clero vniuerſo denunciauit eſſe depoſitos & excōmunicatos. Quia contra Niceni Concilij determinationem addiderunt Symbolo,

Spiritum Sanctum à Filio procedere. quod. Nicena eadem Synodus non poſuerat. Et in ſequente Synodo iterum decretum fuerat: omnem qui aliam fidem teneret vel doceret ſi foret Clericus deponi. Si laici excommunicari debere: Quo facto dixit ad ſe iure pertinere regimen vniuerſalis Eccleſiæ cum eſſet Patriarcha primus poſt Romanum Pontificem nec depoſitus nec excommunicatus: Itaq; ſtulta præſidentia eius proceres milites & populus quiſq;, cœperunt in omnibus occurentibus ad eum velut ad Papam recurrere & honorem ac reuerentiam exhibere tanquam Papæ. Audiens hoc Leo Papa duriter literis exprobrabat Michaeli, redarguens eũ, & oſtendẽs quomodo in prima Synodo Nicena, cui Syluester Papa & Conſtantinus magnus intererant, Decretum fuit cum ſubſcriptione totius Synodi & Conſtantini, quod ſumma ſedes Romana à nemine iudicaretur, & vt Romano Pontifici omnes ſacerdotes totius orbis ſubditi eſſent vt capiti Quod decretum Synodi ſeu Concilia plura approbarunt. Primo Synodus Conſtantinopolitana prima cui Theodoſius ſenior intererat: Epheſina prima cui Theodoſius iunior filius Archadij aderat: Chalcedonenſis quæ præſentia Marciani Imperatoris acta eſt: Conſtantinopolitana tertia, quæ tempore Conſtantini iunioris fuit. Omnes hæ Concordi voto & ſubſcriptione confirmarunt ſanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam ſedem poſt Dominum Ieſum Chriſtum caput eſſe omnium Eccleſiarum hæc & alia plura illi obijciens. Ille tamen velut temerarius nullis decretis attentus in ſua pertinatia permanſit, propter quod iuſto Dei iudicio breui vindictam accepit.

Papæ ſunt terrori Imperatorib. *Nam Conſtantinus Imperator videns tantùm ei deferri honorem ab omnibus, vehementer eum exaltationis ſuæ pœnituit. Timens quoq; ne ſumpta aliqua occaſione leui excommunicaret eum, & ne proceres in eius defectionem ceu excommunicati aliquando*

quando cogeret, cùm præſertim habeatur pro Papa vniuerſali: arguebatq́ intra ſe, quod ſi Papa remotus Romanus hoc facere potuit, quid non faciet Papa præſens? Vocato ergo ipſo Patriarcha Michaele, & alÿs Epiſcopis, ſicut coram eis eum inſtituerat: ſic & coram omnibus à cunctis dignitatibus eum deiecit, & ſpoliauit non ſolùm inſignibus Papalibus, & collatis priuilegÿs: ſed & alÿs quæ dudum ante Patriarcha Conſtantinopolitanus habebat, ab alÿs Imperatoribus conceſſa, quo ſibi audaciam omnem agendi contra ſe amputauit, libertates omnes adimendo.

Iuſtè igitur Dei iudicio factum eſt, vt careret proprÿs, qui aliena iura contra fas & ius vſurpatione inuaſerat. Et exinde Græci Imperatores ſimiliter ius cœperunt, vt Patriarchas & Clericos omnes teneant ſubiugatos, quos, & quando volunt inſtituunt, & etiam deſtituunt.

Similiter Rutheni principes faciunt, & idem peſſimus hominum Conſtantinus, volens Græcos cum Latinis in perpetuo ponere diſſidio, & ſeparatione ſempiterna: fecit publicè proclamare, vt quiſq́ contra Eccleſiam Romanam ſcriberet mala quæ ſciret & abominabilia, præmia ſcriptoribus pollicendo, vt ſic populo Romanam Eccleſiam contemptibilem redderet. Sic itaq́ multi multa ſcripſerunt fatua ficta & nephanda, & quanto abominabiliora, tãto miſero Imperatori gratiora. Et ſic apud eos, ac Ruthenos magis velut aduerſus Eccleſiam Romanam blaſphemia. Vndè etiam Eccleſiæ conſuetudines omnes, quas habet Romana Eccleſia, quæ non ſunt apud eos tenent pro hæreſi. Sicut cõficere in azimis, comedere carnes feria ſecunda & tertia Carniſpriuÿ, radere barbas & alia plura. Exindè fama in vulgus diſperſa fuit, quòd Latini nonaginta nouem articulos erroneos haberent. Hinc Græci obſtinatiſſimi fiebant & contra Romanam Eccleſiam ſæuiebant. Quorum pertinaciam ſequentes Rutheni aduerſus Chriſticolas omnes, maledi- Græci cum Rom. Ecc. concitãtur

ctiones, blaſphemias calumnioſè & mendaciter conſtant, & latratibus ructuant. Et ſciſſi ſemel ac diuiſi ab Eccleſia Romana, nunquā redire, nec de Eccleſia aliter, niſi impiè ſentire voluerunt. Et huius mali occaſio non minus etiam ſumpta eſt. Poſtquam Carolus magnus, Orientale Imperium in Occidentem tranſtulit circa Annos Domini Octingentos. Et hæc nephanda ſciſſio durauit, quouſq; Latini Imperium Orientale ſuſceperant circa annos Domini Milleſimum Ducenteſimum temporibus Innocentij tertij, Alexio filio Iſaurij Græcorum Imperatoris cum patre occiſo. Quos Latinus quidam cum claſſe maxima Gallorum & Venetorum à Venetis impetrata, promiſſione affuturæ vnionis Eccleſiaſticæ procurandæ, dum Alexius Conſtantinopolim verſus educeret Imperium recuperaturus, & captiuo patri auxilium præbiturus ac dimicaturus, contra germanum patris, qui eodem patre ſuo rapto & exoculato ac coniecto in Carcerem Imperium vi occupauerat. Cum quibus conſerto bello cum occupatore imperij eum in fugam conuertit Imperio reſtitutus. Vnde pro gratia Latinus reddenda homo peſtifer nitebatur primo claſſem eorum exuere: vbi præpeditus, conſerto cum eis aperto prælio vna cum patre occiſus eſt. Et Græcis hincinde diſperſis, Imperio Conſtantinopolitano potiti ſunt Latini Annis 50. & vnio facta eſt, de qua vnione habetur. Extra de bap. Licet Grecos.

Imperium ex Oriente in Occidētem reuit.

Et creatus Imperator primus comes Gallicus nomine Balduinus & Patriarcha Cōſtantinopolitanus quidam Venetus. Poſt annos tandem Quinquaginta Græci recuperauerunt Imperium Ienuenſium adiutorio de manibus Latinorum Factusq; eſt Imperator Græcus Michael Paleologus, qui miſit ad Concilium Lugdunenſe per Gregorium decimum celebratum, offerens ſe velle concordare & vnire cum Eccleſia Latina. De proceſſione tamē Spiritus ſancti cupiuit erudiri, ſi procedēs à Filio nō procedat à duobus principijs,

Græci victi à Gallis & Venetis, Imperium amittunt An. 1200

co

eo quod omnia ab vno procedunt principio.

Vndè in eodem Concilio declaratum eſt, & decretum Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio non ſicut à duobus principijs ſed ſicut ab vno principio & non duabus Spirationibus. ſed una, vt habetur de ſum: tri. & fide Ca. lib. 6. ca. 1. Et hanc confeſſionem fecerunt legati Michaelis Imperatoris Græcorum & receperunt, ac reuerſi publicarunt in populis decantantes Symbolum Latinũ ſcilicet in Spiritum Sanctum qui ex Patre Filioq; procedit. Vndè ex hoc Symbolo Niceno nihil additur, ſed potius ſit declaratio veritatis. Symbolum Latinum accipiunt.

Et ſic quamuis Eccleſia Orientalis in vnione permanebat tamen deerant qui contradicerent unioni, alij palam, alij occultè. Tamen Imperator multos hæreticos obſtinatos tales Abbates & Monachos occidi fecit, alios mergi, qui nec rationibus nec autoritatibus ſanctorum valebant à ſua pertinatia reuocari, qui etiam Ioſeph Patriarcham Conſtantinopolitanum hæreticum depoſitum eiecit & priuauit ſede illa, & Iohannem dictum Vechum, hominem Catholicum in ſede collocauit, & ſub eius vita tota, durauit vnio.

Vndecima diuiſio cœpit per Andronicum filium Michaeli Imperatoris, qui vna cum patre in Imperium Coronatus fuit vbi Gregorio decimo iurauerat de fidelitate fidei & obedientia Romana: patre tandem mortuo ſolus gubernauit Imperium, homo puſillanimis timidus & peruerſus, qui fratrem anhelantem ad Imperium & Græcorum à ſe defectionem ad eum, metuens eum, incarcerauit. Coronatus hic Gregorius Anno 1272.

Et animaduertens Græcos in vnione fidei & Romanæ obedientiæ vacillantes ac ad defectionem paratos, congregatis omnibus in Eccleſia maiori ſanctæ Sophiæ Conſtãtinopoli contra iuramentum factum Eccleſia Romana palam dixit. Vobiſcum tenui ſemper, te-

neboq́, fidem anteceſſorum noſtrorũ profitendo de proceſſione Spiritus Sancti à ſolo patre, patriq́, ſuo defuncto maledixit voce alta, & Anatematiſauit eum cum omnibus qui fide ſibi adhærebant. Cuius incitatione Græci reuerſi ad vſitatum vomitum diuiſi ſunt ab Eccleſia Romana, Sed vindice Deo quod miſer & ignarus metuebat, euenit. Namq, vecordia ſua Imperium pene totum amiſit.

Turcæ Aſiam minorem vaſtant.

Turci namq́, totam ſub eo Minorem Aſiam rapuerunt. Et citra maria dominia vaſtarunt, aliȷs quoq, ciuitatibus iam à Tartaris, iam etiam à variȷs tyrannis direptis, Conſtantinopolim cum paucis ciuitatibus poſſedit. Qui nihilominus factus obſtinatior & vt aduerſus Romanam Eccleſiã Græcos concitatiores & pertinationes efficeret: Iohannem Vechum Patriarcham Conſtantinopolitanum virum Catholicum de ſede turpiter eiecit & vna cum aliis quos ad errorem ſuũ deflectere nequiuerat coniectum in carcerem fame necauit. Et Ioſeph perfidum ante depoſitum hæreticum in ſedem eius ſubſtituit, quem ex eo quod pertinaciſſimè veritati fidei Eccleſiæ Romanæ reſiſteret, magnam calumniam fidei appellauit. Finaliter tamen per nepotem ſuum conſtrictus, & Imperio priuatus vitam miſerabiliter finiuit. Durauit hæc iterum diuiſio ad Annum Domini Milleſimum Quadringenteſimum Trigeſimum ad Florentinum Concilium, & à tempore Phociȷ ſc. ab Anno Octingenteſimo Quinquageſimo octauo. Schiſma hoc ad idem concilium ſtetit Annis 581. vel citra, quo tempore venit ad Concilium Florentinum per Eugenium Papam celebratum Iohannes, Paleologogus Imperator Græcorum cum Germano ſuo & Patriarcha Conſtantinopolitano Ioſeph nomine, & multo clero ac proceribus.

Schiſma Græcum durat Annos 581 vſque ad Annum Do. 1439

Qui auditis terminationibus luculentis ex variȷs ſcripturis & præſertim doctorum eorum Anaſtaſiȷ, Baſiliȷ. Cyrilli, Maximi, Dydimi, Chryſoſtomi quod procedat Spiritus Sanctus à Patre & Filio,

Filio, adquieuerunt & tandem confeſſionem ſuſceperunt cum Eccleſia Latina. Et ſic denuo fuit vnita Eccleſia Græca ad Latinam.

Duodecima & vltima diuiſio. Nam quamuis Imperator cum ſuis domum rediyſet vnitus Eccleſiæ, & eius dogma profeſſus, cùm indè paucis profectus acceſſit. Nam etſi ordinati fuerunt doctores & prædicatores, qui hæc populo diſſererent: clerici tamen eorum & præſertim Monachi à quibus populi informabantur in doctrina credendi & viuendi, pro maiori parte pertinaces exiſtentes in errore & perfidia aliud dogmatiſabant & indurabant populum. Quapropter Dominus Deus malum hoc amplius non tollerans & Eccleſiam Catholicam irrideri toties non ſinens, poſt Annos Quatuordecim permiſit in eos exterminium, vt capta Conſtantinopoli à Turcis, miſeri impio tyranno & inimico crucis Chriſti curuarēt ceruices ſuas, qui Chriſti vicario Romano Pontifici ſubeſſe voluerunt & qui Chriſtianis Occidentalis Eccleſiæ commiſceri & conuiuere, mutua vnione fuerant dedignati, iuſte commeruerūt, vt qui miſerabilem mortem euaſerunt cum Iudæis & infidelibus in ignominioſa ſeruitute vniti permaneant. *Conſtantinopolis capta Ann. 1453.*

Qui Turcus nūc Eccleſias Oriētales omnes veraciter ſeparauit. Sed proh dolor, homines miſeri tam horrendo exterminio ferè imperterriti vſq; modo permanēt, in ſua pertinaci obſtinatione. Maluntq; calamitatem omnem perpeti. quam Eccleſiaſticæ concorporari veritati, ſapientia ſuorum maiorum prorſus fatuati non attendentes quātam eis reuerentiam Eccleſia Catholica exhibuerit, & vſq; modo exhibet. Itaq; eorum ſapientiæ dans honorem: & cultui iuſtitiæ ab eis exortæ, ac recognoſcens, quod Græci fidem ſalutarem. Primum à Paulo & Barnaba ſuſceperunt vt ſcibitur Actuum 13. à quibus ad Ecceſiam Romanam deriuata eſt Petro & Paulo *Fides à Græcis ad Romanos deriuata.*

ex Gracia Romam venientibus traditiones Græcorum certas in Miſſæ certis concentibus continet vſu modo. Et non mirùm eſt, quod adeò fremant aduerſus Eccleſiam, deſæuiantq; in omnes quos ſub eius obedientia cernunt conſiſtere, quoniam à iuſticia, caritate, & humilitate prorſus ſunt alieni, cum omnibus ſui ritus Schiſmaticis Ruthenis.

A iuſtitia inquam: dicit enim beatus Auguſtinus, & habentur verba in Canone vigeſima quarta quæſt. 1. cap. vbi. Quod vbi ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia quæ ſcribitur Abacuc ſecundo & ad Rom. 1. Iuſtus ex fide viuit, vbi ſubditur, neq; ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant. Et quod magis eſt de quo conſtat, quod caret virtute veræ fidei, præſumitur quod non caret omni vitio, & præſertim fidei oppoſito, ſcilicet perfidia.

Huic Eccleſiæ veram fidem profitendi, moleſti ſunt & infenſi & aduerſi veræ pietati Religionis Catholicæ quæ prima & ſumma iuſticia eſt. Quod autem charitate careant, ſola diuiſione ab vnione Eccleſiaſtica demõſtratur, quæ ex odio charitati contrario procedit. Charitas namq; imperat concordem fraternam vnitatem, quia dilectio proximi, malum non operatur Rom 13. & inclinat in actus omnes virtutum omnium, quæ vbi defuerit, iræ & odij remanet incendium, nec non contentiones rixæ diſcordia, detractiones, contumeliæ, blaſphemiæ & cæteri quiq; actus vitioſi meritò ſuccedũt, dicitur enim in quæſt & cap. quo ſupra Quod ſi hæretici aut ſchiſmatici charitatem haberent, nõ dilaniarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia Catholica.

De hæreticis non eſt charitas.

Ex eadem tandem radice liquet: eos humilitate carere quæ eſt ornamentum præcipuum hominis Chriſtiani, quia Eccleſiæ ſuaue iugum abyciunt, & fortè detrectant, contra quos quæritur Dominus in perſona Eccleſiæ Ierem. 2. Confregiſti iugum meum, rupiſti

rupiſti vincula mea, dixiſti non ſeruiam. ſcilicet conſtitutionibus & ordinationibus, ritui & ſacramentis tuis arguant te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Hæc ibi, & 24. q. c. Audiuimus. Dicitur Chriſtus non habitare in cordibus eorum qui ſuperbiæ ſingularitatē ſecuti, à corporis Chriſti compage ſemetipſos abrumpūt hinc præciſione ſua laborātes, ad Eccleſiæ Catholicæ detrimentum, famæ gloriæq; confuſcationem. ſemetipſos infames reddiderunt, iuxta illud Dioniſii Papæ 29. 7. cap. Alieni. Vbi dicitur. Infames eſſe omnes cenſemus, qui Chriſtianam Legem præuaricantur, aut Apoſtolicam vel regularem poſtponunt auctoritatem, & ambientes ſuperioritatis & prioritatis titulum in Eccleſia, ſe tanquam primitiuæ Eccleſiæ ſectatores, primos & veros Chriſtianos exiſtimantes infimi facti ſunt Chriſtianorum omnium, iuxta illud Alexandri 2. 24. 9. 1. cap. Audiuimus. Item cùm Dominus. circa finem, liquidò conſtat eum, qui ab integritate Catholicæ fidei recedit, maledicendi & benedicendi poteſtatem minimè habere. Catholicum nanq; vtpote ſe ſuperiorē maledicere non valet, id eſt excommunicare. Qui infames.

* * * *
* * *
* *
*

APPENDIX DE ERRORIBVS MOSCORVM.

* *
*

PLura eiuſmodi, quæ Sacranus Ruſsica refutans, ex ſcholaſtica profert Theologia. exiſtimaui perparum emolumenti, ſi hic ponerentur Lectori allatura eſſe. Sunt enim meræ argutiæ humanæ, vel raris, vel nullis firmatæ teſtimonijs Diuinis, quibus ſolis omnis redarguitur in fide error. Quamobrem ijs omiſsis, Petrum quoque Scargam Ieſuitam Vilnenſem ſimilia recenſentem audiamus. Poſitis tamen inprimis Græcorum rationibus, quibus ſuam à Romana Eccleſia defectionem excuſare conantur. Primùm inquit, octo capita, deinde nouem. poſtea ſex & viginti, Græci Ruſsis aduerſus Eccleſiam Romanam edidere Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, octo conſcripſit, quæ Nicolaus Papa ad Ignatum archimyſtam Renenſem ſcripto recenſet.

Primo quia Romani ſabatho ieiunant.
2. *Spiritm S. à Filio quoq; procedere aſſerunt.*
3. *A matrimonio abhorrent.*
4. *Sacerdotes confirmationem Baptiſmi facere non permittunt.*
5. *Interuallum temporis ante Quadrageſimam producunt.*
6. *Agnum Paſchalē vnà cum corpore Christi, in altari cōſecrāt.*

7 Sacer-

7. *Sacerdotes illorum barbas radunt.* *Errores Latinorũ.*

8. *Diaconos abſq; Sacerdotio, Epiſcopos faciunt.*

Poſt hæc ducentis fermè interiectis annis, Papæ Leonis 9. tempore, hoc etiam nouum caput addidere. Quia iidem Romani, pane azymo in Sacramento corporis Domini vtuntur. Plura deinceps alia, ira inuidiaq; flagrantes commenti ſunt & hæreſes vocarunt. quo, eò magis Ruſſos, gentem ſimplicem, è quorum monumentis hæc producimus deciperent.

10. *Quod Romani Pontifices in bella prodeunt.*

11. *Ieiunij tempore pueros, lacticinijs veſci ſinunt.*

12. *Non contenti pictis imaginibus, ſculptis etiam vtuntur.*

13. *Crucem digito humi factam pedibus terant.*

14. *Virginem Mariam Dei genitricem non vocant.*

15. *Ad altare mulieres admittunt.*

16. *Suffocatis auibus alijſq; cum ſanguine, item ranis & vrſis veſcuntur.*

17. *Ori Baptizati, ſal ingerunt, & luto ex ſputo facto, aures illinunt.*

18. *Aqua ſe quotidie, ritu Iudaico aſpergunt.*

19. *Tota manu benedicunt, ſignum autem crucis vno digito exprimunt.*

20. *Ab tempore ieiunij, vſque ad Paſcha, Halleluia non canunt.*

21. *Cadauera mortuorum Epiſcoporum, aliquot hebdomadas inſepulta ſeruant, nec illorum manus tranſuerſim, figura crucis componunt.*

22. *Sacerdotes eorum, tres vno die Miſſas celebrant.*

23. *Conſanguineas in matrimonium ducunt.*

24. *Monachi ipſorum carnes comedunt.*

25. *Tempore quadrageſimæ ſanctam crucem abſcondunt, neq; flexu poplitum adorant.*

26. *Loco participationis Cœnæ Domini. ſacerdotem ſacrificantem oſculantur.*

Hæc Scarga cap 12 libri 2. Polonici, Anno 1577. Vilnæ excuſi de vno paſtore, vnitate Eccleſiæ, & Græcorum ab illa ſeceſſione. Capite verò 2. partis 3. hoſce errores tã Græcorum quam Ruſſorum enumerat.

Errata Ruſſorum.

1. *De proceſſione Spiritus S. perperam ſentiunt, æqualitati Filij cum Patre hac ratione detrahentes.*

2. *Datam eſſe à Deo Eccleſiæ Rom. eam auctoritatẽ, vt totius mundi Eccleſiis præſit negant.*

3. *Nondum eſſe ſanctos in cœlis, nec dum frui faciei aſpectu Dei propterea quòd nondum reſurexerint credunt.*

4. *Nullum eſſe purgatoriũ aiunt, nihilominus tamen pro mortuis orant.*

5. *Matrimonium voce Diuina indiſſolubile pronuntiatum, poſſe p hominẽ ſolui putant. Vnus illorum aliquot vxores ſimul habet, Popæ, id eſt, ſacerdotes atque Epiſcopi, vota Deo nuncupata, ac id ipſum ſacramentum diſiungunt diſſoluntq;. Potentiores autem, tonſas monachas in matrimonium ſumunt.*

6. *Septem tantùm Concilia eſſe debere. Si verò vel octauum vel nonum foret, id pro Anathemate habendum dicunt.*

7. *Corpus Chriſti, in pane infermentato conſecrari, nefas habent.*

8. *In Miſſa, panem nondum conſecratum, genibus flexis adorant: cùm autem conſecratus fuerit, nullum honorem ſanctiſſ. Chriſti corpori exhibent.*

9. Et

9. *Et corpus & ſanguinem Chriſti in ara, non ſolo Dei verbo, ſed ſacerdotis etiam precationibus fieri exiſtimant.*

10. *Idem ſacramentum feria quarta tantùm ante Paſcha conſacratum, propter ægrotos, totum annum conſeruant, negantes alijs diebus idem conſecrare dariq́ ijſdem licere, cùm tamdiu haud poſſit panis ſpecies ſalua durare.*

11. *Popæ, id quod reliquum eſt corporis Chriſti, à fidelibus non abſumti, peracto prandio templum ingreſsi interdum ſemipoti, vel nulla vel parua cum reuerentia comedunt.*

12. *Parui id pendunt, ſi vino, accedentium frequentia exhauſto, tantùm aqua poſt conſecrationem aſſundatur, vt nullus eius ſapor ſuperſit, quod vbi ſit, nec ſacrari, nec eſſe ſanguis Chriſti poteſt.*

13. *Nec pluris faciunt confeſsionem peccatorum, nam Popæ peccatis contaminati, nulla alia confeſsione facta præter eam, quæ vulgo fit ab omnibus ſemel in anno, ad Liturgiam obeundam accedunt, quo pacto non id ſolùm quod ſacramento absq́ pænitentia ſumto iniuria fiat: verumetiam communicantes ſibi exitium attrahunt.*

14. *Confirmatio Baptiſmi non eſt illis Sacramẽtum quæ etſi ad ſolùm pertinent Apoſtolorum ſucceſſorem Epiſcopum: tamen eam vulgaris ſacerdos peragit.*

15. *Extremam olei vnctionem, errore intolerando, homini mortuo adhibẽt, quaſi ſoli corpori anima deſtituto, accomodanda ſint Sacramenta.*

16. *Neminem, vxore carentem ad ſacerdotium admittunt, nec vllam Popam, cui Popadia non ſit habent quó facto caſtitatem-exe[illegible]m noui Teſtamenti virtutẽ contemnunt, donum Dei corrũpunt quodq́ idem Deus largè nõnullis dare poteſt, id omnibus detrahunt & à ſacerdotali dignitate reijciunt.*

17. *Cleri apud eos conſecratio, non fit ſine pecunia. Dare enim conſecrandum Epiſcopo conſecranti, aliquot florenos oportet, quod tamen minimè dicitur eſſe peccatum.*

18. *Negant chryſma, Epiſcopo ſiue Metropolitæ, præter ſolum Patriarcham conſecrare fas eſſe. At uerò tam longè petitum, aut in itinere perit, aut adulteratur, vel ætate conſumitur. Id autem apud Catholicos, Epiſcopus quotannis renouat, Sacramentis quibuſdam adhibendum.*

19. *Cærimonijs ritibusq́; plus quàm par eſt confidunt. Ad hæc in Imaginibus, Sanctis inuocandis, alijsq́; Eccleſiaſticis rebus, multa iniquè committunt. Hæc ſunt Scargæ verba paucis comprehenſa, qui capite tertio ait Moſcos, adeò abominari deteſtariq́; Eccleſiæ Romanæ homines, vt illos pro Ethnicis habeant, & ſi occidant, obſequium ſe Deo præſtare ſibi perſuadeant. Addit idem allegatum ſuperioribus annis ad Lituanos, à Patriarcha Conſtantinopolitano, quendam ſacrati ordinis virum perduci eò non potuiſſe, vt Valerianum Epiſcopum Vilnenſem ſalutaret, negans ſibi ſuisq́; quidquam commercij in rebus fidei, cum hominibus Latinæ Eccleſiæ, qui ipſis hæretici eſſent, habere licere.*

Et Scarga quidem Eccleſiaſtes, doctiſſimi Andreæ Volani Euangelici aduerſarius, iſta de odio Græcorum Ruſſorumq́; aduerſum Romamanenſes: ſuum in Euangelicos egregiè diſſimulans. quod tum re ipſa declarauit, cùm Anno 1580. Lutherianos, ita eſſe omnibus exoſos debere, ſuos Vilnæ doceret, vt & obuios conſpuerent. Cuius rei, cum ipſemet obuius concionatori Euangelio factus, exemplum edit alijs imitandum, (audita refero) contuſum os, ex quo ſputum exierat, manu cuiuſdam, id ſpectantis pij Nobilis, homo maledicus domum retulit.

ALEXANDER GVAGNINVS VERONENSIS, *Eques Auratus, peditumq́, præfectus. In deſcriptione Sarmatiæ Europeæ.*

De Religione Moſcouitarum omniumq́, Ruthenorum.

RVtheni omnes poſtquam ſemel fidem Chriſtianam Græcorum ritu anno reſtitutæ per Chriſtum ſalutis 942. ſuſceperunt ſub Olha Duciſſa & Volodimiro filio eius Monarcha Ruſſiæ in ea ad hunc vſq; diem vnanimiter fortiterq́; perſeuerant. Quamuis quidam proceres Ruſſiæ Polono Regi ſubiectæ doctrinam Lutheranam, & Zuinglianam ſequãtur ſed vulgus omne maiorq́; pars magnatum & nobilium fidem antiquitus Græcorum ritu ſuſceptã firmiter retinent, Sic quoq; omnes regiones Ruſſiæ quæ alba dicitur Moſchorum Principi ſubiectæ Chriſtianæ fidei quam à Græcis ſuſceperunt veſtigijs firmiter vnanimiterque inſiſtunt. Vnus autem totius Ruſſiæ Metropolitanus olim erat tam Moſchorum, Lituanorumque Ducibus Regiq́; Polonorum tributarius qui ſedem ſuam primo in Kiouia Ruſſiæ Lituanorum Metropoli ciuitate retinebat tandem in Volodimiriam poſtremo in Moſchouiam tranſlata eſt. Cùm autem Metropolitanus Moſchouiæ ſeptimo vnoquoq; anno Ruſſiam Lituanis ſubiacentem cauſa exigendarum pecuniarum inuiſeret ablataque magna pecuniarum ſumma diſcederet. Vitoldus magnus Lituaniæ Dux, re conſiderata, prouincijs ſuis, ne theſauris

Rutheni Chriſtiani

Metropolitanus Ruſſiæ.

exhaurirentur, conſulere volens, Epiſcopis Abbatibuſq; Ruſſiæ conuocatis iudicio eorũ. Metropolitã in ſua Ruſſia elegit, qui ſedem ſuam Vilnæ (quæ eſt Lituaniæ metropolis) habet in Baſilica diuæ virginis, quæ Ruthenis Preczista, id eſt, caſtiſſima dicitur. Hic autẽ metropolita rarò Vilnæ commoratur. Eſt verò Epiſcopus Vilnenſis præcipuus ſecundum ordinem Eccleſiæ Romanæ. Ipſa enim Vilna Romanum ritum ſequitur: ſed media pars Rutenorum eam incolit pluresq́ue Eccleſiæ in ea Rutenicæ quam Romanæ conſpiciuntur. Porrò omnes Metropolitæ Ruthenorum à Patriarcha Conſtantinopolitano autoritatem ſuam habent, & primò omnium Epiſcoporum Abbatum & totius ordinis ſpiritualis iudicio, & conſenſu Metropolita eligebatur, ſed nũc hanc autoritatem magnus Dux Moſchouitarum ſibi aſciuit ſuoq́; iudicio Metroplitam in Moſchouia conſtituit.

Metropolitanus Ruſſiæ in Lituania eligitur.

A ſancto Andrea Apoſtolo Rutheni ſe fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe iactant, adhuc ante Olham, & Volodimirum, quem ex Grecia per Pontum Euxinum ad oſtia Boriſtenis fluuij, gẽtiliter Dnepr dicti, apuliſſe annales eorum teſtantur, & inde ad Kiouiam, tunc temporis metropolim Ruſſiæ, aduerſo fluuio perueniſſe, atq; ibi omnem terram Ruſſie, benedixiſſe, & babtizaſſe, ſignumq́; crucis cũ illic conſtituiſſe. Ex Kiouia tandem aiunt eum ad fontes Boriſtenis Dneprisko dictos perueniſſe. Indeq́; in Nouogrodiam magnam deinde per mare Germanicum Romã vſq́; nauigaſſe. Poſtremò in Peloponeſo Græciæ, ſub Ago huius nominis Rege, propter Chriſtũ crucifixum fuiſſe. Archiepiſcopi in toto Imperio Moſcorum duo ſunt, vnus in Nouogardia magna, qui habet prærogatiuam inſulam albam

S. Andreas in Ruſſia eſſe dicitur

Archiepiſcopi Moſcouiæ, & Epiſcopi.

bam bicornem noſtrorū Epiſcoporum more geſtandi. Secūdus in Roſtouia Epiſcopi ſunt multi, videlicet Permiæ, Saſdaliæ, Twerenſis, Columniæ, Cernigouiæ, Rheſanenſis, Smolenſtenſis Pleskouienſis, &c. Veſtes eorum ſunt ſicut aliorum Monachorum nigræ, niſi quod aliquando ſericeas ferunt, & præſertim pallium nigrum, quod habet à pectore tres fimbrias albas, ad ſimilituditem riuuli fluctis inflexas, quod ſignificat ex cordibus eorum riuulos doctrinæ fidei, & bonorum exemplorum ſcatere. Metropolita autem, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Abbates, Monachi carnibus perpetuò abſtinent. Prouētus neceſſarios ex prędijs, & alijs extraordinarijs accidētibus & beneficijs habēt. Arces verò vel ciuitates, & omnes adminiſtrationes ſeculares, eis ademptæ ſunt. Sed metropolita Ruſſiæ Polono Regi ſubiectæ, & alij Epiſcopi villas ciuitateſq; poſſident. *Veſtitus Epiſcoporum.*

Abbates qui Igonomei priores qui Archimandritæ dicuntur, & omnes Monachi duriſſimas, moleſtiſſimaſq; leges & regulas præſcriptas habent, nullo ſolatij genere recreari eis cōceditur. Omnes non ſolùm Principis, ſed cæterorum nobilium mādatis parent: Plures eorum ex Monaſterijs in hæremum ſe conferunt, ibiq; in arctis tuguriolis, aut ſoli, aut cum ſocijs manent, victum de radicibus arborum, & varijs terræ herbis acquirunt. *Monachi.*

In ſacerdotij gradus hi tantum promouentur, qui diu apud Eccleſias ſeruierūt. In Diaconum autem nemo conſecratur, niſi vxorem habuerit, vnde interdum & matrimonio copulantur, & in Diaconatum conſecrantur. Præterea qui virgini ſtuprum aliquādo obtulerit, aut vxorem ſuam primo concubitu viciatā animaduerterit, in Diaconatum non ordinatur. Mortua vxore ſacerdos à ſacris

prorſus ſuſpenditur, niſi monaſterium ingreſſus iuxta regulam viuat, officijs etiam Diuinis peragendis ſi caſtè viduus vixerit velut miniſter cum cæteris Eccleſiæ miniſtris choro intereſſe poteſt. Si autē viduus ſacerdos aliam vxorem, (quod eis liberum eſt) duxerit, is múnere ſacerdotali priuatur, nihilq; commune cum clero habet. Nullus ſacerdotum Monachorumúe, horas canonicas dicit niſi habeat imaginem alicuius Diui præſentem, quam etiam nemo niſi cum magna veneratione attingit. Qui autem eam in publicū pfofert, manu eam in altum extollit, quam omnes prætereuntes cruce ſe ſignantes inclinando plurimum venerantur. Libros Euanglij maxima veneratione proſequuntur, neq;, eos manibus tangunt, niſi prius caput multoties inclinando, cruce ſe munierint. Omnes ſacerdotes ex contributione quadam certa ſuſtentantur. Aſſignantur etiam eis domunculæ cum agris & pratis, vndè victum ſuis vel famulorum manibus, more agricolarum acquirunt.

Sacerdotū regula.

Sacerdodes Romanos confundunt, qui cælibem vitam ducere ſeſe iuramento obſtringunt, cum ſancta Synodus quæ fuit iu Gāgra ſcribat in quarto Canone, qui ſpernit ſacerdotem ſecundum Legem vxorem habentem, diſcens quod non liceat de manibus eius Sacramentum ſumere. Anathema ſit, id eadem Synodus dicit, omnis Sacerdos & Diaconus propriam vxorem dimittens Sacerdotio priuetur,

Habitu haud diſſimili à ſecularibus veſtiuntur ſolùm modo pileolum nigrum rotundum quo raſuram tegunt geſtant. Comam ad brachia protenſam nutriunt, omnes baculos Poſoch dictos, quibus innitūtur, cum manu-

briis

brijs incuruatis geſtant.

Rutheni ſecundnm Calendarium ſuum, plurima feſta Diuorum,non his diebus quibus Romani celebrant. Trinitatis feſtum celebrant feria ſecũda Pentecoſtes, in octaua autem Pẽtecoſtes feſtum omnium ſanctorum obeunt. Feſtum verò Corporis Chriſti more Romanæ Eccleſiæ non venerantur. Viri præſtantiores peractis ſacris, ebrietate & commeſſationibus, feſtos dies conſumunt. Ciues artificeſque Diuinis peragendis intereſſe ſolẽt quibus peractis laboribus domeſticis, cæteriſq; negotijs incũbunt dicentes feriari & à labore abſtinere dominorum eſſe. *Feſte Ruthenorum*

Nicolaũ ſanctum inter cæteros diuos præcipuè venerantur, eumq; Diuino ferè cultu proſequntur, Templaq; præcipua nomini eius dicata erigunt, de cuius plurimis miraculis frequenter prædicant.

Habent etiam in Catalogo ſanctorum Romanos quoſdam Pontifices,quos inter ſanctos venerantur. Cæteros verò qui poſt eorum ſchiſma fuerunt (quando à Romanis diſiuncti ſunt) execrantur,& pro hæreticis grauiſſimis eos habent,eoſq; ſciſmaticos appellant.

In ſeptimo enim generali Concilio, quod ſub Adriano Papa celebratum eſt, concluſum eſſe dicunt, vt ea quæ in præcedentibus Synodis conſtituta concluſaq; fuerint, in poſterum quoq; ſolida rata, acceptaq; & perpetua teneantur: nec poſthac cuiquã ſub graui anathematis pœna aliud Concilium celebrare, aut accedere licere. In his autem ſeptem Concilijs, hos Pontifices Romanos fuiſſe conſtat, quos Ruthenĩ inter ſanctos venerãtur, dignoſq; Cathedra ſancti Petri dicunt. Ideò quod ſecũ ſentirent, in prima Synodo, Papam Syluestrum, in ſecunda Damaſum, in tertia *Concilium ſub Adriano Papa.*

Celeſtinum, in quarta Leonem, in quinta Vigiliũ, in ſexta Orphanium, in ſeptima Adrianum: omníaq; Concilia & Synodos. Poſt hos ſeptem prædictos Synodos celebrata, maledicta, peruerſa, & hæreſi turpiter deprauata, eſſe dicunt. Erat quidẽ Metropolitanus Ruſſiæ, Iſidorus nomine, qui ſedem ſuam in Kiouia retinebat, is ad Concilium Florẽtinum, ꝙ celebratum eſt ſub Eugenio Papa venerat, vbi Eccleſias Ruthenicas abiectis Græcorum ritibus, cum Romana Eccleſia vniuerat. Tandem in Ruſſiam reuerſus cùm propoſitum ſuum, & rem iam concluſam Ruthenis proponeret, illosq; ex verbo Dei ad vnitatem & concordiam fidei inſtrueret captus, omnibusq; bonis ſpoliatus, in carcere coniectus eſt.

Iſidorus Metropolitanus.

Doctores Ruthenorum.

Doctores quorum dogmata Rutheni ſequuntur ſunt hi, Baſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, & Iohannes Chriſoſtomus, quem illi Zloto vſti, id eſt, aureum os habentem appellant. Gregorij etiam Pontificis Romani libros, de moralibus ſcriptos habent.

Sacrum.

Sacrum ſiue miſſa Sclauonica lingua apud illos peragitur intermixtis etiam aliquãdo cantionibus Græcis, Epiſtola & Euangelium, quo magis à populo percipiantur extra chorum in medio Eccleſiæ aſtanti populo clara voce recitantur Concionatoribus carent, ſatis enim eſſe putant ſacris interfuiſſe, ac Euangelij Epiſtolarumq; verbaque vernacula lingua recitat ſacrificulus audiuiſſe, concionariq; in ſuis Eccleſijs obſtinatiſſimè prohibent, dicunt enim ſe hoc modo varias hæreſes & diuerſas de fide opiniones effugere, quæ ex cõtionibus & ſubtilibus argumentis ſophiſticiſq́ue quæſtionibus oriuntur.

Concionatoribus abſtinent.

Panem ad ſacrificandum hoc modo ſacrificant, vnus

eorum

corum præparatum panem ad ſacrificandum in patena ſuper capite, per minorem portam de ſacrario egreſſus portat, alter verò copertum calicē vino repletum cæteris Diaconis vel ſacerdotibus imagines ſanctorum, Petri, Pauli, Nicolai, vel Michaelis archangeli, magna populi circunſtantis acclamatione & veneratione præferunt, quidam ex circūſtantibus acclamant vulgari oratione, Domine miſerere, alij fronte terram gentili more percutiunt, quidam ſe ſigno crucis frequentius caput inclinando muniunt, varia denique veneratione ac cultu circunlata ſigna venerantur. Poſtea finito circuitu per mediam chori portam Sacerdotes in ſacrarium etiam ingrediuntur, ſacrumque peragunt. Quoties ſe ſigno crucis muniunt, id manu dextra ſic faciunt vt frontem primum, deinde pectus, mox dextram ac demum ſiniſtram pectoris partem punctis in formam crucis tangant. Quod ſi quis aliter ſe ſigno crucis munierit hunc velut hæreticum obiurgant. *Conſecratio panis*

Gloriantur Rutheni ſe ſolos cum Græcis veros Chriſtianos eſſe, Romanos verò & alios Chriſtianos damnant & execrantur, tanquam primitiuæ Eccleſiæ deſertores & ſeptem ſanctarum Synodorum præuaricatores.

Baptismi Sacramento Rutheni hoc modo vtuntur: nato infante, ſacerdos ſtatim accerſitur, qui ante fores puerperæ habitationis, certas orationes dicere ſolet infantiq; nomine impoſito domum reuertitur. Poſtea puer in templum defertur, hocque modo baptiſatur, in aquam immerſus, Criſmathe quod hæbdomada, feria ſexta Paſchā præcedente, conſecratum eſt vngitur, deindè Myrrha: Poſtea capillos infanti ſacerdos abſcindit, eoſque ceræ in-

tricatos in Eccleſia certo loco deponit. Sal autem & Saliuam Romano more, cum puluere mixtam inter Baptizandum non adhibent, aquam verò baptiſmatis pro ſingulis infantibus conſecrant, & continuò poſt baptiſmum in foueam ad id præparatam eam effundunt. Fideiuſſores verò vel ſuſceptores infantis, quoties circa baptiſmum ſacerdoti interroganti an Diabolo infans renuntiaret coreſpondent, toties in teram expuunt.

Confirmationis, ſeu inunctionis Sacramentum maximè abhorrent, hocq; argumento vanam, & damnabilem confirmationem, eſſe approbant, quod in Synodis omnibus ferè dictum ſit præcipuè verò in Nicæna, confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, cùm autem vnum ſit baptiſma vnum etiam eſſe Criſma, & virtutem eandem Sacerdotis & Epiſcopi circa Sacramenta diſtributa, dicunt eſſe.

Pvrgatorivm, Græci & Rutheni negāt, ſed dicunt vnumquenq; ſecundum opera ſua, poſt mortem locum deſignatū habere vbi diē iudicij extremi expectaret, pios quidem cū Angelis placidis, in lucidis & amœniſſimis Aelyſij viridiſeris campis recumbere, impijs autem in obſcuris çæcis, nigriſque caligine obductis voraginibus, cum Angelis terribilibus deſtinatam eſſe māſionem, ad expectandam iudicij diem, vndè illæ animæ quæ in locis amæniſſimis & ſplendidis, cum Angelis placidis benigniſque collocatæ ſunt, gratiam Dei ſibi futuram cognoſcūt, aſſidueque iudicium extremum fieri petunt. Aliæ contra condemnationem ſibi imminere & pænas terribiles in caliginoſis voraginibus ſitæ præſagiunt, idque eò maximè allegant quod animæ poſt mortem in cœlū ſtatim non aſcendunt

Opinio de animabus

dunt neque in infernum. Quibus enim illud verbum à Christo in nouiſſimo die diceretur, venite benedicti patris mei poſſidete regnum cœlorum,&c. Cùm iam omnes antea in cœlo ſint, & contra, ite maledicti in ignem æternum, cùm iam olim in inferno condemnati fuerint. Neque etiam animam à corpore ſeparatam pœnis obnoxiam eſſe credunt, nam cùm anima ſe vitijs cum corpore ſimul contaminauerit, cum corpore etiam expiandam putant, quod ego Theologis diſcutiendum relinquo.

Matthæi 25.

Funebre autem factum pro defunctis ideò faciunt, quod ijs ſufragijs tollerabiliorem animabus locum impetrari ſperant, vbi faciliùs extremum diem iudicij expectare poſſint. Imò etiam cum aliquis magnæ autoritatis vir moritur, tunc Metropolitanus ſiue Epiſcopus, Epiſtolam ad Sanctum Petrum ſcribit, ſigillo ſuo & manus ſubſcriptione munitam, quam ſuper pectus defuncti ponit, dans teſtimonium de bonis pijſque operibus eius. Vtque in cœlum faciliùs poſt diem iudicij admitteretur, & Chriſtianæ Religionis Catholicæ agnoſcatur, ſubſcribunt. Præterea agreſte vulgus circa mortuorum ſepulturam, varijs cæremonijs & ſuperſtitioſis plerumque vtitur. Sepulturæ eorum in ſyluis, & vbi agris tumulos aggeſtis lapidibus muniunt, ſignumque crucis ſuper imponunt. Loca pro ſepeliendis defunctis non conſecrant: aiunt enim corporibus Baptizatis Sacramentiſque Chriſti dicatis, & conſecratis, terram ipſam & non corpora terra conſecrari.

Mortuorũ cæremoniæ

Spiritvm quoque Sanctum à Patre tantum & non à Filio procedere confitentur, ac Romanos dicentes credo in Spiritum Sãctum, qui à Patre & Filio procedit, confundunt, eoſque conformes hæreſi Macedoniæ & Arianæ

dicunt:hac de cauſa quod duo principia duaſque voluntates de Spiritu Sancto & duas virtutes adducerent, & honori Spiritus Sancti detraherent. Hic autem Rutheni non intelligunt vnam eſſe Diuinitatis voluntatem, poteſtatem,gloriam,& honorem. Sicque ſecundum Concilium Nicænum,contra Arrium,& Conſtantinopolitanum contra Macedonium celebratum dicũt: Credo in Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, Dominum verum & viuificantem à Patre procedentem,qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & cõglorificatur.

* * * *

* * *

* *

*

DE

DE RVSSORVM RELIGIONE, RITIBVS NVPSIARVM, FVNERVM, Victu, Veſtitu, &c.

ET

DE TARTARORVM RELIGIONE AC MOribus vera & luculenta narratio.

AD

D. DAVIDEM CHYTRAEVM recens ſcripta.

Alia eiuſdem argumenti

DE RELIGIONE ET SACRIFICIIS veterum Boruſſorum

Ad CL. V. Georgium Sabinum olim miſſa.

IN epiſtola mea, XVII. Kal. Maij ad te miſſa, pollicitus ſum, de Ruſſorum religione & ritibus pauca me tibi perſcripturum. Accipe igitur erecta fronte quod mittimus, & hoc tibi perſuade, fieri poſſe vt verba quidem nõ ſatis Romana ſcribam. Res autem ipſas mẽdacij & vanitatis pœnitùs fore expertes. Nihil enim ex alijs auditũ, nihil ex aliorũ libris hauſtũ, nihilq́; incognitũ cõmemorabimus, ſed quidquid oculis vidimus noſtris, de illo cõteſtabimur.

Polocia deditione recuperata, Soccolia, Czuſſa, Turobla & alijs Albæ Ruſſiæ oppidis ferro & flamma funditus euerſis, Germani omnes, qui ſub Chriſtophoro Bomlſtorffio militabant, dimiſſi ſunt. ſolis Boruſſis, in Ruſſia manendum fuit, vt aliquo tamen præſidio iſtarũ terrarum incolæ defenderentur. ſi quam fortè eruptionem facere vicini vellent Moſchi.

Ego itaque media in barbarie hærens, amaras animi moleſtias iſta ferè ratione ſemper excuſſi: Flamines Rutenicos adij, cumq; illis per interpretem de fide & religione collocutus ſum. Si verò interrogantur, an in ſanctam Trinitatem credant, conſtantiſſimè quidem hoc ipſum adfirmant ſi teſtimonia ſacrarum literarum tibi dari petis, illi in libris ſuis quos p manus à maioribus acceperint, ita ſcriptum eſſe aiunt. porrò ſi LIBROS *iſtos videre quis auet Pſalterium Prophetæ & Regis Dauidis, quod ipſorum lingua apud Oſtorocenſes impreſſum Excel. tuæ mitto oſtendunt. Nouum præterea Teſtamentum. Apoſtolorum res geſtas. D. Pauli Epiſtolas omnes: Item Homilias Chryſoſtomi, Baſilij, Gregorij Nazianzeni ex Græco conuerſas & manu ſcriptas habent, cum precculis quibusdam ad beatam Dei genitricem & S. Nicolaum dicendis, neque tamen quare hos libros poſſideant ſcire poſſum, cum diebus Dominicis puras ſolummodo fabulas populo prælegant. Iſta enim feria quã nos legimus Euangelion de renato ex mortuis filio viduæ Nainicæ hoſpes meus, Conſul Deiſnenſis, Alexius Cæſarinus Rutenus in ſuo ſe templo hanc lectionem audiuiſſe dicebat: Chriſtum matri Mariæ obuiam factam ſupplicirer ab ea vnum rogaſſe numum. Matrem verò cùm & ipſa nihil haberet argenti filium Chriſtum cum dolore ſuo dimiſiſſe è conſpectu. Vides qualibus nugis decipiant miſeram plebeculam, ſed nec ipſi Doctores meliora ſciunt & ſi audiũt, cachinno quodam explodunt. ſoli namque ſuam admirantur barbariem.*

Religio Ruſſorum.

Doctrina.

Papæ Romani nomen ægrè in aures dimittunt ſuas,ſeq́; Græcorum ſocios in religione & Pontificis Bizantini maieſtatem venerari clamant, qui quidem ſuum Metropolitã in vrbe Moſcouia habet, virum apud Ioannem Baſilidem ſummæ auctoritatis & exiſtimationis quod ex Chriſtiano Boccornio, Magni Ducis concionatore, qui triennium in aula Moſchorum cum ſuo principe vixit intellexi. Archiepiſcopus.

Ruteni verò, qui Regis noſtri Imperio parent, Metropolitam ſuũ Vilnæ habẽt, cui nomen eſt Anicephoro Hunc magnifico & ſplẽdidiſſimo habitu indutum, ſenioq́; & cana barba venerabilem, 20. Iunij Vilnæ ſacra peragentem vidi.

Ruſſi delubra habent plerumq; lignea, tecto ſcandulari, in ſummitate templi ſignum Chriſti in crucem ſublati conſpicitur. Horologijs ſcioterícis planè deſtituuntur. Et tamen die Solis circiter quartam matutinam νεκζοθάπῆκ *eorum tintinnabulis pulſans populum ad ſacra vocat. Tùm verò matres atq; viri, pueri innuptæq́; puellæ lecto valedicentes veſtem ſumunt, & ad Eccleſiã ſumma cum feſtinatione properant.* Templa.

Verum enimuerò pedem domo non efferunt, niſi prius genium ſuum dictis precibus mitigauerint. Habent autem tabellam quiſq; ligneam, in qua capita aliquot depicta conſpiciuntur, ad hanc cum tota familia accedentes, cum gemitu & lacrimis S. Nicolaum, eiusq́; in cœlo commilitones pro ſalute domus ſuæ ſupplices deprecantur, atq; interim tanta cũ deuotione pectus tundunt, vt cuiuis aſtanti facilè cordolium excitent.

Iamq́; penatibus placatis ad Sacram ædem diſcedunt, cuius limina quamprimum tetigerunt, magna cum reuerẽtia caput telluri illidunt. Et ſanè ſi frons animi ianua rectè dicitur, non video quali ſub ſidere homines Dei numen religioſius adoraturi ſint, quàm hi de quibus loquimur, ſi modo pro vanis fabulis verbi cœ-

leſtis veritatem aliquando cognoſcant. Dolendum autem magnoperè eſt, lucem clariſsimam Euangelij illis nondum pœnitus illuxiſſe.

Locum templi ſecretiorem Flamines bini occupant hic ara ſancto Nicolao dedicata videtur cũ eiusdem imagine. Auditores & populus in ambitu templi ſeſe continet. Fœminæ verò quæ præterita nocte Veneri militârunt in penetralia ſancta ædis non veniunt, ne locum profanent. Cæteræ accedentes propius candelas cereas inflãmant & ſacrificulo offerunt. Ille candida veſte bombycina indutus eſt, caluitio & pallida facie deformis, Crucem ſanguinei coloris à tergo penſilem habens.

Tandem è Sacrario egreditur, & thurribulum dextra tenens, tàm forti odore Diabolus ex loco ſancto abigit. Mox rituales libros Conciones *promit, & aliquam fabellam de S. Nicolao recitat, quem illi tanquam Deum tutelarem ſemper colunt Euangelij lectionem vnam nunquam hic audiui. Intereà adytum clauditur. Sacerdos ſi inter legendum aut erret, aut lingua titubet, aut vocem aliquam depreſsius enunciet, grauiſsimè propterea ab auditoribus obiurgatur qui eum & ſacro loco indignum, & libros alij tradendos vnanimi voce proclamant.*

Lectione finita ad anticum ſacrarij in quo imago Nicolai aſseruatur, ſeſe conuertit, Deúmque patrium multis ſuſpirijs rogat, vt commoda Ruſsorum & gentem ſibi deditam contra hoſtes incolumen ſeruare dignetur. Orantem lamentabili vociferatione & quiritatu excipiunt non tantùm ſcholaſtici, ſed omnes quotquot iſto videntur in fano: ſubindè iterantes hanc vocem: Hoſpody pomyloy, hoc eſt propitiare nobis ô Domine. Dum hæc aguntur, anticum ſacrarij non aperitur.

Miſſa. *Myſta autem per pſeudothyrum in illud ingreditur daduchis tribus præcedentibus. Cũ in aditum ventum eſt ſacram Cœnam*

verbis

verbis ab ipſo Chriſto expreſſis conſecrat. ſed lingua tantùm patria. atquæ hæc fiunt in ara Nicolao ſacrata.

Mox fores patent. Populus verò quia certum numen in iſto loco habitare exiſtimat, egredienti Sacrifico magno eiulatu occurrit, ſexcenties hanc vocem decãtans, Hoſpody Pomyloy. *Hunc clamorem & cymbalorum tinnitus mirum in modum auget.*

Vt verò in toto iam facta ſilentia templo, Sacerdos pedetentim procedens, arcana ſacra toti populi commonſtrat, calicemq́ plumbeum, cum operculo ſerico in dextra, & ſcutellam ex eodem metallo in ſiniſtra tenens, dum ingenua procidunt auditores, ille lingua Rutenica hæc verba proloquitur: Hoc eſt Corpus, & hic eſt ſanguis Domini Ieſu Chriſti, quem Iudæi innocentem morte mulctarunt. Tum denuò inter gemitus & ſuſpiria muliebriter lamentantur, & tundunt pectora palmis.

Flamen illicò in ſacrarium regreſſus, in ara Nicolai ſacramentum deponit, donec veniant qui eo vtantur, quod interdum fit ſequenti die. Calicem, ſi vinum non habent, ex calido Medone conſecrant. Panem verò azymum domi ſuæ pinſunt ciues & deindè quoties cæleſte illud conuiuiũ accedere gaudent, ſacerdoti offerunt vt conſecret, & cum calice diſtribuat.

Peractis ſacris, libro ad manum reſumto Pſalmum vnum vel plures demurmurat ſacrificulus, crucémque ex argento puro factam omnibus exhibet oſculandam. poſteà ſuam quiſq́ domũ diſcedunt, & admodum rari ad veſpertinas preces reuertuntur.

Polociæ autem & Vilnæ, maiori pompa & ſplendore rebus diuinis vacant. Vbi ſupellectilem ex auro & argento copioſam habent in Eccleſiis. Vilnæ triginta templa habent, omnia ferè opere lateritio ſtructa.

Statuas nullas in templis venerantur, ſed D. Nicolai & Mariæ virginis imaginibus ſcrupos quoſdam argenteos, Coralia, &

Statuæ nullæ, ſed Imagines pictæ

aliàs exuuias dono dederunt. Has quoq; picturas, tanq̃ numinis alquid habentes religioſè colunt & quotannis in Duna fluuio bis abluunt, atque tandem magna cum pompa priſtinum reducunt ad locum.

Baptiſmus *Præterea myſticæ ablutionis ſacramentum in ſuo cœtu retinent, ita tamen vt in hoc negocio per omnia fere quam proximè ad Romanenſes accedant, Multùm hic perditur olei, operæ & vnguenti. Poſt longas tãdem ceremonias Flamen toto congio perfundere ſolet infantem, ita inquiens: Baptizo te per nomen Patris, & Filij, & Sãcti ſpiritus. A patrinis deindè more patrio vrnis aliquot tenellus puſio humectatur: Et licet hic aſpera hiems crudeliſſimè ſæuiat, tamen tãta gelidarum copia aquarum ſuã ſobolem abluunt. Si quis cauſſam quærit, reſpondent illi, à teneris aſſueſcere multum eſt. Poſtremò Flamen infantulum iterum comprahenſum blandè exoſculatur, illiusq; caput ad crucem, quæ templi foribus inciſa eſt magno impetu ter vibrat, & niſi teſtes baptiſmi ictus audiant, indignantur propterea, neque puerum rectè ſacris initiatum credunt. Sacro finito Flamini tres panes (quos à forma pyramidali Piracno vocant) porriguntur cum numis aliquot argenteis, templúmque clauditur.*

Sacerdotes *Sacerdotes Rutenici proprias vxores habent, & ſunt coniuges. Si quis dicit à Papa matrimonium clericorum improbari, excandeſcunt vti rapidis cùm ferrea flammis lamina Cyclopum excoquitur flagrante camino. Reditus certos & certa ſtipendia non accipiunt, & tamen auditorum beneficentia liberaliter aluntur. Cucullos prorſus ignorant. Cærulei coloris tunicam plerumq; duplicem habent, capillis ad humeros & pectus dependentibus apprimè gaudent: & quo quiſque eſt nigrior, & adſpectu inamabilior, tantò maiori apud populum eſt in dignatione. Raſo prætereà vertice & immiſſa barba grauitatem præ ſe ferunt ſingularem. Vitæ*

alioqui adeò impuræ & execrabilis, vt non delubris Deorum, ſed piſtrinis molitorum dignos adfirmare poſsis. Si quoties enorme aliquod flagitium perpetrarunt, ad populum ſe ſatis arroganter excuſant, ſeq́ Deorum fratres & vicarios eſſe aiunt, ita quidem, vt quidquid egerint, id cœli Quiritibus gratum exſtitiſſe minimè dubitent. In tabernis publicis vinum aduſtum totos dies potant. Cumq́ iam nec mens nec pedes officium faciunt, ſæpe velut emortui in medijs plateis concidunt & obdormiſcunt. Germani certè milites non ſemel iacentes perminxerunt. Poſterò die cùm ad peragenda ſacra in templũ redeunt, non aliter coluntur à populo & amantur, quàm ſi nuper ex concilio immortalium Deorum miſsi veniſsent legati.

Scholas ſemper templis adiunctas habent, in illis triginta annorum iuuenis prima literarum rudimenta pueritiam docet. Literæ ipſorum alphabeticæ veteribus Græcis quam ſimillimæ ſunt. Catecheſi nulla vtuntur: ſed preculas ad beatam Virginem & D. Nicolaum in libris deſcriptas pueris proponunt. Symbolum tamen Apoſtolorum verbis quibusdam immutatis addiſcunt. huic adduntur Hymni Dauidis, quos illi nocturna verſantque manu, verſantq́ diurna. Pueri annorum trium & quatuor ſi fortè inualetudine aliqua corripiuntur, ſtatim Flamen aduolat & ſacramentum ſub vtraque ſpecie illis etiam diſtribuit. Tùm verò iuſſu ſacerdotis ſeriò prouidendum eſt parentibus ne iſte puer, ſacra qui vſus eſt cœna, toto biduo oris excrementa in terram exſpuat. Scholæ.

Ferijs eſurialibus plebes miſerè obnoxia eſt. Cumque totus iam prætcrijt annus vix paucis diebus illis carnes comedere licuit.

Matrimonij cõtrahẽdi ratio talis eſt. Iuuenis ſi cui fauet puellæ propinquos treis quatuorúe ablegat, qui parentes de elocanda virgine interpellent. hi verò vt vehementius animum proci irritent,

nihil iſto de negotio confieri poſſe adfirmant & quandam apud internuncios ſimulant grauitatem. Sponſus tali ſpe fruſtratus aliâ rem via aggreditur, tempusq́; & occaſionem venandæ virginis diligentiſſimè obſeruat. Illa verò ſi fortè domo paterna egreditur miniſtri in inſidÿs collocati incautam & nihil tale timentem in caſſes ſponſi venatoris conÿciunt: quæ ſimul atque deflorata fuerit, mittuntur alÿ ad parentes legati, qui partim culpam deprecentur partim amoris vehementiam accuſent. Tū demum parentum impetrato conſenſu nuptÿs dies dicitur. neque enim illis cohabitare licet niſi ſolēnitate publica copulentur. Igitur circa horam noctis vndecimam, ſponſi cum fidibus, facibus & fiſtulis ad delubrum deducuntur. Ante illorum aduentum, aliquot vaſcula, ſicerà, melicrato & cereuiſia plena huc aduecta ſunt. Conuiuæ itaque vtriusque ſexus ſaltando, ludendo, clamando & ridendo bonam noctis obſcuræ partem conſumunt. Intereà mittuntur certi homines, qui Flaminem accerſant, hi plerunq́; re infecta ſemel atq́; iterum diſcedunt, idque fit propter temulentiam deplorati ſacrificuli, qui vino & ſomno ſepultus iacet. Vulgus interim ducendis choreis occupatur. Poſteà moræ & abſentiæ impatiētes illi qui ſponſum adfinitate attingunt, Flaminis poti donū effringunt, & vi abreptum ad peragenda ſacra eundem pertrahunt. Ille dum ſolito vult fungi officio, nec tamen rectis pedibus conſiſtere poteſt, ſæpe concidit in medio templo. Exoritur igitur damnabilis riſus & barbaries, vt vix opiner, ethnicos Veneris Sacra ſcurrilius peregiſſe. Accurrunt illicò qui lurconem teneant, ne collabatur. Tùm primò panes ſibi debitos adferri iubet.

Nuptiarum ritus.

Deinde libro aperto ſtentorea voce aliquem Hymnum Dauidicum cantat. Poſteà intortam ſponſi cæſariem manu comprahendens in hanc ſententiam eundem affatur. Dic mihi ô ſponſe, ô frater, ô amice, numquid tu huic teneræ vir eſſe potes? numquid

eam

eam fuſtibus aliquando mulctabis? numquid ægrotam ſcabioſam & decrepitam derelinques? Hic ſanctè iurat ſponſus ſe facturum viri boni officium. Ad ſponſam igitur ſermonem conuertens, eam quoq; interrogat. An viro ferendo ſufficiat? (nam puellæ decem & vndecim annorum hic nubunt) an rei familiaris curam agere? an cæco, curuo & decrepito marito fida velit eſſe comes? adſirmat illa. Mox Flamen ſerto ligneo viridi vtriuſq; caput coronat. In circumferentia coronarum deſcripta ſunt Ruthenicè hæc verba: Creſcite & mutiplicamini. Ille dum hæc agit, inflammantur ab omnibus cereæ candelæ, & patera medone ſpumans ſacrifico traditur, eam nouis ſponſis vno propinat hauſtu, illi ſimili alacritate euacuant, & viro religioſo reddunt. Abiecto iam ligneo caſsiculo & pedibus contrito, nouas inſtituunt choreas, hic Flamen choragus eſt, cæteri longo ordine eundem inſequuntur. Fœminæ etiam lupulum in templo ſpargunt, & linum, cum tali acclamatione: Dij noſtri tutelares faciant, ne noui coniuges vllo vnquam deſtituantur bono. Sic tandem tumultuum finis eſt. Sacrificulus domum reducitur: conuiuæ ſponſos comitantur, & in tali conuentione egregiè potant, & mœchantur. Viri autem qui ex coniuge fato functa maſculam ſobolem ſuſceperunt, perſæpe impuberi filio ſponſam quærunt, cum qua tamen illi dormiunt & liberos procreant. Nato deinde ex ephebis egreſſo nouam nuptam à ſe conſtupratam & ſobolem vnà adducit pater, ita inquiens. Vides fili tuam coniugem & tuos liberos? Patris ſcortum, ſi filio placet, accipit illud, ſin ſecus, prædam aſpernatur & de alia ducenda cogitat.

Iam de Sepultura mortuorum quædam annotabimus. Homines rebus humanis exemptos in menſam nudos deponunt, & calidis vndis per integram horam abluunt, idq; tantùm faciunt noctu. Sordibus ita abſterſis, in ſella mediæ domus conſtituunt eoſdem, propterea nimirùm, vt patremfamilias etiam mortuum ve- Funerum ritus.

nerentur, & metuant quotquot iſta degunt inhabitatione. Vidi ſemel atq; iterũ, ſed obſtupui, ſteterũtq; comæ, & vox faucibus hæſit. Funus tandem tertio die effertur, præcedunt in ordine ſcholaſtici, hi lamentabile carmen ingeminant, cuius ſenſus eſt. Aſpicite ô ciues hoc cadauer & vobis cauete. Nam nos omnes ſic ibimus, ibitis, ibunt. Sandapilarios tres inſequuntur Flamines, medius thurribulo circum circà fumat. Exiſtimãt enim hunc odorem malis genijs ità contrarium eſſe ut perinde eum fugiant, ac ſanctæ crucis ſignum. Cum iàm ventum eſt ad ſepulturæ locum, Orciniana iſta ſponda deponitur. Fœminæ verò, quæ vt flerent oculos erudiêre ſuos, magna cum lamentatione ad vrnam feralem, quæ hic aperitur accurrunt, & cadaueri oſcula figunt, ità interogantes. Cur noſtro abijſti è conſpectu ô cariſſime? numquid cibi & potus inopia te occidit? numquid infelicis coniugij capiſtro caput ſubtrahere voluiſti? Fatere nobis, quæ te res mouere potuit, vt nõ tantùm ſuauiſſimam thalami cõſortem, & liberos dulciſſimos tuos deſereres, ſed etiam delitijs pulcerrimi huius mundi, tuis præstereà fortunis & familiaribus omnibus abrenuntiares? Sed hic verum eſt illud. Surdo narratur fabula. Accedens igitur ſacrificus, plorantes fœminas arcet à feretro, Deoq; maniũ imperat, vt ne vlla re mortuum impediat hominem, ſed liberè eum abire permittat ad locum iſtum beatarum mentium, ad quem maiores ipſius iam olim præceſſerint. vtq; expeditus, tàm longum nec ſatis tutum iter conficere poſſit, quidquid in omni vita precioſæ ſuppellectilis habuit, illud in vrnam feralem inſerũt, iamq; antea domi ſuæ recentibus ocreis & veſte noua abeuntem herum induerũt. Mortuo etiam ceruical ſubſternunt, ſicca terra refertum. Cumq; iam ferale murmur Flamines abſoluerunt, defuncti coniunx iterum accurrens cum eiulatu & clamore maritum ad vitam reuocat. Huius gemitum ipſi ſacrifici cũ cantoribus excipiunt, & ſeſquihoram vociferando

perdunt

perdunt, adfertur deinde & argentea crux, eam capulo ſuperimponunt, & demortuum monent, vt ne ſuam patriam in conſuetudine cœleſtium animorum obliuiſcatur, ſed pro ea apud cœlites aſſiduè deprecetur. Rogant etiam vt ante omnes D. Nicolaum ſibi conciliet, hunc namq; Deum eſſe tutelarem omnium Roſſorum. Tandem cadauer in foſſam demittitur, Flamen verò ſicci pulueris tantùm vrnæ ſuperinijcit, quantùm manu tenere poteſt. Cæteri deinde mortuum ſepeliunt. Atq; ita piacularia ſacra ſuum ſortiuntur finem.

Eodem die cœnam ſatis opipare & apparatè inſtruunt ad hanc Chriſtiani(ità mendicos appellant) vocantur, vt nimirum tanquam ocioſi pro mortuo Deos inclament. Flamines item & omnes conſanguinitate propinquos inuitant. Cumq; & mihi hunc haberent honorem lubenter ecaſtor eos adij, ea potiſſimum de cauſſa, vt mores eorum rectius contemplari & obſeruare poſſem. *Conniuia Funebria.*

Hoſpites oſculo blandiſſimè excipiunt, & quemq;, vt dignior, eſt ad menſam collocant. Sed hic tibi illud ad mentem reuoces velim, Roſſos omnes S. Nicolaum tanquam Deum adorare, eiusque imaginem in domibus omnium videri. Accumbentibus conniuis ardentem ſtatim adferunt candelam eamq; Nicolao conſecrant, deprecantes ſedulò pro ſalute & beatitudine amici demortui. Poſteà in ſcutella argentea triticum cum ſuperinfuſo melicrato apponunt.

Singuli ligulā ſumentes, manibus defuncti rerū abundantiam, & nepotibus ſupellectilem copioſam vno optant ore. Mox calix vino aduſto plenus obambulat, & hūc liquorē non aliter potant, q̄ vaccæ algentes vndas, vt in prouerbio dicitur. Neq; tamen hoc ipſorum factū certa ratione caret. Vix enim illos ob ciborum cruditatem viuere poſſe arbitror, ſi tàm forti potu ſtomachi frigiditatem non propulſarent. Ferculis demum appoſitis ſenior inter Fla-

mines iterum pinguia thura adolet, & lemures eÿcit foràs poſteà ſcripto Crucis ſigno cibo benedicit. Peregrinis hominibus Elephantem honoris gratia præbibunt, illoſq́; ſi alicuius ſunt dignationis & præeminentiæ, muneribus adſiciunt liberaliter. Dumq; omnes pro ſalute ſui Regis, pro beatitudine amici mortui, pro felicitate adfinium & cognatorum. plenis cantharis bibunt: fit ferè, vt vix duo vel tres iſtis ab exequÿs ſobrÿ domum diſcedant. Eleëmoſynas illi qui lautioris fortunæ ſunt, die Veneris diſtribuũt, ſed exiguam tantùm gregarÿ panis particulam.

Aliæ ſuperſtitiones. *Porrò de vanis ſuperſtitionibus, quibus hæ gentes deditæ ſunt, quid attinet dicere? Multi ſerpentes in domibus familiares habent & alunt.*

Dæmonem quoq; meridianum metuunt & colunt. Ille enim cum iam maturæ reſecantur fruges, habitu viduæ lugentis rure obambulat, operarÿſq; vni vel pluribus, niſi protinus viſo ſpectro in terram proni concidant, brachia frangit & crura. neq; tamen contra hanc quoq; plagam remedio deſtituuntur. Habent enim in vicina ſylua arbores religione patrũ cultas, harum cortice vulneri ſuper impoſito, illud non tantùm ſanant facilè, ſed & dolorem loripedi eximunt.

Luem caſtrenſem, quam noſtri milites huc aduexerant, tali modo eos propulſare vidi. Funem accipiunt, cumq́; per foramen ſcamni in domo vetuſtioris tantiſper trahunt & retrahunt, donec ignis ſcintillam ex arido aſſere eliceant: flamma conſpecta, cereum in delubro vndis luſtralibus perfuſum accendunt. Omnes deinde qui ex hac fauilla prunas vel torrem domi conſeruant, tutos fore credunt à peſtifera contagione, & fit nonnunquam, vt euentus fidei reſpondeat.

Doloribus dorſi talem adhibent medicinam. Pueros illegitimos, quorum hic ingens eſt numerus, certo ære conducunt: illorumq́;

runq́; tergum pedibus ſexcenties premunt & conculcant. Hoc medicamentum anodynum maioribus profuiſſe aſſerunt.

Magiſtratum de voluntate Regis accipiunt. Oppidis Staroſta, hoc eſt, Capitanei imperant, hi pro ſuo arbitrio leges figunt, & in plebeculam ſecuri dominantur. Cauſſæ criminales ad iudicia rarò deferuntur. Qui ſe conuicia dixiſſe negat, abſoluitur. Nam Palinodiam pro pœna irrogata reputant. Iuris Romani ſcrupuloſa volumina, Bartolos & Baldos fruſtrà euolueris, ſi hic eſſe voles. Statutis enim, id eſt, legibus ſcriptis vtuntur. In illis & hoc ſancitum eſt: Homicidam, niſi in ipſo facto deprehenſus ſit, quinq; florenis vitam redimere poſſe. Homini autem qui alterius canem cæciderit, mulctam decem [illegible] *irrogandam eſſe. Fuſtuarij pœna ipſis inter præcipua tormenta eſt. Nobiles enim, ſuos agricolas. Heri mancipia ſua ſi quando peccarunt, horrendum in modum fuſtibus dolant. Qui verò grauius deliquerunt, virgis ferreis lacerantur.* Leges & iudicia.

Gens eſt natura ad arma propenſior. Macharis, frameis, & falcatis enſibus pugnant: perſæpe etiam claua lignea, quam ſemper ad manum habent. Si rus abeūt, Coſtram in dextra tenent, arcum autem Tartaricum cum pharetra & arundinibus venenatis lateri alligant.

In commeſſationibus non tantum rubri charthacea ſymbola Regis lubenter tractant, ſed & ludo teſſerario gaudent. Summa autem ſolertia prælia latronum ludunt. Vt gemini inter ſe Reges albusq́; nigerq́; pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis. In hac profectò arte ità excellunt, ut haud ſciam an vlla gens cum illis comparari debeat. Ludi.

Cum pax eſt, ferarum pelles ex Moſchouia in Poloniam & Liuoniam venales aſportant. Mel, ceram, & corium magna copia peregrinis vendunt. Cæteri venando & latrocinia exercendo vi- Merces.

Ferarum venatio. *ctum quæritant. Vndiq; enim denſiſſimis & inuijs nemoribus ſepti ſunt. Lupos, Lynces, & Martes ſæpe intrà ipſa oppidorũ mœnia venantur Martes quidem in ſummitatibus arborum plerumq; manent, & mel ab apibus congeſtum auidiſſime lingunt. Ruſtici igitur canes alunt veſtigatores, odoratu produnt animal inter arborum frondes abſconditum. Tum venator magno ictu arborem percutiens Martẽ de ſummo vertice deijcit: quem illicò* ἰχνευτὴς *ille dentium morſu necat* κάστορες *quoq; in locis paludoſis habitãtes ſimili ratione decipiunt. Hoc animal, quia in extremis amnium oris commoratur, non capitur, niſi Nouembri & Decembri menſibus, cũ terra duriſſimo frigore riget. Fluuio igitur glacie conſtricto aduolat ruſticus cum cane odoriſequo.* κάστωρ *aduenientis animum minimè ignorans effoſſos in ripa cuniculos deſerit, & ſub glacie in algentibus vndis natat. Canis autem naribus locum ſuprà caput natantis exactè prodit. Seqitur igitur venator, qui iam ante à glacie perfoſſa ad fauces fluminis rete de lino triplici factum diſpoſuit. Ad hoc cùm iam deuenit Caſtor, perrupturum ſe ſperans, occiditur fuſtibus, & extrahitur. Pellis eius apud hos populos ſummo eſt in pretio Hanc quoque venationem impunè nunquam vidi: nam penè cœli intemperies me occidit.* *Caſtores.*

Moribus Roſſi erga hoſpites ſunt tolerabilibus: niſi fortè eorum trullas ames. Nam inter pocula homines eſſe deſinunt.

Veſtium. *Viri & fœminæ, ſi à fortunæ bonis firmiores ſunt, eodẽ ferè habitu veſtiuntur. Tunicam talarem varij coloris ex panno Britannico habent: limbis veſtium tænias ſericas, & globulos deauratos intertexunt: vterque ocreis calceatus. Fœminæ vittis & mitra caput tegũt, viri cudone pileoúe coloris diuerſiſſimi. Ruſticorum filiæ ex capitibus ſerpentum torquem collo circumdant. Vulgus autem ex pellibus ferinis tunicas, ex cortice arborum calceos parat: Et tot hic ſunt ſutores quot ruſtici.*

Na-

Natura profectò ſub aſpero cœlo homines etiam elegantes producit. Corpora plerunq; ſolida habent & ſucci plena. Neq; adeò informis eſt ſexus muliebris. ſi quis formarum velit eſſe ſpectator. Omnem autem decorem ſuum vnico potandi vitio mulieres obfuſcant. In hac enim re ſi maritos non vincunt, certè non ſunt illis inferiores. Forma corporum.

Muſicæ ſubtilioris ignari ſunt. Panduras nulla arte tractant & tantùm tibias vtriculares in delitijs habent. In nuptijs & alijs ſolennitatibus perſæpe ad manuum compoſarũ fragorem choreas ducunt. Muſica.

Libros latinos & grecos nunquam viderunt, & tamen de Religione Græcorum multa gloriantur. Ego cùm ſemel nouum inſtrumentum Tiguri græcè impreſſum mecum haberem, rogaremq; Flamines vt aliquam periodũ legerent, illi hoc ſeſe facturos pernegabant: ſancte adſirmantes, eiuſmodi typos nunquam ſibi ante viſos eſſe. Libri.

Menſæ elegantiã non magnoperè curant, ſed crudos cibos Deos AEgyptiorum. porrum & cæpe auidiſſimè ingurgitant. Ditiores vinum & medonem vulgus Quaſtum, hoc eſt, aquam bibit admixto ſale vulgari. & pane mucido ſquaroſoq; veſcitur. Victus.

Domus Rutenicæ ligneæ ſunt, & quidẽ malè materiatæ. Ità tamen deſipiunt, vt exiſtiment parietem cratitium lateritio præferendum eſſe. Cæmenti apud eos nullus ferè vſus eſt. Polociæ tantùm tria templa ſunt, opere lateritio exſtructa. Ex his tertium more Italico pulcerrimè expolitum nunc ibidem conſpicitur. Cætera Moſchorum Dux Ioannes Baſilides deuaſtauit, cũ ante annos octodecim Polotiam deditione in ſuam accepit poteſtatem. AEdificia.

Pacis tẽpore opimos accipiunt ex agris prouentus: nec vllis ferè frugibus hominũ vtilitati ſeruiẽtibus carent. Aues omnis generis perdices puta, phaſianos, attagenes erythrotaones ſumma ſcler- Victus.

tia per inſidias capiunt, & leui ære diuendunt. Piſcium lautiſſimorum admirabilem copiam perennia illis ſupeditant flumina, Boryſthenes, Duna, DriſnaDriſſa, Polotta ex quibus innumeri lacus & ἰχθυοζοφεῖα ſeſe effundunt. Ex coсto ſale Iberico cibos codiunt.

Moneta. *Metallum quidem patrio in ſolo non effodiunt, & tamen auri obryzi ſignatiq́; argenti maximo deſiderio tenentur, atque hoc vitium cum cæteris mortalibus commune habent. Nūmos eorum argenteos ouali forma procuſos ad tuam Excell. mitto: ij vno in latere Cataphracto ſignantur: in altero deſcripta ſunt Ruthenicè hæc verba:* κῆς βελῖκι ιβάμ *hoc eſt, princeps magnus Ioannes.*

Hæc ferè ea ſunt, Dauid Chrytrae, quæ in Orientaliori Ruſſia obſeruatione digna putaui, quæ quidem, vt tuæ cupiditati ſatisfacerem, libenter in has paginas conieci. Nec tamen omnia attigi, ſed tantùm ſumma ſequutus ſum faſtigia rerum Apes vt tenero ſtudens liquori libat ſumma thimi aut crocon rubentem.

Armenij. *De Armenijs quoque antea ad te perſcripſi, neque dubito literas tibi redditas eſſe. Hos frequentes habitare Leopoli, atque ibidem pulcerrima templa habere. Tidemānus Giſius, 7. Iunij Caunæ mihi dixit. Ego quidem ſi aliquando officij ratione hoc ipſum licebit, Leopolim excurram, & vicinam Armeniam perluſtrabo, fuſiusq́; deinde omnia literis tractabo.*

Tartari. *Reſtat nunc vt de Tartaris perpauca ſubijciamus. Cùm verò epiſtolam ad te ſcribere decreuerim, non eſt quod hiſtoriam expectes. Nolim namque* γλαῦκας εἰς ἀθήνας: *Tartarorum quidem copias minimè contemnendas regijs in caſtris perſæpe vidi, atque hi ex Pracopienſium Horda aduenerunt, ex qua nunc quoque militem conſcripſit Stephanus victor. Cæteri Polonis notiores ſunt Tauricenſes, Aſturcenſes, Naianenſes, Rezthorenſes, & Circaſſi. Principem Hordæ ſua lingua Czar, hoc eſt, Imperatorem appellant. Nobiles autem, quibus res mediocriter ſunt ſecūdæ, Cneſi,*

id eſt

id eſt, Principes vocantur. Tantus nimirum barbaræ gentis faſtus eſt, vt etiam titulos & magna miſeri aucupentur nomina. Religio eorum ſine dubio diuerſiſsima eſt.

Ego illorum ritus, qui Regis noſtri ſceptrum agnoſcunt, breuiter attingam. Bellici ſanè tumultus eos à numinis cultu non auocant. Nam Veneris die, cùm vix ſol ipſe nitentes ſpargere iam cœpit radios, in medio camporum æquore frequentes conuolant. Hîc Papa nudo vertice & pedibus complicatis humi ſedens, ſchedulam ſiniſtra in manu tenet, in hanc deſcripta ex Alcorano paradoxa aliquot congeſsit, quæ voce clara ad circũſtantes recitat illi ſi quando nomen Dei & Mahometis audiunt, gemitu & capitis inflexione reuerentiam ſuam declarant. Lectione finita, in ſtationem quiſque ſuam reuertuntur. Cæteri tamen, qui pacem bello, œconomiam militiæ præferunt, alijs quoq; ceremonijs occupantur. Hi vno à Vilna miliari, ad fluminis Veliæ ripas, guguſtia aliquot & pagum amœniſsimo loco ſitum habent. Huc ego XII. Kal. Iul. cum Ioanne Gamrato Stralſundino, mercatore & ciue Vilnẽſi exſpaciatus, delubrum eorum intraui. In illo certè, nec alicuius Diui, nec atri Dæmonis ſimulacrum vllum videtur. Nudi vbiq; parietes. Area tamen pictis tapetis inſtrata eſt. Die Veneri dicata ſemper ad ſacra conueniunt, ea, vti opinor, de cauſa, vt ſignificent neq; Iudæorum ſuperſtitiones, neq; Chriſtianorum nomen & religionem ſibi probari. Delubrum nulli niſi diſcalceato ingredi licet. Campanarum boatum minimè tolerant. Papa autem exorto ſole, in ſummitate templi exedræ inſiſtens, ſtentorea voce populũ ad cõciones vocat. Cumq; iam frequentes adſunt, ſumto ad manum Alcorano quem Arabicis literis ſcriptum mihi monſtrarunt, numinis colendi rationem illis exponit. Poſteà de apotheoſi Mahometis, deq; illius maieſtate & præcellentia carmen agreſte decantant, & tunc Comitiorum finis eſt. Si Alcoranum, vel alium quemuis

Religio Tartarorum.

librum typis editum hic videre licuiſſet cũ certè, magno vel pretio comparatum, ad te miſiſſem. In tanto autem librorum defectu nihil ſe vendere poſſe dicebant. De Deo Ieſu Chriſto & Spiritu Sancto fruſtrà eos interrogabis. Veram enim pietatem ita curant, vt numerum lupus aut torentia flumina ripas. Non ſemel igitur admiratus ſum cùm inter Chriſtianos habitent, cur adeò duri ſint & Chriſtianã religionem aſpernentur, & video ſine Ieſuitararum nugas, qui de conuertendis ad Romanam Eccleſiam gentibus multa & grandia fabulantur. Cùm nequaquam hos, qui vicinis in parietibus commorantur, à vana ſuperſtitione abducere poſſint. neq; tamen & hoc negare auſim eſſe in Scythia homines Ieſu nomen adorantes, cùm dictum ſit per Dauidem de voce Euangelij per Apoſtolos in gentes ſpargenda in omnem terram exiuit amuſſis eorum, & in finem orbis oratio eorum. Porrò non fugit excellentiam tuam dogma Mahometarum magna ex parte Iudæorum ſuperſtitionibus & ſomnijs eſſe refertum. Tartari igitur Circumciſionem quoq; retinent, ſed diuerſa ab Hebræis ratione. Secundo enim & tertio annis à natiuitate, prout Papæ viſum eſt, circumciduntur.

Lingua eorum à Polono idiomate tàm longè abeſt, vt in Scythiam: illi in Sarmatiam commigrantes, ranæ Seriphiæ non iniuria dici queant. Qui tamen in Polonia, & Lithuania, & vtraq; Ruſsia longè lateq; diſperſi ſunt, plerumq; hominum, quibuſcum degunt, linguam addiſcunt & callent.

Præterea illorum Papa hoc mihi in ſermone dixit: In multis ſuæ gentis regionibus, ſolem, ignem, malos item genios, tanquam Deos coli. Moribus feri ſunt, & duri laboris patientiſsimi: nec etiam vna vxore contenti. Nam plurimas ducunt, quarum penè miranda domi eſt concordia. Sed prior cæteris gratior habetur & acceptabilior.

Mortuos

Mortuos hic non cremant, ſed defodiunt. Sponſos etiam fato functos addita dote & rebus Oeconomiæ neceſſarijs: matrimonio iungūt, ridiculis mehercle ceremonijs, quos alio in orbe & reuicturos, & vnà ſemp futuros autumāt. De animabus demortuorū ità ſentiunt, eas videlicet ex vno corpore in aliud tātiſper demigrare, donec præcellentē aliq̄ & diu quæſitam inueniant habitationē, atq; hinc magna iſta mūdi lumina Cæſares & uiros princip. enatos eſſe.

Victus illorum miſerrimus & Cyclopicus: Nam prandentes aliquoties cum horore aſpexi. Carnes certè equinas ac ſemicoctas auidiſsimè deuorant. nullus illis menſarum & ſediliorum eſt vſus. Cutes equorum iam tùm fumantes, & recens beſtiæ detractas pro ſcamnis conſeſſuri conſternunt. Lac equarum tanquam vinum Cretenſe admirantur & epotant. Hi bellis, acynacibus, arcu & ſagittis pugnāt, bellatorum præſtantia equorum omnibus facilè anteponendi.

Præcopienſium legatus XIX. Iunij Vilnam adueniens Regi Euangelion adſerebat, de re à ſuis contra Moſcos animosè & fortiter geſta. Quod videlicet non tantùm maximas hoſtis prouincias ferrò flammaq; feliciter peruagati ſint: ſed & ad ipſa Metropolis Moſchouiæ mœnia penetrarint. Horum ſtudium voce ſua Rex collaudans, magnam ſe ipſis aliquando gratiam habiturum dicebat, ſi deinceps quoq; magnanimo conatu in aduerſam gentem arma & bellum inferant.

Iam de rebus Polonicis quales eæ nunc ſunt, ſcribendum aliquid erit. Quia nihil enim abs te literarū tribus penè mēſibus accepi, meas epiſtolas, quas Maio & Iulio exaraui, intercidiſſe video. Rex Stephanus victor, 29. Aprilis ex Comitijs Warſauienſibus Vilnam reuerſus eſt. VIII. autem Kal. Iun. Bogdanus Bielſcius, Moſchus nobiliſsimus, à ſuo principe profugus ad regem venit Vilnam qui non tantùm humaniſſimè nouū & inſperatum hoſpitem

excepit, ſed & muneribus adfecit liberaliter. Sunt homines qui ominis loco illius aduentum excipiant, & fore confidãt, vt ex ſolius conſilio Rex plurimis in rebus adiuuetur.

Sequenti die, qui erat 26. Maij, Legatos Moſchicos aduentare vidimus, comitatum habentes ſatis ſplendidum. Cum illis aliquot diebus de pace tractatum eſt effectum verò nihil. Cõditiones à Rege propoſitæ tales ſunt: Moſchus Liuoniam tradat. Impedimenta bellica & commeatum in arcibus deditis relinquat. Sumptus etiã duabus expeditionibus factos perſoluat. Pacẽ perpetuam ſantiat. Danorum & Suecorum Reges hoc fœdere comprehendantur. Captiui λύτρῳ vel permutatione redimantur. Ipſe Princeps in finibus vtriuſq; regni ad colloquium ſe ſiſtat. Internuncij cùm dicerent nihil horũ ſuis in mandatis annotatum eſſe, interceſſione Procerum, decem dierum ſpacium impetrarunt, vt intereà per veredarium Principis ſui mentem explorarent. Ille quia die dicto reuerſus non eſt, Rex quidem Legatos dimiſit.

Ipſe verò 19. Iunij, equum in gyros tortum cõſcendens, Vilna egreſſus eſt circiter decimã diei horam, cælo ità ſereno & tàm fauſtis hominum acclamationibus, vt dubitare nemo poſſit, hunc Principem diuinitùs Polonorum gẽti datum, ex hydra iſta Lernæa feliciter debellata, famã reportaturum eſſe immortalem. Equitabant in agmine variarum gentium Proceres, inter quos non poſtremus erat legatus pontificius Ioannes Andreas Caligarius, Epiſcopus Brittonorienſis, qui pro confirmatiõe Regni pecuniam Papæ debitam depoſcens, indulgentias ſimul & peccatorum remiſſionem largiſſimam attulit. Proximum ab illo locum tenebat generoſus vir, Leuinus Bulouius, ab illuſtriſſimo Marchione Brandeburgenſi & Boruſſorum Duce in legatione huc miſſus, Qui poſtea Caunam reuerſus, cum ad prandium me inuitaſſet, amanter hoc à me petijt, vt ſuo nomine ſalutem tibi plurimam adſcriberem

addens & illud: In Boruſſiam quidem te hoc tempore non venturum, id quod ego ſummo cum dolore audiui: Statueram enim ſalutandi gratia Regiomontem ad te excurrere.

Tidemannus quoq; Giſius, I. V. D. & Regis intimus Secretarius, homo omnium hominum humaniſsimus, & optimis literis egregiè excultus. 21. Iunij, Hiſtoriam Auguſtanæ Confeſsionis tuam ab Rittero latina ciuitate donatam, Vilnæ mihi mōſtrauit. Cumq; ſumto ſemel iterumq; calamo ſcribere tibi vellet, neq; tamen tanta & indicibili negotiorum mole oppreſſus, ſibi ipſi ſatisfacere poſſet: inuitus quidem hoc tempore officium tuæ excellentiæ debitum intermiſit, meq; per Apollinem rogauit, vt hanc candidiſsimæ mentis ſuæ adfectionem per epiſtolam tibi ſignificarem, id quod me facturum, vti debui, ità lubenter promiſi. De omnibus tamen rebus, quæ hactenus geſtæ ſunt, & quæ deinceps numinis auſpicio gerentur, faciet te paulò poſt certiorem.

Regis noſtri frater, Trāſyluaniæ Princeps, nuper deceſsit, cuius obitum Rex grauiter tulit, vt par eſt, metuit fortaſsis aliquam in iſtis locis mutationem, quanquam filius demortui, decē annorum puer, à ſubditis patris ſucceſſor nominatus eſt. Eodē die quo Tranſyluanorum Dominus exſtinctus eſt, Generoſiſsimus Regis equus exanimis concidit & perijt, qui non procul ab arce Vilnenſi defoſſus eſt, & columnam habet ligneam.

Belli ſuſcepti moles hac æſtate Pleſcouiam tanget. Milites vndiq; huc confluunt, ille ex Germania, alter ex Calydonia, tertius ex Britannia, vt nimirum venales animas tantò citius Plutoni propinent. Nam vndiq; ad inferos tantundem via eſt.

Rex dum foris hoſtem quærit, nos domi pro pietate bellum gerimus. Proceres quidem Polonici, qui purioris doctrinæ profeſſoribus fauent, & partim Zinglianos defendūt, partim Auguſtanam Confeſsionem ſequuntur: ante abitum ſuum de ineunda concordia

ſuaſerunt, certum eſſe adfirmantes, ꝙ N. Romæ nuper creatus in perniciem Lutheranorum iuramentum præſtiterit Pont. Max. Huius verò tyrannidem non adeò metuendam eſſe ſi nos piè in religione conſentiamus. Maio igitur menſe conuenimus Vilnæ. effecimus nihil. Summā actionis adiuncta continēt paginæ. Ipſe Dei filius, vtinam glorioſiſſimo aduentu ſuo vulnera Eccleſiæ citò ſanet, & beatitudinem nobis donet ſempiternam. In hoc quidem ſeculo ſinceram ſperare pacem non licet. Anabaptiſtas vicinos per occaſionem erroris admonui. Horum ſuperintendentes Laurens Criſcouius, hæreſin ſe defenſurum ſcribit. cùm prodierint chartæ, habebimus ſanè ꝙ aut contemnamus, aut etiam quod auctoritate ſanctarum ſcripturarum refutemus. Literas ipſius Criſcouij ad tuam Excellentiam tranſmitto. Iamq́; Colophonis vice etiam atq; etiam vehementer te rogo, vt haſce paginas tuo iudicio emendes, ac vel legas, vel diuulges, vel abijcias, quidquid horum feceris, meo facies conſenſu. Summū Pontificem Eccleſiæ, Ieſum Chriſtum, Dei ac virginis filium, qui ſolus eſt longitudo dierum noſtrorum, toto pectore precor, vt tuam Excellentiam ſpiritu ſanctiſſimo ſuo gubernet, & diutiſſimè incolumem conſeruet, meq́; tuæ beneuolentiæ & amori totum trado. VIII. Kalend. Auguſt. Anno. M. D. LXXXI.

* * * *
* * *
* *
*

DE

DE RELIGIONE ET SACRIFICIIS VETERVM BORVſſorum, epiſtola Io. MELETII

Ad GEORGIVM SABINVM.

CVm elegiam illam tuam, quam ad Petrum Bembum Cardinalem ſcripſiſti, mihi legendam exhibuiſſet Hieronymus filius meus, qui tuis ſcriptis plurimùm delectari ſolet, in qua de ſacrificio capri, & anguium cultu, quæ nonnullæ Sarmaticæ gentes faciunt, commemoras: continere me nō potui, quin ea quæ de vano cultu earum gentium comperi, ad te ſcriberem, tibi vtique non ingratum fore ſperans, ſi earum gentium, ad quas fato quodam vocatus es, & in quarum vicinia vitam agis, mores & idolatriam plenius cognoſceres. Multi enim ſuperſtitioſi ritus, idolatriciq́; cultus paſſim in his regionibus adhuc occultè ſeruantur, qui tibi aduenæ nōdum fortè cogniti ſunt. Itaque viſum eſt communicare tecum, quicquid de illis compertum habeo. Ac ne longiore vtar procœmio, referam primo ſacrificia, quibus olim Boruſſi, Samogitæ, Lithuani, Ruteni & Liuones, coluerunt dæmonia pro dijs, atque etiam nunc multis in locis colunt occultè: deinde ſuperſtitioſos quoſdam ritus, quibus nuptiæ, funera & parentalia apud eaſdem gentes celebrantur.

Die Georgij ſacrificium facere ſolent Pergrubrio, qui florum

plantarum, omniumq́; germinum Deus creditur Huic Pergrubrio ſacrificant hoc modo. Sacrificulus quem Vurſchayten appellant, tenet dextra obdam cereuiſiæ plenam, inuocatoq́; dæmonij nomine, decantat illius laudes: Tu (inquit) abigis hyemē tu reducis amœnitatem veris: p te agri & horti uirēt p te nemora & ſyluæ frondēt. Hac cātilena finita, dētibus apprehēdēs obdā, ebibit cereuiſiā nulla adhibita manu: ipſamq́; obdam ita mordicus epotam retro ſupra caput iacit. Quæ cum è terra ſublata, iterumq́; impleta eſt, omnes quotquod adſunt ex ea bibunt ordine, atque in laudem Pergrubrij hymnum canunt. Poſteà epulantur tota die, & choreas ducunt

Similiter quando iam ſegetes ſunt maturæ, ruſtici in agris ad ſacrificium congregantur, quod lingua Rutenica Zażinck *vacatur, id eſt, initium meſſis Hoc ſacro peracto, vnus è multitudine electus, meſſem auſpicatur, manipulo demeſſo quē domum adfert. Poſtridie omnes, primo illius domeſtici, deinde cæteri quicunque volunt, meſſem faciunt.*

Facta autem meſſe. ſolenne ſacrificium pro gratiarum actione conficiunt, quod Rutenica lingua Ozinck, *id eſt, conſumatio meſſis dicitur. in hoc ſacrificio, Sudini Boruſſiæ populi, apud quos ſuccinum colligitur, capro litant, ſicut in elegia tua ad Bembum ſcribis.*

Litandi verò ritus eſt talis. Congregato populi cœtu in horreo, adducitur caper, quē Vurſichaytes illorum ſacrificulus mactaturus, imponit victimæ vtrāq; manum, inuocatq́; ordine dæmones, quos ipſi Deos eſſe credunt: videlicet, Occopirnum, deum cœli & terræ. Antrimpum, deum maris: Gardoaten, deum nautarum, qualis olim apud Romanos fuit Portunnus. Potrympum, deū fluuiorum ac fontium. Piluitum, deum diuitiarum, quem Latini Plutum vocāt. Pergrubrium, deum veris. Pargnum, deum tonitruum ac tempeſtatum. Poccolum, deum inferni & tenebrarum. Poccollum

Deum

deum aëriorum ſpirituum. Putſcatum, deum qui ſacros lucos tuetur, Auſceutum, deum incolumitatis & ægritudinis: Marcoppolum, deum magnatum & nobiliũ: Barſtuccas quos Germani Erdmenlen, *hoc eſt, ſubterraneos vocant.*

His dæmonibus inuocatis, quotquot adſunt in horreo, omnes ſimul extollunt caprũ, ſublimemq́. tenent, donec canatur hymnus quo finito, rurſus demittunt ac ſiſtunt caprum in terram. Tum ſacrificulus admonet populum, vt ſolenne hoc ſacrificium à maioribus piè inſtitutum, ſumma cum venerationue faciant, eiusq́. memoriam religioſè ad poſteros conſeruent. Hac conciuncula ad populum habita, ipſe mactat victimam. ſanguinemq́. patina exceptum diſpergit. Carnem verò tradit mulieribus eodem in horreo coquendam. Hæ intereà dum caro coquitur, parant è farina ſiliginea placentas, quas non imponunt in furnum, ſed viri focum circumſtantes, hinc illinc per ignem iaciunt abſque ceſſatione, tandiu quoad illæ indureſcant, & coquantur. His peractis epulantur atq́. helluantur tota die ac nocte vſque ad vomitum. Ebrij deinde ſummo mane extra villam progrediuntur, vbi reliquias epularumque remanſerunt, certo in loco terra operiunt, ne vel à volatilibus vel à feris diripiantur. Poſteà dimiſſo cœtu ſuam quiſque domum repetit.

Cæterùm, ex omnibus Sarmatiæ gentibus ſupra nominatis, multi adhuc ſingulari veneratione colunt Putſcatum, qui ſacris arboribus & lucis præeſt. Is ſub arbore Sambuco domicilium habere creditur. Huic paſſim homines ſuperſtitioſi litant pane, cereuiſia, aliјsque cibis ſub arbore ſambuco poſitis; precantes à Putſcato vt placatum efficiat Marcoppolum deum magnatum & nobilium ne graniore ſeruitute à dominis ipſi premantur: vtque ſibi mittantur Barſtuccæ, qui (vt ſupra dictum eſt) ſubterranei vocantur. His enim dæmonibus in domo verſantibus ſe

fieri credunt fortunatiores: eisq́; collocant veſperi in horreo ſuper menſam mappa ſtratam panes, caſeos, butyrum, & cereuiſiam: nec dubitant de fortunarum acceſſione, ſi mane reperiant cibos illic aſſumtos. Et ſi quando intactus cibus in menſa remanet, tunc magna anguntur cura nihil non aduerſi metuentes.

Eædem gentes colunt ſpiritus quoſdam viſibiles, qui lingua Rutenica Colky/ *Græca Coboli Germanica* Coboldi/, *vocantur. Hos ſpiritus credunt habitare in occultis ædium locis, vel in congerie lignorum: nutriuntq́; eos lautè omni ciborum genere, eo quod afferre ſoleãt nutritoribus ſuis frumentum ex alienis horreis furto ablatum.*

Cùm verò hi ſpiritus alicubi habitare ac nutriri cupiunt, hoc modo ſuã erga patremfamilias voluntatẽ declarant. In domo congerunt noctu ſegmenta lignorum, & mulctris lacte plenis imponunt varia animalium ſtercora. Quod vbi paterfamilias animaduerterit, nec diſſipauerit ſegmenta, nec ſtercora è mulctris eiecerit ſed de inquinato lacte cum omni familia ſua comederit, tunc illi apparere & permanere dicuntur.

Præterea Lituani & Samogitæ in domibus ſub fornace, vel in angulo vaporarij vbi menſa ſtat, ſerpẽtes fouent, quos numinis inſtar colentes, certo anni tempore precibus ſacrificuli euocant ad menſam. Hi verò exeuntes, per mundum linteolum conſcendunt, & ſuper menſam aſſident. Vbi poſtquam ſingula fercula delibarunt, rurſus deſcendunt, ſeq́; abdunt in cauernis. Serpentibus digreſſis homines læti fercula illa prægustata comedunt, ac ſperant illo anno omnia proſperè ſibi euentura. Quod ſi ad preces ſacrificuli non exierint ſerpentes aut fercula ſuper menſam poſita non delibauerint, tum credunt ſe anno illo ſubituros magnam calamitatem.

Ad hæc eædem gentes habent inter ſe ſortilegos, qui lingua Rutenica

Rutenica Burty *vocantur, qui Potrimpum inuocantes, ceram in aquam fundunt, atque ex ſignis ſiue imaginibus inter funden dum figuratis, pronunciant ac vaticinantur de quibuſcunque rebus interrogati fuerint. Noui ipſe mulierculam, quæ cum diu reditum abſentis filÿ fruſtrà expectaſſet: erat enim filius ex Boruſsia in Daniam profectus: conſulit ſortilegum, à quo edocta eſt, illum naufragio perÿſſe. Cera enim in aquam fuſa, expreſſit formam fractæ nauis, & effigiem reſupini hominis, iuxta nauim fluitantis.*

Apud Samogitas eſt mons ad fluuium Nauuaſſam ſitus, in cuius vertice olim perpetuus ignis à ſacerdote conſeruabatur, in honorem ipſius Pargni, qui tonitruum & tempeſtatum potens à ſuperſtitioſa gente adhuc creditur. Hactenus de ſacrificÿs.

Nunc de ritibus Nuptiarum, funerum, & parentalium, narrabo non minus ridicula quàm ſuperſtitioſa. Apud Sudinos, Curonenſes, Samogitas, & Lituanos, nobiles puellæ multis in locis geſtant tintinnabulum, quod funiculo alligatum è cingulo dependet vſq; ad genua. nec ducuntur, ſed rapiuntur in matrimonium, veteri Lacedemoniorum more à Lycurgo inſtituto. Rapiuntur autem non ab ipſo ſponſo. ſed à duobus ſponſi cognatis. Ac poſtquam raptæ ſunt, tũc primum requiſito parentum conſenſu matrimonium contrahitur.

Cùm nuptiæ iam celebrantur. ſponſa ducitur ter circa focum. Deinde in ſellam ibi collocatur. Sedenti ſuper ſellam, pedes lauantur. Ea verò aqua, qua ſponſæ lauantur pedes, conſpergitur lectus nuptialis ac tota ſupellex domeſtica, Conſperguntur item hoſpites, qui ad nuptias inuitati ſunt. Poſteà ſponſæ os oblinitur melle, & oculi teguntur velamine, velatis oculis ipſa ducitur ad omnes ædium fores, quas iubetur contingere ac pulſare dextro pede. Ad ſingulas fores circumſpergitur tritico, ſiligine, auena, hordeo, piſis,

ſibis & papauere. Qui enim ſequitur ſponſam geſtat ſaccum plenum omni genere frugum: cùmq́ illam circumſpergit, ait, nihil horum defuturum ſponſæ, ſi religionem piè coluerit, remq́ domeſticam curauerit ea diligentia, qua debet. His actis, aufertur ſponſæ velamen ab oculis, & conuiuium celebratur.

Veſperi cùm ſponſa ad lectũ deducenda eſt, inter ſaltandum ei abſcinduntur crines, quibus abſciſſis, mulieres imponunt ei ſertum, niueo linteolo adornatum, quod vxoribus geſtare licet donec filium pepererint. Tam diu enim vxores pro virginibus ſe gerunt. Ad extremũ introducitur in cubiculũ, vbi pulſata & verberata, cõijcitur in lectũ ſpõſoq́ traditur. Tũ pro bellarijs afferuntur teſticuli caprini, vel vrſini, quibus ipſo nuptiarum die cõmanducatis, coniuges creduntur fieri fœcundi. Hac de cauſa, nullũ quoq́ animal caſtratum illic ad nuptias mactatur.

In Funeribus hic ſeruatur ritus à ruſticanis defunctorum cadauera veſtibus & calceis induuntur & erecta locãtur ſuper ſellam, cui aſſidentes illorum propinqui perpotãt ac helluantur, epota cereuiſia, fit lamentatio funebris, quæ in lingua Rutenica ſic ſonat Hale le/ le le/ y procz ty mene vmarl? ij za tij nie miel ſzto yeſty albo pity? y procz tij vmarl? Ha le le/ le le ij za tij nie miel kraſz ije mlodzice? ij procz tij vmarl? *Id eſt, Hei, hei mihi. Quare mortuus es? Num tibi deerat eſca aut potus? Quare ergò mortuus es? Hei hei mihi: An non habuiſti formoſam coniugem? Quare ergo mortuus es? &c. Hoc modo lamentãtes enumerãnt ordine omnia externa illius bona, cuius mortem deplorant: nempe, liberos, oues, boues, equos, anſeres, gallinas, &c. Ad quæ ſingula reſpõdentes, occinunt hanc Næniam, Cur ergò mortuus es, qui hæc habebas?*

Poſt lamentationem dantur cadaueri munuſcula, nempe, mulieri fila cũ acu: viro linteolum, idq́ eius collo implicatur. Cùm ad

ad ſepulturam effertur cadauer, plerique in equis funus proſequuntur, & currum obequitant quo cadauer vehitur: eductiſque gladijs, verberant auras, vociſſerantes Gey geythe begaythe peckelle. *id eſt, aufugite vos dæmones in infernum. Qui funus mortuo faciunt, nummos proijciunt in ſepulchrum, tanquam viatico mortuum proſequentes. Collocant quoque panem, & lagenam cereuiſiæ plenam ad caput cadaueris in ſepulchrum illati, ne anima vel ſitiat vel eſuriat. Vxor mane & veſperi, oriente & occidente ſole, ſuper extincti coniugis ſepulchrum ſedens vel iacens, lamentatur diebus triginta. Cognati verò ineunt Conuiuia die tertio, ſexto, nono, & quadrageſimo. A Funere. Ad quæ conuiuia animam defuncti inuitant, precantes ante ianuam. In his conuiuijs, quibus mortuo parentant, tacitè aſſident menſæ tanquam muti, nec vtuntur cultris. Ad menſam verò miniſtrant duæ mulieres, quæ hoſpitibus cibum apponunt, nullo etiam cultello vtentes. Singuli de vnoquoque ferculo aliquid ſub menſam iaciunt, quo animam paſci credunt, eisque potum effundunt. Si quid fortè deciderit de menſa in terram, id non tollunt, ſed deſertis (vt ipſi loquuntur) animabus relinquunt, manducandum, quæ nullos habent vel cognatos vel amicos viuentes, à quibus excipiantur conuiuio. Peracto prandio, ſacrificulus ſurgit de menſa, ac ſcopis domum purgat. animáſque mortuorum cum puluere eijcit, tanquam pulices, atque his precatur verbis, vt è domo recedant.* Iedy/Pily duciſſe: nu wen, nu wen: *hoc eſt, ediſtis ac bibiſtis animæ dilectæ, ite foras, ite foras. Poſt hæc incipiunt conuiuæ inter ſe colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbibunt & viri viciſſim mulieribus, ſeque mutuo oſculantur.*

De hac oblatione ciborum ſuper tumulos defunctorum meminit etiam Auguſtinus ſermone 15. de Sanctis, cuius verba hæc ſunt: Miror cur apud quoſdam infideles hodie tam pernicioſus

error increuerit, vt ſuper tumulos defunctorum cibos & vina cōferāt, quaſi egreſſæ de corporibus animæ, carnales cibos reqrant. Epulas enim & refectiones caro tantùm requirit. Spiritus autem & anima ijs non indigent. Parare aliquis ſuis charis dicit quod ipſe deuorat. Quod præſtat ventri, imputat pietati, &c. Hactenus Auguſtinus.

Hæc, quæ de ſuperſtitioſis ritibus, & ceremonijs illarum gentium narraui, partim ipſe vidi, partim ab hominibus fide dignis audiui. Tu verò præſtantiſſime vir qui variarum rerum cognitione delectari ſolitus es, pro ea qua excellis humanitate, meum hoc qualecunque ſcriptum ab homine tui amantiſſimo, profectum boni conſulas oro.

* * * *
* * *
* *
*

ALIA

ALIA QVAEDAM DE MODO IEIVNANDI CONFITENDI EVCHARI-ſtiæ vſu, item de matrimonio. Alexandri Gwagnini, quæ ſupra folio 234 ſunt omiſſa.

* * *

RVtheni in Ieiunio, vt in cæteris cęremonijs, à Romanis diſcrepant, quatuorq; ieiunia magna, quibus carnibus abſtinēt habent. Primū in quadrageſima ſeptē integris hebdomadis ab eſu carnium abſtinēt. In prima autem hebdomada quam nos vltimam Bachanalium dicimus, illi lactarijs & butiraceis cibis vtuntur, eamq; Maſina quaſi butiraceam appellant, reliquis verò ſeptem integris ſeptimanis ad Paſcha vſq; etiam piſcibus abſtinēt, oleribus, cauliculis raphano, fungiſq; contenti Quidam etiam deuotiores Dominicis tantùm & Sabbatis diebus (quibus ieiunare peccatum putant) cibum ſumunt, reliquis diebus, niſi fruſtulo panis in meridie confortati ab omni cibo abſtinent. Alij die Dominico, feria tertia, quinta & ſeptima, cibis coctis veſcuntur, reliquis fruſtulo panis, cum

Mm

aqua fermentata ſumpto, toties diebus inædiam tollerant.

Ieiunium Petri. Secundò ieiunant poſt octauam Pentecoſtes vſq; ad ferias Petri & Pauli Apoſtolorum, appellantq; hoc ieiunium Diui Petri.

Ieiunium. diue Virginis. Tertiò à prima Auguſti vſq; ad Aſſumptionem Beatiſſimæ virginis Mariæ ieiunio ſe macerant. Quartò ſex ſeptimanis in aduentu Domini carnem & butirum abhorrent, vocaturque hoc ieiunium Philippi ſecundum *Ieiunium. Philippi.* Rutenicum Calendarium. Omnibus verò diebus ſabbatis (exceptis temporibus ieiunij) carne veſcuntur. Sed feria quarta & feria ſexta grande peccatum carnibus vti credunt, ita vt ſi Petri & Pauli Aſſumptioniſque Mariæ feſtum feria quarta vel ſexta contigerit tum ea quoque die carnibus non veſci peccatum putant, Romanoſque hac de cauſa maximè redarguunt, argumēto Clementis Pontificis Romani id cōprobantes, qui dicit in ſtatutis Apoſtolorum Canone Lxiiij. Si Eccleſiaſticus die Sabbato vel Dominico ieiunans inuentus fuerit, exceptis ieiunij Sabbatis ab Eccleſia perſcriptis, ſacerdotio degradetur. Si autem ſæcularis homo fuerit excommunicetur, & ab Eccleſia ſe iungatur. Nullius ſancti vigiliam ieiunio venerātur, præter ſancti Iohannis Baptiſtæ quam vigeſima nona Auguſti die, (ex præſcriptione Calendarij ſui) celebrant.

Monachi grauioribus ieiunijs, præ cæteris onerantur, qui aqua fermentata cum fruſtulo panis ſemel in die ſumpta, contenti eſſe coguntur.

CON-

CONFITENDI MOS.

CIrca Paſchatis feſtum Rutheni, præcipuè confiteri ſolent, hoc modò: Confeſſor vnà cum confitente, in medio Templi ſtat magna cordis cum deuotione, contritioneque ad imaginem alicuius diui vltu reuerenter conuerſo. Poſtea confitendi ſecundum peccati grauitatem iniuncta pœnitentia, ante ipſam imaginem confeſſor, & confitens magna cum deuotione reuerenter ſeſe inclinant, ſignoque crucis frequentius frontem pectusque & brachia munientes, alto cum gemitu conſuetam orationem proferunt. Ieſu Chriſte Fili Dei viui miſerere noſtri. Quoſdam etiam, qui grauius aliquid deliquerint aqua ſacrata abluunt, quàm in Epiphania Domini toto fluuio, vel ſtagno (ſecundum morem) conſecrato hauriunt, & pro abſtergendis noxialibus delictis, per integrum annum in Templo reſeruant. Quibuſdam verò pro pœnitentia ieiunia, & breues facileſque orationes, iniunguntur. Dominicam enim orationem perpauci ex vulgo ſciunt, dicuntque orationem Dominicam ſcire, Dominorum & Sacerdotum qui nullis laboribus occupantur opus eſſe. Confeſſionem etiam quamuis ex præſcripto habeant eam tamen ad dominos pertinere agreſtes dicunt, ſibi autem in Deum & filium eius Ieſum Chriſtum & Spiritum ſanctum ſimpliciter credere ſatis eſſe. Hacque oratione omnes Rutheni promiſcuè, & peculiariter vtuntur, Ieſu Chriſti Fili Dei viui miſerere nobis.

Aqua conſecratio.

SACROSANCTAE EVCHARISTIAE Vsvs.

SAcramento Euchariſtiæ Rutheni ſub vtraque ſpecie vtuntur, aliud autem pro infirmis & aliud pro communicantibus ſecundum conſuetudinem habent. Pro infirmis ſacramentum in hebdomada magna ante Paſcha, die Iouis conſecratum, in vaſe mundo per integrum annum ſeruatur. Dum autem id Sacerdos pro infirmo daturus eſt, tum parum vini & aquæ tepidæ addit, portiunculamque benè humectatam ęgroto cocleari de calice porrigit. Si autem puer infirmus fuerit, adeò vt non poſſit de pane ſumere, tunc infunditur ei gutta vini cõſecrati in os de calice. Pro communicantibus verò ſecundum conſuetudinem, Sacramentum dum Sacrum ſiue Lyturgia peragitur conſecratur, quod ſacerdos cocleari ex calice in portiunculas minutas redactum, & vino commixtum communicantibus diſtribuit. Præſcriptum communicandi tempus ante feſtum Paſchæ (vel quotieſcunque aliquis voluerit, modo confeſſus ſit) habent. Pueros qui ſeptem annos tranſigerunt ad Sacramentum admittunt dicuntque hominem ſeptennio tranſacto contra Deum peccare incipere

Duplex apud Rutenos Euchariſtia.

Porrò omnes Rutheni pane fermentato & non azymo (prout Romanæ Eccleſiæ mos eſt) vtuntur, idque hac ratione approbant, quia Iudæi in memoriam liberationis ſuæ ex Egypto, ſecundum mandatum Diuinum azymis vtuntur, ſe verò ſemel Chriſtianos factos nunquam in

labore

labore Aegyptiorum fuiſſe, ideò de huiuſmodi Iudæorum azymis. Sabbato & circumciſione obſeruandis, ſeli, beros eſſe dicunt, ſi enim aliquis ſequatur vnum ex illis (Paulo atteſtante) totam legem adimplere tenetur. Eundemq́ue Apoſtolum dicentem, fratres ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quia Dominus in qua nocte tradebatur accepit panem benedixit, &c. de pane fermentato & non azymo dixiſſe intelligunt, eo enim tempore nec azyma nec Paſcha fuiſſe cũ Dominus cœnaret, dicunt. Idq́ue hoc argumento maximè approbant, quia Iudæorum Paſcha ſtando fit & comeditur ſecundum legis præſcriptum, hoc autem in cœna Chriſti non erat (vt Euangeliſta dicit) recumbentibus eis duodecim, &c. *Non azymis Ruteni ſed fermentato pane vtũtur.*

Item & diſcipulus recubuit ſuper pectus ipſius in cœna, &c. Quod etiã Chriſtus dicit ibidem deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, non de Iudæorum Paſcha cum dixiſſe ſentiunt, quod antea ſemper commedebat cum Apoſtolis. Neque azyma Chriſtum Apoſtolis dediſſe, ſed panem fermentatum credunt, cum dicit, Ecce panis quem ego do vobis. Similiter ad Iudam, cui ego dabo panem intinctum, ipſe traditurus eſt me.

Romanos autem in azymis communicantes confundunt, dicentes eos Iudaicos ritus obſeruare, in hæreſiq́ue Iuliani Apolinaris Laodicenſis, & Pauli Syrij Samoſatenſis Machometi, Euthychij, & Diaſterij ambulare, qui erant in ſexta Synodo deprauatiſſimi hæretici, & ſpiritu Diabolico repleti.

Mulieres autem apud Ruthenos panem ad ſacrificandum Proſkura dictum conficere ſolent. Seliguntur autem ad id mulieres prouectæ ætatis quæ menſibus pati-

endis amplius non ſunt obnoxiæ, præcipuè verò viduæ ſacerdotum relictæ, id muneris obire ſolent.

DE MATRIMONIO.

ITa Rutheni Matrimonium contrahunt, vt quartum conſanguinitatis gradum nō attingant. Tertiam ducere vxorem viro vix concedunt, & non admodum legitimum matrimonium eſſe putant. Quartam verò nec concedunt, neque etiam Chriſtianum eſſe iudicant. Pro adulterio non computant, ſi vir habēs vxorem cum ſoluta concubuerit, excepta vxore alterius.

Diuortia inter ſe frequenter celebrant, Epiſcopis permitttentibus, literaſque repudij dātibus.

Quidam etiam agreſtium, quibus ad Epiſcopos propter longam itineris diſtantiam aditus difficilis eſt.
Diuortiū. Diuortium etiam tali modò (more gentili antiquitus obſeruato) peragunt, cùm ſibi vir & vxor vtrinque diſplicent, tunc extra pagum in triuium ambo prodire ſolent, mantili accepto quod inter ſe manibus vtrinque tenendo per medium diſcindunt, hocque inter ſe diuiſo matrimonium etiam, inter ſe diuiſum eſſe putant, & vxori repudiatæ vir dicere ſolet, vade tu hac, ego illac pergam. Sed hic peruerſus Diuortij modus nunc prorſus abolitus eſt.

Hoc autem ritu Matrimonium inter ſpōſam & ſponſum contrahitur. Imprimis menſa in medio templi adornatur, ingredientibuſque templum ſacerdos præcedens certas recitat orationes, deindè pro Patriarcha, Metropolitano. Epiſcopis, & toto clero, pro monarchaque

ſuo

ſuo,& omni ordine equeſtri, & plebeio, qui ritus ſuæ fidei ſequuntur ſigillatim ſacerdos cum Diacono clara voce orant. His peractis ſponſus & ſponſa menſam præparatam accedunt, in linteoque ſecundum morem pedibus ſubſtrato vterque ſtat. Poſtea ſacerdos ex præſcripto an alicui olim non ſpoponderent interrogat, ſtolaque manus vtriuſque annulos commutans colligat. Deindè coronas ligneas vel ex tiliæ libro pictas ad id muneris in Eccleſia reſeruatas capiti vtriuſque imponit, dicens. Poſuiſti Domine coronam ſuper caput eius de lapide pretioſo, &c. Euangeliumque de nuptijs in Chana Galileæ celebratis recitat. Deinde panem & cereuiſiam conſecratam deſponſatis ad prægustandum porrigit, poſtea ſtolam (qua ſacerdotes collo appenſa vti videmus) ſponſus & ſponſa ab vna parte, & ſacerdos ab altera tenēt, ſacerdotemque præeuntem ſequuntur (hæc verba dicentem. Circuite populi Sion & date gloriam nomini Dei altiſſimi, terque menſam circumeuntes loca ſua occupant, & Sacerdos Pſalmum Miſerere noſtri Domine ſecundum magnam miſericordiam tuam, &c. recitat, Suffragijsq; pro omnibus, tam ſpiritualibus quam ſæcularibus Deo perſolutis de templo egrediuntur. *Sponſaliū ritus.*

* *

*

QVAEDAM DE LIVONIA ANNO M. D. LXXXII. POLONORVM Imperio ſubiecta.

NE quod reliquum chartæ, benignè lector vacuum ſit addere theologicis tuâ cauſa placet ea, quæ his omnibus ad finem perductis, à Palatino quodam primario, de bello cum Moſcis, ob Liuoniam ſuſcepto, iamque compoſito accepi. Vbi Duci illorum Iohanni Baſilio, extrema neceſsitas lacrymas expreſsit, cum Poſſouium legatum Pontificium obſecraret, vt in pacem omnibus ingenij viribus incumberet. fallor, ſi is ſenator fallitur, qui id ex legato, in Moſcouia audiuit, nec inclytus Rex Stephanus, licet feliciſsimus. fortunæ memor humanæ, homini ſat is ſuperq; vndiq; exagitato, admodum difficilem ſe præbuit. Iam igitur Liuonia, ſeu mauis Libonia (à Libone quodam Duce, aduerſa tempeſtate cum Italis in illas oras nauibus delato, cognomen adepta) Deo ſic volente, & regna à gente ob eius vitia, in gentem transferente noſtra eſt. In qua cùm & Rex Suecorum Iohannes 3. nobis bello diſtentis, aliquot arces occupauit (ne ea quæ pauca ſunt Ducis Magni, Fridrici Regibus Danorum fratris commemorem) facilis erit cum ipſo hac de re compoſitio, cum ideò quod affinis Stephani Regis ſit, vterq; enim Sigiſ-

mundi

mundi illius noſtri, tot victorijs clari generi) tùm quia Liuonia, armis noſtris iuſtè ſumtis territa. Auguſto Sigiſmundi filio, anno 1556. ſeſe dediderat. Regia Aquilonaris, vltra citraq́ gradum latitudinis 60. figura triquetra qua maximè patet 80. amplius milliaria Germanica longa: ducentis propemodum arcibus inſignis. Moſcis ab Oriente, Pruſſis & Lituanis à meridie ſinu Venedico ſeu Oceano Sarmatico, ab Occidente & Septentrione cincta, quæ hodie, maximè à Moſcis infeſtatur, antea hoſtes habuit, eoſdem Moſcos ſiue Ruſſos, Lituanos, Samagitas, Semegallos, Curones, atq; Pruſſos. in qua quinq; linguæ diuerſæ. Quatuor in pagis, videlicet Liuonum (Latina quædam, etſi deprauata habentium) Eſtonum, Lottonum, atq; Curonum, Saxonicam ciuitates ſibi vendicant, indè ab aduentu Germanorum Chriſtianorũ in Liuoniam. Sunt autem ciuitates primariæ Riga, Derpata, Pernauia, Reualia, Harua. Portus item aliquot. ex quibus multum emolumenti percipit tota regio. Diſtat autem Riga ab Reualia, 50. miliaribus Germanicis. à Derpata 30. ab Regiomonte Pruſſico 60. totidem à Pleſcouia Moſcouitica, à Vilna Lituanica 40. Fluuiorum duo nobiliſſimi habentur alioqui tractus ille vt ſyluoſus, ita & aquoſus eſt, vnus Dwina, alijs Duna, Eridano Italico amplior, qui ex lacu emanans Moſcouitico eiuſdem cognominis, 10. à Boryſtene in ſylua exoriente milliaribus, ſupra Rigam in mare illabitur. alter Embecus eſt, ex ingẽti ortus lacu Peibas vocato, & Liuoniam ab Oriente ſole terminante qui in idem mare prope Pernauiam influit. Hæc olim Gottia Orientalis erat: vt illa altera, Suedica, quam vndiq; alluit Oceanus Occidentalis. Ex vtraquè Gotti, Anno Chriſti 380 effuſi pertractis ſecum finitimis, Imperium euaſtarunt Romanum, quod ad Occidentem vergit ſolem. Primus autem Liuones, qui Gottis ſucceſſerant, Meinardus à Zegemberg theologus, Anno Domini 1186. Lubeca ſoluens cum mercatoribus, ad vitam

manſuetiorem & Religionem Chriſtianam perduxit, lingua vernacula diuturno labore percepta. quartodecimo poſt anno datus ipſis, atque Rigæ conſtitutus Epiſcopus, ab Harduico ſecundo Bremenſi Archiepiſcopo, creati alij quoque poſt hos Derpate Reuallæ, & alibi. Meinardo pio poſt multos exantlatos labores, ſatis abſumpto, qui arcendorum à ſuis cauſa, ferorum tunc Lituanorum arces nonnullas prope Rigam, ad ripas Dwinæ erexerat: Bertoldus Ciſtercienſium abbas, vir eiuſdem ſtudij ſurrogatus eſt. Huic verò Albertus Bremenſis canonicus Anno 1 2 4 6. alijq; pòſt. Is annos 30. cum idololatris tam ſuis quã externis bella geſſiſſe, & ordinem ſeu ſocietatem enſiferorum militiæ Chriſti. conceſſa ipſi tertia Epiſcopæ ſuæ parte eo cõſilio inſtituiſſe dicitur, vt in promptu ſemper haberet, aduerſus barbaros auxilium. Porrò magiſtrorum, id eſt præfectorum Liuonienſium primus fuit Vinnenus, qui arces Segeuoldam, Vendam, & Aſcherodam condidit Kokenhauſen expugnauit, Moſchorum Principem acie victum interfecit. occiſus & ipſe per inſidias à Vendenſi præfecto vna cũ ſuo cõcionatore. Secũdus erat Volquinus, tertius Hermanus, quo rerum potiente, Voldemarus Danorum Rex Ordinem Teutonicum terra Ieruenſi, quæ eſt Liuoniæ pars, donauit. Quartus Theodorus, cæteriq; deinceps qui Goldingam, Curonam & Ampotẽ arces exſtruxit, Lituanorum ſibi moleſtorum terram depopulatus eſt. Verùm, ne omnes recenſeam, ſecundus ille Volquinus Felinum à fundamentis erexit, cum Moſcis ſæpe decertauit. Semegallos, auſtralis Liuoniæ incolas atq; inſulam Ozeliam ſubegit. Reualiam Danis eripuit, nam & hi tunc aliena inuadebant. Ordinem ſuorum crucigerorum ſuaſu Alberti antiſtitis, maioris adiumenti gratia, Ordini Teutonico Sanctæ Mariæ, fœdere perpetuo inſeruit. Iam enim euocati ex Germania erant milites Mariani, Anno 1226. à Conrado Maſouiæ duce, aduerſus vim Pruſſorum idololatrarum, in Maſouiam

atq;

atq; Poloniam incurſiones facientium, quibus pars Pruſſiæ ſi barbaros debellaſſent aſsignata. Vt autem hi progreſſu temporis Pruſſiam, ita illi Liuoniam, ex inculta fecerunt cultiſsimam. Vtrique poſteritate vt ſit ſuperbiores facti. adeò vt à Marianis Pruſsi anno 1454. ad Polonos defecerint, quorum poſtremus fuit Albertus, Marchio Brandeburgenſis, quem Rex Poloniæ Sigiſmundus, ſæpe vano conatu rebellātem, abolito magiſtri cognomine, Ducem partis Pruſsiæ, altera ſibi relicta anno 1526. Cracouiæ appellauit, ſuumq́; ſtipendiarium fecit. Liuonienſium item magiſtrorum. 47. hoc eſt, vltimus erat Wilhelmus Firſtemberg, qui proditione militum Germanorum in arce Felina anno 1558. à Moſcis captus, in vinculis vitam finijt, cui qui ſucceſſerat Ketlerus nobilis Veſtfalus, eum Sigiſmundus Auguſtus Rex noſter Anno 1564. Ducem Curlandiæ ſibi vectigalem Rigæ declarauit. Atq; ita vterque hic ordo, ſuis cum terris, quæ magnæ ſunt, in poteſtatem Regum Poloniæ venit. Sequitur iam ea pacis facta formula, quam legatus Gregorij tertijdecimi Papæ Romani, tam Rege noſtro quam Moſcho comprobantibus, in Moſchouia præſcripſit.

CONDITIONES PACIS, A MAGNO MOSCOVIAE DVCE PETITAE A SERENISSIMO Poloniæ Rege Stephano conceſſæ, & per Sanctiſſimi Domini noſtri legatum tranſactæ in Zapolſtra Iama, Annó Domini 1582. 15. Ianuarij.

VT ſuæ Maieſtatis exercitus, ſoluta Pleſconiæ obſidione è ditionibus Moſci deducatur.

Incendia & agrorum populationes prohibeantur.

Vt decennales induciæ dentur.

Meſt 1580 Vt arces in Moſchouia, anno ſuperiore captæ Viclicolucum, Chelma, Zawolocze, Newella, tùm & quæ hoc anno, Oſtrow, Kraſſnihorodek, Voronecia, Veliza, cæteraque caſtella ad Pleſcouiam pertinentia cum tormentis, & apparatu bellico, quæ exuſtæ non eſſent, reddantur.

In præmium horum, Magnus Moſcouiæ Dux, omnibus arcibus & poſſeſſionibus, quas in Liuonia quocunque modò quæſitas habuit, cum tormentis bellicis & armamentarijs, cum quibus eas ceperat cedit.

Non

Non repetet arces Vieliſiam, Vſwiatum, Iezieciſce, Sokolum, cæteraſquæ bello captas, & ad Polocziam ſpectantes.

Arces in Liuonia ſtatim ac primo loco Derpatum, Felinum, Pernauia, & Nowohorodek ex parte Moſci tradentur. Reliquæ verò omnes ante proximam diem quartam Martij, quarum ſeries eſt iſta. Kokenhauſen, Krentzborg, Landē, Roſiten, Luſen, Feſten, Seſſwegen, Schwantzburg, Marienhauſen, Runtzborg, Adzel, Trikaten Mariemburg, Wolnur, Perchel, Sales, Stara pernaua, Ander Fikel, Margema, Kukēhaim, Leal, Lode, Hapſel, Sācta Brigitta, Fegſſewer, Liel, Borcholm, Neiſclos, Falkoffen, Biali kamiē, Narew, Talkinaw, Worbeth, Kerempe, Oldētorn, Neihaus, Odempe, Sommerpal, Kauelicht, Vltzen, Kuntzteth, Randen, Ringen, Oberpoln, Lais, Terweſs, Lenwarth, Aſſerath. *Arces 52.*

Ex parte Naruæ & aliarum arcium, per Sereniſſ. Regem Sueciæ captarum, proteſtati ſunt legati Sereniſſimi Poloniæ Regis ſuam maieſtatem. non obſtāte pacificatione, ius ſuum proſequuturum.

Ante præſcriptam diem quartam Martij, ea quæ Sereniſſimi Regis, tum & quæ Moſci ſunt, ex reſtituendis vtrinque arcibus deduci debent.

Siquid per temporis breuitatem, deduci fortè non poſſet, relictum ſub cuſtodia, donec deductum fuerit manere debet.

Cuſtodes & vectores, vtrinque ſecuri eſſe debent.

In deducendis hominibus, tormentis cæteriſque rebus, vis atque omnis dolus abeſſe debet.

Ad præſtandum à Moſco iuramentum in ratihabi-

tionem conditionum pacis, Sereniſſ. Regis Poloniæ oratores in Moſcouiam pro die decima Iunij, Oratores verò Moſcouitici in Poloniam, ad quindecimam diem Auguſti venire debent.

Tranſactio de captiuis intacta ad tractationem per Oratores reiecta eſt.

AD SERENISSIMVM STEPHANVM, REGEM POLONIAE,

CHRISTOPHORI WARSEVICII Oratio.

Qua, expoſito toto belli negotio, cum Ioanne, Magno Moſcorum Duce, XV. Ianuari ad Zapolſciam confectam pacem gratulatur.

SERENISSIME REX.

CVM nuper ex caſtris ad conuentum tractandæ paci Zapolſcia deſtinatum, me miſiſſes: & confecta pace, rurſus ad te in viam me dediſſem, fallendi tēporis gratia, cōſcripſi orationē, qua de hoc tam grato & magnifico munere, diuinitus tibi dato & oblato, gratularer. Quam, & adeò Vilnam cum veniſſem, typis diuulgandam eſſe duxi. Vt vel in varias partes non ſolùm fama verum etiam lætitia de ea peruolare faciliùs poſsit. eſſetq́ʒ inſtar epiſtolæ alicuius quæ tum & ad tuos, tùm & ad exteros ijs de rebus quæ hic geruntur, officij ergò ſcribi poſſet & deberet: & denique vt vel hac teſtificatione memoris noſtræ mentis beneficiorum tuorum erga nos, & eorum qui viuunt & poſterorum gratiſſimus ſermo de tuo regio nominè nuſquam conticeſcat. Benè vale. Vilnæ IIII. Februarij. Anno Domini M. D. LXXXII.

S. R. Mageſtatis veſtræ.

Fideliſsimus & addictiſsimus ſubiectus & ſeruitor. VVarſeuicius.

Nn 4

AD SERENISSIMVM STEPHANVM Regem Poloniæ.

Chriſtophori Warſcuicij Oratio.

PAcis nuntium Stphane Rex habes, quam Chriſto Opt. M. de virgine nato cœlitus Angeli venerant olim nuntiatum Perfectum eſt tandem ſummi Dei benignitate erga nos, & tua quadam veluti vigilia regali, eximiaq; virtute ut contra magnum Moſcouiæ Ducem, iuſtè & legitimè bello abs te ſuſcepto, & proſperè fortiterq; geſto, in tot annis & bellatoribus, quibus cum bella geſſit, penè omnium ſolus, ad pacis conditiones quas volebas acceptandas adegiſſe eum videare. Quo equidem nomine & tibi & Reipub. inprimis gratulor, & præſtanti virtuti felicitatiq; tuæ, omnia præmia & inſignia honoris, & ornamenta laudis ac gloriæ, iure optimo deberi, agnoſco & profiteor. Quid enim aut beneficio carius, aut fama & opinione maius accidere potuit, quàm quod vt diuturnam quietem, prænunciam tempeſtatis, maximum & grauiſſimum bellum, ſic demum inſtar ſolis, poſt denſiſſimas tenebras, optatiſſima pax, terrorem belli eſt ſubſecuta? Et verò iucundum eſt ſemper nomen pacis, & res ipſa ſalutaris, quæ & deſiderio expectantium, & voluptate exultantium, & eorum, qui ſunt eius ſeruatores gloria, vix admirabilius aliquid dixeris. Sed nimirum fert hoc humanarum & diuinarum ius legum, conſuetudo gentium, ratio ipſa muneris & dignitatis regum, vt ſuæ

ſubiectos

ſubiectos poteſtati, omni iniuria & calamitate, prohibeant & defendant. Res porrò bello geſtas, plus quàm pacem admiremur. verùm ſi caſu non conſilio: temeritate, non neceſſitate, bella ſuſcipiantur & gerantur, vel maxima quæq; vis expers rationis & conſilij, mole ſua ruit, nec ſine viciſſitudine aliquid poteſt eſſe diuturnum. Quo magis venerari & ſuſpicere te cuncti debemus, qui vt ocium metiris dignitate, ita bella geris & adminiſtras neceſſitate: & vt armorum capiendorum certam tenes rationem ſic deponendorum modum. Quippe cùm non ea mens inſtitutumq; tuum ſit vel fuerit, vt in luctu & ſanguine eorum, quos ex præſcriptione diuinæ legis non minus ac te ipſum diligere debes, nominis & imperij tui titulos proferas, & per omnia diuina, & humana iura impotenter graſſere, ſed armorum tuorum vis & ratio tota eo ſpectauit, vt in belli multitudini ſacerdotibusq; & religioſis viris, alijsq; id genus ſubiectis tuis, digna profeſſione pax non deſit, & vt ea quæ per manus tradita accepiſti, non tantùm ſarta tectaq; conſeruare, verùm etiam quoad eius fieri maximè poſſet, ornare, & augere videâre. Hoc animo & conſilio ductus, Polotiam primùm deindè Velicolucum atq; ita & Pleſcouiam demùm oppugnare aggreſſus es poſteaq; tot literis legationibus & admonitionibus tuis cū grauiſſima teſtificatione deſiderij pacis, apud Magnū Moſcouiæ Ducem nihil eſſet profectum. Quæ omnia & quale initium ac progreſſum habuerint, & quo exitu terminata ſint, nullus eſt, vt opinor, in Oriētis & obeuntis ſolis & Aquilonis, Auſtriue partibus locus, ad quem fama, & lætitia earū rerum non peruenerit. Nam & Polociam, quam ſub Sigiſmundo Auguſto Rege, certa ſpe induciarum per literas facta, Magnus dux à Lituania auulſerat, in priſtinum ſtatum libertatemq; poſuiſti. & aliquot millibus hoſtium ad Socolum cæſis, orbi terrarum teſtatus es, illud eſſe bellum iuſtum, quod eſſet neceſſarium. illa arma glorioſa, quæ nō ad inno-

In expeditione prima anno 1579 Seren. Regis Poloniæ cōtra Moſc. ū.

Literæ pacis & legationes M. ſuæ Regiæ à Moſco non ſuſcipiuntur.

Poloteia capitur.

Moſ. ue circa Socolum cæduntur.

centis ſanguinis profuſionem. ſed ad ſui ſuorumq́; defenſionem: non ad inuidioſas opes minimeq́; ferendam potentiam. ſed ad Dei Opt: Max: cultum, gloriamq́; propagandam, Reges & Principes caperent atque conuerterent.

[illegible] Dei extruitur Poloſiæ.

Quòd tùm vel maximè patuit, cùm ad eius victoriæ monimentum, non ſtatuas vel trophæa, non mutū aut tacitum aliquid ſed domum orationis, ſacrarium pacis, templum Deo Opt: Max: Soietatis Ieſu extruxiſſes: vt cuius eſſet victoria. eidem daretur & honos & à quo profectum, eidem ferri acceptum beneficium videatur. Etenim multa multis. ſoli Deo Opt: Max: cuncta debentur.

In expeditione ſecūda Anno 1580. Velicolucū & cæteræ arces expugnantur

Tandem verò in ſequenti anno, contra hunc eundem Moſcum, ſubſecuta eſt expeditio tua altera Velicolucenſis, & multarum aliarum arcium expugnatione clariſſima, in qua quam longum & difficilè iter emenſus fueris, quomodo te erga captiuos geſſeris, & quid potiſſimum in eo ſpectaueris longum eſſet commemrare. Illud quidem non prætenibo, etiam in medio curſu, & quaſi ardore belli, à fide pacis conditionibus alienū te non fuiſſe:

Oratores vel potius expeculatores Moſc., in caſtra Regia admittūtur.

& Magni ducis Oratores (ſi Oratores & non ſpeculatores potius appellandi fuerant) in ipſa caſtra ad te admiſiſſe. Sed diem illos de die ducere, & nihil non ſimulatè agere cognitum eſt. Itaq́; capta & expugnata Velicoluco hoſtilibus copijs eis Turopeciam fuſis & fugatis, Veliſia Neuelia, Zauolotia, Iezeriſcia in poteſtatem tuam redacta, Vilnam reuerſus, & mox Varſouiam ad comitia profectus es.

Rex Varſouiā ad comitia reuertitur: Vbi vnanimi cōſenſu omniū ordinū Rex iterum in Moſcouiā proficiſcitur.

Quo vel legatos quoq́; illos ducere placuit, vt quid & illi poſtularent, & tu velles, & Reipub: expediret ab ordinibus regni cognoſceretur & decerneretur. Sed vix in illa tanta, non dicam ordinum, ſed hominnum multitudine aliquis reperiebatur, qui ijs, quas illi offerebant conditionibus acquieſcendum, & à bello deſiſtendum arbitraretur. Non obſcurè præſeferebant omnes Liuoniam prouinciam, pro qua bellum ſuſceptum & geſtum eſſet, ſub Moſcho recuperari oportere: & vel grauiſſimas

mas quaſq; difficultates, iacturas atq; detrimenta potius ſubeunda: quam vt nomine inſidioſæ pacis, pactio ſeruitutis Liuoniæ afferretur. Nec non tot præſtantium virorum militumq; caſus in bello, cum gemitu & lachrimis notabatur: ſiquidem omnium iacturarum iactura maxima hominum eſt, & videri debet. Quocirca in eam curam potiſſimum incubuiſti, vt tertiam belli expeditionem contra Moſcum, vel quam primum apparare potuiſſes, neque aut tenuitas ærarij, aut anguſtia temporis, aut tædium & ſacietas belli, aut itineris longitudo, à perſequenti hoſtis celeritate te retardauit. Duxiſti exercitum haud ſcio, an etiam quam ante florentiorem, copiarum numero, varietate gentium & nationum, vſu & exercitatione bellãdi planè mirandum: ita vt Pleſcouia, ad quam vis & ratio armorum tuorum conuerti inprimis debuerat, poſtquam Oſtrouia paucis horis oppugnata per deditionem eſſet capta breui etiam in poteſtatem tuam redigi poſſe videretur, & hac demum occupata, non modò Liuonia hoſti eripi, verùmetiam ad maiora audenda & molienda occaſio & materia præberi poſſet. Suſtine ſuſtine Rex, ſi Deus Opt. Max. ab imminenti interitu multitudinem conſeruauit eam, quam nec conſuetudo benignitatis, neque inditium clementiæ tuæ, cõtra furorem Martis, ſuperbiamq; victoriæ ſeruare fortaſſe potuiſſet. Hoc quidem tibi ademptum eſt nihil, quinetiam id, quod quæſieras, habes, & Liuonia pro qua bellum ſuſceptum geſtumq; abs te fuerat, potire. Nemoq; ſapiens culpæ potius, quam fortunæ, id iudicabit telum. Moſcis verò, quæ vnquam lætior illuxiſſet dies, quàm ea, qua præter ſuã omniumq; opinionem ſunt diuinitus ab interitu conſeruati? ſiquidem vitæ leticia quem naſcendi conditio certior ſit, ſemperq; fuerit. Oppugnauit olim terror ille gentium, tot molitor cladium, Aquileiam per triennium Solimanus Turca cum innumerabilibus copijs Viennam: Carolus Quintus Cæſar Mettim fruſtra tentauit. Quid?

In expeditione tertia anni 1581.

Oſtrouia capitur.

Pleſcouia oppugnatur.

num quod conatibus corũ euentus non reſponderint in eo quo tempori neceſſitatiq́; paruerant, & fortitudinis laudem ſecuti fuerãt protinus honorem & exiſtimationem concoxerunt ſuam? Minimè gentium. Magnorum enim hominum geſtas res, exitu metiri par non eſt, ſed iuſticia & æquitate. Et quanquam proſper & æquabilis ſine vlla offenſione bellorũ curſus in primis delectat, tamen neſcio quo modo aduerſis interdum caſibus in bello etiam illuſtramur: & non ſemper cùm volumus oblata, aliquando etiam deſiderata res magis nos recreat atque reficit. Quo magis hoc tuum Pleſcouienſe bellum glorioſum eſt, & videri poteſt, in quo nec tentatæ irruptionis infeſtus caſus, neq; alienum anni tempus, neq; multa alia incommoda de ſtatu mentis ſolitaq́; conſtantia animi te deturbauerunt. Quin etiam virtute & fortitudine tua talem exitum ſortitum eſt, qualibus iuſtitiæ & æquitatis radicibus, v.l indè ab initio innixum fuerat. Petijt tandem is abs te pacem, qui intra quadraginta annos nullas ad te literas daturũ ſe, miſſurumúe internuntium, paullo ante minabatur. Ceſſit Liuonia is, qui ne Liuonia inſereretur literis pacis, mentioue vlla de ea fieret, à legatis tuis ante omnia poſtulauit. Denique is qui tam glorioſè & magnificè & loqui, & ſentire de ſe multa auſus fuerat: quiq́; diffidens ſuæ, alienæ virtuti & amplitudini fruſtra inuiderat, ſupplex tibi eſt factus: & eas conditiones pacis poſtremò accepit, quas tot latebris fallaciarum, & miſſione legationum ſubterfugere videbatur. At quomodo id non faceret? tua Rex & celeritate apparandi, & ſcientia adminiſtrandi, & fortitudine continuandi belli, tuiq́; exercitus famis, frigoris, difficultatumq́; omnium, incredibili tolerantia adactus & compulſus? Quid enim per Deum immortalem exercitu illo laborioſum? Quid ad omnes difficultates & diſcrimina vitæ ferenda, obfirmatum magis fuit aut eſſe potuit. Equidem quoad per ætatem grauiſſimasq́; occupationes

Moſci elatus & tumidus animus ad petendam pacem impellitur.

patiiones

pationes licuit legi, & vidi aliquid, nec non meminiſſe poſſum ducum & exercitum multorum, quorum in omni genere belli gerendi, nobilitata eſt patientia, ita tamen ſtatuo, nec pabuli vel commeatus quærendi difficultate: nec longitudine viarum: nec intenſiſſimi frigoris magnitudine: nec ferocia & crudelitate hoſtium erga captiuos, vllius exercitus labores & pericula, cũ tuo poſſe conferri. Memorabilis illa eſt eritq́ſemper, Alexandri Magni militum perſeuerantia: quorũ opulentos Perſas inopia Græcos luxurioſos continentia: Indos deſides vigilantia: Caucaſum poſtremò ipſum, ſiti, labore, inedia ſuperauit. Ac ne vetera memoria repetere videamur, quàm graue & difficile bellum Caroli V. Cæſaris ad Alligerium: quàm moleſta & exitialis Metenſis obſidio fuerit, quis ignorat, vt tot tantorũq́; aliorum bellatorum, eorumq́; exercituum incommoda ſilentio tranſeam. Sed inter horum geſtas res, erit etiam, vt opiner, aliquid loci tuo, tuorumq́; nomini: & haud ſcio, an exercitus fortitudinem & conſtantiam legens & audiens tui, non aliquis obſtupeſcat. Quis enim media hyeme in media Moſcouia in caſtris vnquam permanſit? Manſit miles tuus. Quis in præduro & immenſis frigoribus concreto ſolo vallum tulit, corbes vimineos contexuit, munitiones exſtruxit? cuncta hæc miles fecit & perfecit tuus. Quis adeò totis, & tam longis, tamq́; intempeſtis noctibus hybernis excubias egit. egit miles tuus. Quis non modò cum hoſtibus, ſed etiam cum elementis ipſis pugnam ſibi deſumpſit. ſumpſit miles tuus. Ac breuiter, nullum difficultatum, nullum laboris, nullum tædij & patientiæ eſt genus, in quo non exercuerit exercitum tuum hæc bellorum abs te geſtorũ ratio aut conditio, ſiue quærendi victus & pabuli gratia longiſſimas profectiones ſuſceptas: ſiue tot manifeſta mortis & fortunarum pericula adita à tuis, quis conſideret: ſiue cum ferociſſima gente, varia eorum certamina, leuioraq́; prælia, & ex-

curſiones hoſtium infinitas intueatur, in quibus milites tui duce & authore te, ferè ſemper victoriam reportarunt. Ceſſit malitia iuſtitiæ: fraus & dolus veritati: temeritas rationi: furor virtuti: vis deniq; ipſa vi victa eſt: nec quo ſe contra te Moſcus iactet vel excuſet, habet. Fac Pleſcouiam irruptione tentatã, in poteſtatem tuam non veniſſe. Quid tum poſtea? Enimuero ignoramus optabilius eſſe, ſemperq́; fuiſſe, in hoſtili ditione armorum ſuorum vim & terrorem longè latèq́; proferre, quã vnius vel alterius expugnatæ ciuitatis mœnibus includi & mancipari: ita, vt ſi optio eligendi detur, capiendæ vrbis ſpe, nonnunquam excidere, quàm capta & poſſeſſa aduẽtui hoſtium opponere ſe non poſſe, malle videres non neminem, & quidem omnis belli gerendi & adminiſtrandi ratio difficilis eſt, capiendarum arcium & ciuitatum difficillima. Quid? & erit qui neſciat, in quanta trepidatione Moſchus fuerat, cùm tu hac eadem in bellum expeditione Pleſcouiam ipſe profectus, aliquam exercitus tui partem in pœnitiora Moſcouiæ Polotia dimiſiſſes. Quæ ſanè pars cum Chriſtophoro Radiuilo Caſtellano Trocen: duce, imitatore auitæ & patriæ virtutis ſingularis, maximis & difficilimis itineribus Stariciam prope veniſſet incredibilè dictu eſt, in quantam deſperationẽ Moſcus adductus fuerit, ſi quidem in fugam verſum biduò triduòue latuiſſe ſunt, qui aſſeuerent, ſuam certè filiorumq́; ſuorum coniuges, & ancillarum greges, cum amandauiſſe Staricia conſtat: quandoquidem non ſolùm de vaſtitate agrorum, tantisq́; ſuorum cædibus, ad ipſius aures conſtans & perpetua fama quotidie peruolaret: Sed adeò flammas & incendia à tuis excitata è feneſtra ipſe intueretur, & ſingulis momentis ijs adhuc deteriora cum metu & horrore expectaret. Hæc ſimiliaq́; vulnera, ac (quod horum non poſtremum eſt) perpetua illa conſcientiæ carnificina Magno Duci de pace cogitationem iniecerunt, cùm videret, ne ei quidem exercitus tui parti reſiſtere ſe

Dux ipſe Moſcouiæ præ nimio terrore in abdita ſpeluncarum loca detruditur.

re ſe potuiſſe: & in quo ſpem ponebat maximam, menſes aliquot effluxiſſe, quibus vel maximis illis frigoribus durantibus, vtique obſidio Pleſcouiæ non ſoluebatur. Quid de ſe futurum eſſet, ſi aut Pleſcouia caperetur, aut ea relicta in pœnitiora Moſcouiæ ingrederetur hoſtis, proſpiciebat animo: & tùm externum, tùm & internum malum magnopere verebatur: nempe morbi ÿ, qui in venis & viſceribus incluſi latent, quã qui apparent, ægrius curantur. Dimiſit ergò ad te internuntium, & vt pacificationis cum eo gratia, Legatos Zapolſciam mitteres, quo propediem eſſent venturi ſui, magnopere contendebat. Cuius tu poſtulatis, ne tui ipſius diſſimilis viderere, qui ſemper honeſtam pacem, vel exploratæ victoriæ, anteferre te velle teſtatus es, refragari nec potuiſti, neq́; debuiſti: præſertim cùm adeò Pon. Max authoritas eo quoq́; acceſſiſſet, qui à Moſco literis & legato habitis Antonium Poſſeuinum Societatis Ieſu ſacerdotem, maximis quibusq́; & grauiſſimis rebus rectè & ſcienter tractandis, inprimis probatum, ad te, & Moſcus ſuo nomine ablegauerat, & ad Chriſtianam pacem pater nè vtrumq́; hortabatur. Proindè biduo ante, quam ipſe ex caſtris diſceſſiſſet, miſiſti Zapolciam legationem ampliſſimam cum mandatis, non obſcurè præſeferens, ſi cauſa belli, quæ eſſet Liuonia à Magno Duce è medio non tolleretur, bellum etiam ipſum ceſſare non poſſe nec debere. Diſtat verò Zapolcia viginti propè à Pleſcouia milliaribus: via, qua Magni ducis inſtituto, equi ad celeritatem Nouogardia, Zauolociam & Velicolucum, alias diſponebantur. Cuius circumuicinam regionem omnem, magno & incredibili metu, hoſtibus incuſſo, miles tuus ita occupauerat, ut neſcio quo modo in media Polonia ſeu Lituania quàm in Moſcouia ipſa verſari ſecurius potuiſſet. Quo quidem ipſo Magni ducis legati, non nihil de ſe ſolliciti, ad locũ tractandæ paci deſtinatum aliquanto poſterius, quàm tui aduenerant, & Poſſeuinus, quaſpe & cupi-

Internuncius ad Regem de pace tractanda mittitur.

Ad quã acceſsit authoritas ſummi põtificis, per legatũ ſuæ ſanctitatis

Rex legatos Zapolciam mittit.

ditate conſtituendæ pacis exarſerat, ad eos profectus fuerat, vt nulla interpoſita mora, pacis tractatio ſequeretur. Id adeò cùm eſſet factum & varijs ſermonibus, atq; diſceptationibus, dies quamplurimi dati, tandem de Liuonia tibi reſtituenda, quæ ante omnia ab ijs poſtulabatur, mandata habere Moſci legati con. feſſi ſunt, & vt viciſſim arces aliquot, eo bello abs te occupatæ Magno duci concederentur, efflagitauerunt. Eſt Moſcis fides Græca. ſiue ritum & doctrinam. ſiue mores eorum ſpectes. Itaq; quidquid in quæſtionem diſceptationemq; ab eis veniebat, id diligenter verſare animo & circumſpicere cogitatione oportuit. Turpe namq; labi & decipi in iis, quæ mutare nunquam poſſis. Erat præterea memoriæ proditum, Ioannem magni iſtius ducis auum, ſub Caſimiro Poloniæ Rege, & Magno Lituaniæ Duce præter fœdus ictum, Magnam Nouogardiam poſſediſſe. Quæ alias libera & immunis per ſe ex pactione fœderis, à neutro eorum infeſtari & ſubigi debuerat. Huius verò filium, & iſtius patrem Baſylium, ſub Alexandro, Starodubum, ſub Sigiſmundo I. Regibus Smolenſeum, iuriſiurandi religione violata, occupauiſſe memorabant. nec non & ipſum hunc ſub Sigiſmundo Auguſto Polotiam. ſub Henrico Pernauiam, iiſdem artibus poſſediſſe. Quibus veſtigijs & quaſi impreſſis ſignis improbitatis atq; fraudis territus, vel legationis illius fidem ſuſpectam habere aliquis potuiſſet. ſed timidi & ſuſpitioſi cogitatio impedit ſeipſam, cùm maximè diſpicit & prouidet cuncta. Dandum erat temporibus aliquid: dandum rationi morique communi, cùm verum ſit illud, quod dicitur, millies licet homo fraudetur ab homine, vtiq; hominem cum homine viuere debere: dandus Pont. Max ſuus authoritati & poſtulatis locus: qui diuino nutu & poteſtate, in altiſſima ſpecula paſtoralis vigiliæ poſitus, per longiſſimam ætatem qua vixiſſet, maximarum rerum momentis, ad certam rationis normam toties ponderatis.

Tractatur de pace.

ratis, ampliſsimis legationibus pro Eccleſia obitis, & tot deniq; regnorum cladibus & mutationibus cognitis & perſpectis, nunc in hanc, nunc in illam partem Chriſtianæ Reipub. inferet oculos: & tanquam ſolers quidam prouidusq; nauarchus, Chriſtianos reges & principes in his procellis & tempeſtate, ad concordiam hortaretur. Neq; verò & fletu ipſo lachrimisq; legatorum Magni ducis vel ferreus aliquis commoueri non potuiſſet. Qui de cæde & interitu ſuorum, cùm aliquid inaudiſſent, (inaudiebant autem quotidiè) aut cùm ſuos captiuos duci & longè à patria auehi cernerent (quod cernebant ſæpiſsime) ſupplices manus in cælum tendere, et ad nomen pacis ſuſpiria geminare videbantur. Et horum quidem (vt opinio mea fert) fictè aut ſimulatè nihil. Quinetiã ſi quis riſus fuerat, fuerat à cordolio. Quis enim nõ ingemiſceret, tãta uaſtitate agrorum, exitio facultatum, direptionibus artium, cæde & interitu ciuium, euerſione patriæ, commotus & excitatus. Graue erat Moſcis Polocenſe bellũ: nemo eorũ non indoluit clade ſuorum ad Socolum. Velicolucenſi excidio quid miſerabilius fuit aut eſſe potuit? ad Turopecium ſuorum copias fuſas & fugatas, præcipuos viros captos, tot arcium præfectos, tãtam commeatus & apparatus bellici, omnis generis vim interceptam meminerant. Harum rerum excruciabat & torquebat eos recordatio. Hoc aut caſu grauius, aut conditione peius, aut iactura famæ & hominum, maius nihil eis videbatur. Quid verò de bello iſto Pleſcouienſi loquebar? dies me deficeret, ſi quot Moſci in excurſionibus ab vrbe cæſi: quot dum ſuis opem ferre conantur, per agros interfecti: quot capti quot in ſeruitutẽ abducti ſint, vel fuerint, commemorare velim. Nam & tùm, cùm in caſtris manebas, ferè ſinguli dies hoſtibus aut captis aut interfectis nouis gratulationibus celebrabantur. Poſt diſceſſum tuum Ioannes Zamoſcius regni Cancellarius, & exercituum tuorum Imperator, vir perpetuæ laudi & maximis muneribus

obeundis in Rep natus, tot hoſtibus captis, tot interfectis, tot continuis vigilijs fameq́; fatigatis. ſuam & exercitus tui perſeuerantiam ita probauerat, vt non modò legatis Moſcouiticis ad conficiendam pacem ſtimulo fuiſſe, verùm etiã vniuerſæ Moſcouiæ maximũ terrorẽ inieciſſe. & dici & videri queat: præſertim cũ Spitkone Iordano præfecto, vetuſtate generis. ſpectata virtute commendato certo militum numero, in pœnitiora Moſcoviæ immiſſo, agrisq́; vaſtatis, & hoſtium occiſis plurimis, armorum ſuorum vim & terrorem in ipſam Nouogardiam intuliſſet. Non igitur mirum eſt, aut videri debet, ſi vel legati Magni Ducis tantò deſiderio pacis & quietis, vt diximus tenebantur: & ipſe Magnus dux, conditiones eas, quas ſubterfugere aliâs viſus eſt tandem aliquando acceptauit. Non mirum ſi in Liuonia triginta quatuor arces, quas poſſidebat, tibi conceſſit. Non mirum ſi Derpatum ſibi & ditionibus ſuis adeò adiunctum, quæ prima belli Liuonici eius materia & quoddam veluti integumentum fraudis fuerat. poſt tot ſuas ſuorumq́; legatorum inficiationes, tergiuerſationesq́; interpoſitas, reddidit Non mirum ſi in Derpato ſeptuaginta & octo maiora tormenta bellica, & in omnibus arcibus, pene trecenta & deniq́; infinitum minorum bombardarum, apparatusq́; bellici vim & numerum, volens nolens, reliquit. Non mirum ſi tot & tam magni momenti captiuorum ſuorum liberationem conditionibus pacis non inſeruit. ſed quoâd eius fieri melius citiusq́; poſſet, vt quiſq; eorũ redimeretur non recuſauit. Non mirũ ſi Velicoluca Zauolotia, Neueliaq́; abs te redditis, & Pleſcouien caſtellis quibuſdam relictis, decennalem ferre pacem tecum non dubitauit Non mirum ſi primi belli trophæa & monimẽta tuæ victoriæ Polotiam Nieſczerdam, Cozianam, Socolum, Turouliam, Sithno, Suſſam Craſnum: ſi ſecundi Vſuiatam, Veliſiam, & Iezieriſcum. quas antea tenebat, cunctas in poteſtate tua reliquit. Non mirum ſi ſolitas

M. ſcus cedit Liuonia, relictis 34 arcibus cum tormẽtis maioribus & minoribus, alijſq; inſtrumẽtis bellicis, & apparatu.

Captiui redimuntur.

Pax decẽnalis certarum arcium cauſa feritur.

Arces præcipue per noſtros capta circa Regem relinquntur.

tas illas licitationes & poſtulationes ſuas, de Liuonicæ hæreditatis de Cazanij & Aſtracanij imperiorum titulis, tandem pòſt habuit & neglexit. Non mirum ſi Legatos ſuos (vt ex verbis eorum, cùm quid intemperantiùs loqui cœpiſſent, multò ſeſe admonentium, elici potuit) in dictis & factis ad moderationem eſt præter morem adhortatus. Non deniq; mirum, Græci ritus cùm ſit, atque adeò, cùm Rex ſacrorum quidam, ſimulq́; Imperator videri velit: & cùm pluſquam Regiam, & Pontificiam Maieſtatem, in veſtitu: conſeſſu, & reliquis præſeferens, admirabilis neſcio cuius poteſtatis & intelligentiæ rerum, diuinitus ſibi datæ & concreditæ, apud ſuos exiſtimationem certe quadam arte & diligentia tueatur: ſi à Pont. Max cuius nominis & gloriæ æmuli, leues & temerarij Græci ſemper ſunt & fuerunt, ad conſequendam à te pacem, fauorem & authoritatem, implorauit: & Antonium Poſſeuinum Pont. Max nomine miſſum, tanquam quendam arbitrum, iſtius pacificationis fieri permiſit. Quid enim illo ſtimulis conſcientiæ compunctum? Quid infelicitate miſerum? Quid voluntate perditum? Quid metu abiectum magis dici aut cogitari poteſt? Vetus eſt prouerbium: Nullam eſſe calamitatem ſolam. At hæ non vna aut altera: ſed conſpirarunt in Moſcum infinitæ. Vidit ille domi ſuæ proditorem: in caſtris deſertorem: ſociam thori repudiauit, liberos in omni turpitudine & ocio educauit. Sentit ſe eſſe ſuſpectum & odioſum ſuis, cùm & ipſe fuerit ſemper hoſtis ſuorum. Grauiſſimas habet inſidias eas, quæ latent in ſimulatione officij & aliquo vinculo ſanguinis vel propinquitatis. Præceps in furorem agitur, & nuper mortis filij eſt cauſa ſui. Reſtituit tandem vel inuitus Liuoniam: & cum Pruſſo neſcio quo, gentis ſuæ authore excogitato et confictó, Pruſſiæ ipſi adeò inhiaſſet, de qua ne verbum quidem apud ſe vllum fieri voluit: amiſit et Liuoniam Dei Opt. Max. iuſto iudicio, omninoq; admirando:

Moſcus præ nimio furore filium necat, facitque inuitus finē belli.

quippe qui appetit aliena, perdit ſæpe ea quæ æſtimat ſua: ſicuti tu etiam hanc tam nobilem prouinciam, quam ille ſemper dixit et duxit ſuam, ſepimentum Lituaniæ, decus et ornamentum Regni tui, tot diſtinctam caſtellis, refertam portubus, exaggeratam bonis omnibus, ex faucibus ipſius eripuiſti. Quæ ſi loqui poſſet, ita haud dubiè ad te verba faceret. Grates tibi ago Rex optime, quòd poſt tertium et vigeſimum annum, ex quo Moſcus libidine dominandi incitatus, me meaq; aggreſſus eſt, dextera tua forti, et non magis in bellis ac prælijs, quàm in pactis et promiſſis ſeruandis firma et laudata, ſublato metu et formidine belli, in priſtinam quandam dignitatis ſpem me reuocare dignatus es. Multa ego multis debeo. Sed vni tibi poſt Deum Opt. Max. acceptam fero libertatem. Præclarè olim Menardus, & poſt eum Albertus Epiſcopus, Chriſtianæ religionis & pietatis noſtræ authores, non deterius Bremem: hoc eodem nomine de me meriti ſunt & fuerunt. Grata Guilhelmi Cardinalis Mutinen. ex concilio apud Lugdunum habito, in has oras miſſi, apud me viget memoria. Sed enim decora & ornamenta omnium, ſitu iampridem obſita, ſqualore ſordida, tenebris vetuſtatis inuoluta, tu in priſtinam lucem & dignitatem poſuiſti: vt cùm multa illis plurima cruciferis, tibi demùm cuncta iure optimo debeamus. & ſicuti eſt iucundior valetudo ijs, qui graui aliqua infirmitate impediti & lecto affixi diu admodum iacuerunt. ſic & nos tantopere deſiderata per te verò libertate parta vehementiùs recreamur. Sit clara & commemorabilis Platembergij apud nos: ſit Haſencampij virtus qui ordinis Teuthonici Magiſtri hîc aliquando fuerunt, & maxima grauiſſimaq; bella pro cõmuni ſalute & dignitate cõfecerunt. Enimuerò ea, quæ tu pro nobis ſuſcipere & gerere voluiſti: & initijs læta, & progreſſu glorioſa, & exitu ſalutaria magis cenſentur, literis monimentiſq; noſtris inſerentur, ad memoriam poſteritatis

tranſmit-

tranſmittentur: quādoquidem vt & pater benigniſſimus, & bellator ſapientiſſimus à meis tectis & domicilijs, in hoſtiles agros armis conuerſis & prolatis, quod iampridem ſequutus, id aſſequutus es: vt ego à tot continuis bellis & calamitatibus reſpirare, & tandem nullam non gratiam à me tibi debitam, ſi non referre, atteſtari erga te poſſim. Sic olim vt virtus Moſis illuſtris & peruagata magis videretur, Populum Iſraeliticum ſeruire ſeruitutem in Aegyto Deus Opt. Max. voluit. ſic vt magnitudo animi Cyri eſſet clarior, Perſas à Medis graui dominatu opprimi contigit: ſic ad oſtendendam virtutis praſtantiam Theſei diſpergi aliquando Attenien. opportuit. ſic deniq; (vt ad me ipſa veniam) maximis & grauiſſimis malis affligi Liuoniam neceſſe fuerat: vt de tua preſtabili virtute, fortitudine, moderatione, iuſtitia, nulla vnquam vetuſtas obmuteſcat. Vicit nempe is, qui non inſolenter efferri victoria ſua, ſed cuncta aequitate metiri videatur: neq; cum Moſco immanitate ſibi certandum, ſed omni genere benignitatis, ſeipſum ſuperandum potiùs arbitraretur. En verò tibi bone vir ſuperbia & tyrānis tua: qua tumens & inflatus, neſcio quem non deſpicere pra te nuper videbare. Quin nec vides ipſe, tanquam alicui Polyphemo oculo vno, Liuonia, quo in diuerſas orbis terrarum partes proſpectabas, tibi adempto et euulſo: nimirum intelligis, quantas vires virtus habeat, et quàm longè melius fuerit, Hyeroni Syracuſano, cùm priuatus eſſet, quam Perſeo Macedoni, cùm Rex diceretur, eſſe ſimiliorem. Hic enim prater regnum, regale in ſe habuit nihil: ille non tàm regno, quam regnum eo, indigere videbatur. Cogita quantum interſit, inter veram et fucatam gloriam, et quomodo diligi, quàm metui preſtet: neq; ſuorum tantum, verùm etiam et externorum beneuolentia ad incertos temporum caſus, et bellorum exitus expediat obſeptri. terrent apud te veſtigia multos (vt aliquando dixit Poëta ille: intro ſpectantia nulla

retrò (et ferro geri rem, non ſemper aurum et argentum neruum belli eſſe, malo tuo experire. Deniq; ſi ſapis, cur non potiùs Ageſilaum, Tymoleonem, Dionẽ, quàm Nabidim quã Phalarim, quàm Dionyſium imitandum putes? ſat tuſq; eſſe viuere uitam Scipionis, quàm deſiderare principatum Cæſaris. Quorum enim aliquis imitatur mores eorum et exitum expectare debet. Vide quomodo Titus, Nerua, Traianus, Adrianus, Antonius, et Marcus apparitoribus, et doryphoris non egebant Romæ et rurſus, quomodo Calligulæ, Neroni, Vitellio, neque Orientis, neque Occidẽtis exercitus, opem ferre potuerint. Animaduerte Tyrannorum vim et potentiã corporibus noſtris eſſe perſimilem, quæ quoad bona vtuntur valetudine, latẽt in ijs incommoda ſingula: nec facilè morbum ægritudinemq; deprahendas: ſtatim verò vt grauior morbus aliquis incurrerit, et corpus aduerſa valetudine vexari incipit, omnia etiam minima cum doloris ſenſu maximo, repente commouentur et exitantur. Ad eum modum tyrannorum iniuriæ et contumeliæ proſperitate veluti velo obductæ, deliteſcunt: ſimul atq; increpuit bellum, aut ſeditio tyrannus corruit: neque quicquam violentum poteſt eſſe diuturnum. Sed quid ego te admoneam? et num humanitatem ab hominũ hoſte, ab immoderato modum, ab effreni diſciplinam, à barbaro expectem doctrinam? cur nõ potius ad te mea vnde initium cœpit ſe conuertit oratiò? Ego te Stephane Rex pro eo ac debeo, veneror et colo: neq; vllum præmium virtutis vllum inſigne honoris, vllum monimentum laudis eſſe fieriq; poſſe exiſtimo, quod tibi à nobis iure et meritò nõ debeatur. Tu ex ſeruitute in libertatem, ex profundiſſimis tenebris in lucem, à morte (vt ita dicam) in vitã me reduxiſti: tu calamitatẽ omnem et ſqualorem mihi ademiſti: tu et ſubſidia belli et ornamẽta pacis attuliſti. Paruit olim orbis terrarũ Romanis ſeruiuit Aſſyrijs ſubiectus fuit Perſis: at enim et Perſarũ diſciplina dignitate Aſſyriorũ, et humanitate

nitate Romanorũ videbatur tolerabilior cõditio ſeruitutis. Huic verò tam fœdo et impotenti domino, ſubiecta ſi fuiſſem ꝗ lucẽ ſolatij, ꝙ perfugiũ pacis quẽ portũ quietis ſperare poterã vel debebam in cuius regno nihil aliud quam flagitioſiſsima luxuria. quàm deterrima crudelitas. quam contumelioſiſsima ſuperbia: nihil aliud, quam dolor et gemitus perpetuus audiuntur. Ergò quàm maximas poſſim gratias tibi ago, Rex, maiores etiam habeo, eiusq́ beneficij tui, memoriam erga me, nulla vnquã inobſcurabit obliuio. Tu fac, vt ſicuti ſperamus et optamus fore, pace concordia, tranquillitate, et ocio per te & in te perfruamur. Hæc Liuonia, ſi poſſet, apud te hodie diceret. Quæ quoniam non poteſt, id à nobis tacita requirit, vt præſtãti virtute, rebuſq́ abs te geſtis optimorum olim Regum & Principũ memoriam in Polonia in animum nobis reuocemus et Lechos fortes, ſolertes Graccos Leſcones ſtrenuos ſapientes Cazimiros, audaces Boleſlaos, moderatos Iagellones in te vno contemplemur. Deumq́ Opt. Max cuncti precemur, vt eum, quem per omnes omnium honorum gradus ad regiam dignitatem extulit quem poteſtatis ſuæ participem in terris. adminiſtrum iuſtitiæ, authorem pacis exteris admirabilem, ſuis venerabilem. hoſtibus fecit formidabilem, bonis omnibus auctum, et florentem, et quam maximè diuturnum, et in omnes partes victorem eſſe, perpetuoq́ fieri, patiatur.

FINIS.



SPIRAE NEMETVM, EX OF-
ficina Typographica Bernardi Albini.
CIↃ. IↃ. LXXXII.

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HOC OPERE MEmorabilium.

A.

Abrenuntiatio in Baptiſmo Moſcis vſitata. 177.
Achatius Epiſcopus Conſtantinopol. Eccleſias turbat. 205.
Adagium Moſcorum. 13.
Adoratio Italica. 147.
Adorationis geſtus. 147.
Adulteriorum pœna apud Moſcos. 178.
Adus ſiue orcus. 117.
Aedificia Ruſſorum. 249.
AEtiopes Circūciſionem retinent & ſimul etiam Baptiſmum. 35.
Agatho Papa. 63.
Ageſilaus. 294.
Albertus Bremēſis Canonicus tertius Epiſcopus Rigenſis ordinem enſiferorum inſtituit. 274.
Aldad. 22.
Anabaptiſtæ in Polonia. 256.
Animarum transmigrationem Tartari credunt. 253.
Animas mortuorum neq; in cælo neq; in inferno eſſe. 233.
Anima ſeparata à corpore non eſt pœnis obnoxia. 233.
Animarum conditionem qualem Ruſſi eſſe ſtatuant. 232.
An Apoſtoli ſecum circunduxerint vxores. 155.
Anniuerſaria bina Moſcorum quo tempore fiant. 175.
Antichriſtus. 15.
Antichriſtus qui ſit. 76.
Antitheſis Chriſti & Antichriſti. 76.
Antichriſti doctrina & facta. 77. 78. 79. & 80.
Antichriſtiani qui. 80.
Antichriſti Imperij fundamentū iactum Anno Domini 1241 ſub

Hildebrando. 81.
Antiochenum Concilium. 200.
Antrimpus Deus. 258.
Apoſtoli quomodo à Moſchis honorentur, & inuocentur. 43.
Qui veri Apoſtolorum ſucceſſores ſint. 21.
Apoſtoli ſunt in cœlo. 26.
Apoſtolos Moſci venerantur. 183.
Apoſtolicæ traditiones. 73.
Apoſtoli & doctores Eccleſiæ cur honorandi. 120.
Aquam luſtralem quomodo Ruſſi conficiant. 267.
Archiepiſcopi Moſcouitarum ſedes. 170.
Arnobius. 146.
Armenij. 250.
Arrianam hæreſin eſſe Moſchus dicit: credere Deum Patrem propter meritum Filij nos in gratiam recipere. 45.
Artenius hæreticus. 206.
Armeniorum metropolis 250.
Aſecutus Deus incolumitatis & morborum. 259.
Aſſumptio Mariæ. 137.
Aſturcenſes. 250.
A.S. Andrea Ruſſi fidem Chriſtianam ſe accepiſſe iactant. 226.
Abgarus. 128. & 134.
Auguſtinus de ſacrificijs ad tumulos defunctorum, & libationibus 264.

B

Baculis pro mitris vtuntur Epiſcopi Moſcici. 172.
Bagdanus Bielſcius nobilis Moſcus ad Regem Poloniæ profugit. 253.
Baldus in l. ſi tibi filius ff. de adop. ineptit. 160.
Baptiſmus in acetabulo apud Ruſſos 191.
In Baptiſmo tolli peccatum. 40.
Baptiſmum non ſpernũt Moſci. 176.
Baptiſmi infantium neglectũ quomodo Moſci puniant. 176.
Baptiſmi apud Moſcos non niſi ſacerdotio. adminiſtrandi etiam tempore neceſſitatis datur copia. 176.
Baptizandi ritus apud Moſcos. 176.
Baptiſmi Sacramento quomodo Rutheni vtantur. 231.
Baptiſmi apud Ruſſos materia & forma. 193.
Baptizandi mos apud Ruſſos. 240.
Barbas radere mortale peccatum apud Ruſſos. 195.

Baſ-

Baſtrucæ Erdtmeimlin Dij ſubterranei. 269.
Baſilienſe Concilium Bohemis & Morauis Calicem Domini concedit. 93.
Baſylius primus cœlibatus anthor 157.
Baſylij Cæſarienſis miraculum. 27.
Bernhardi victus & dieta. 167.
Bertoldus Ciſtertienſium Abbas ſuccedit Mainardo in Epiſcopatu Rigenſi. 274.
Bertholdus Schwartz Franciſcanus Magiæ & metallariæ peritus Bõbardas inuenit. 165.
Bigami qui Moſcis ſint. 133.
Blondus. 148.
Bohemorum fratrum ſententia de Cœna Domini. 115.
Bohemi quando ſint facti Chriſtiani. 63.
Bohemorum Apologia qualia ieiunia approbet. 105.
Bohemorum fratrum miniſtri pleriq; cœlibes. 157.
Bombardæ à quo & quando inuentæ. 165.
Bombardæ vbi inuentæ. 165.
Bonifacius octauus. 63.
Bruſchius. 158.

C

Calici Euchariſtiæ rubrum vinum infundunt. 175.
Calicibus, & ſcutellis plumbeis in adminiſtratione cœnæ Dominicæ vtuntur Ruſſi. 239.
Calicibus ligneis vtantur in adminiſtratione cœnæ Ruſſi. 192
Campanas Tartari auerſantur. 251.
Canes pluris quam homines æſtimãtur apud Ruſſos. 247.
Canon miſſæ. 111.
Canones miſſæ diuerſi. 112.
Canonica ſcripta in Biblijs quæ Moſci eſſe credant. 182.
Cantica Moſcorum. 119.
Carnibus die ſabbathi veſci Gregorius in Concilio Romano primus interdixit. 159.
Caro Chriſti certo in loco ſemper eſt. 25.
Caroli quinti expeditio in Lybiam. 285.
Caſimirus Wladiſlai filius. 161.
Caſtorum venatio. 248.
Caſtitas in matrimonio. 156.
Caſtitas monachorum. 158.
Caſtrenſis luis medicatio. 246.
Catholica Eccleſia quæ ſit. 4.
Cauſæ imaginum. 144.

Cerorum vſus apud Moſcos. 181.
Ceſtochouienſes monachi. 136.
Charitatẽ in hæreticis non eſſe. 218.
Cherubin cur facta. 135.
Chriſtus non præcepit ſolitariam & monaſticam vitam. 162.
Chriſtus non fuit ocioſus etiam in iuuentute. 162.
Chriſtus aratra fecit, & tractauit. 162.
Chriſma cõſecrandi poteſtatem ſoli Patriarchæ ſuo tribuũt Ruſſi 190
Chriſtiana religio non eſt hæreſis. 169.
Chriſma & olei cõfectio apud Moſcos. 171.
Chriſtum ſequi quid. 162.
Solus Chriſtus voluntati Diuinæ ſatisfecit. 49.
Chriſti Epiſtola ad Abgarum. 134.
Chriſtus vnicus mediator, redemtor iuſtificator noſter. 55.
Chriſtus nullum habet collegam in officio redemtionis. 56.
Chriſtiani cur ſabbathum nõ obſeruent. 61.
Chriſtus non Papa paſtoribus Eccleſiæ munus docendi confert. 82.
Chriſtus nihil reticuit. 73.
Chriſtophorus Radiuilus. 286.
Chryſoſtomus approbat imaginum cultum. 132.
Circaſsij. 250.
Circunciſionem Tartari retinent, attamen diuerſa ratione ab Hæbreis. 252.
Cœna Dominica quibus temporibus populo adminiſtretur apud Moſcos. 176.
Cœnæ Dominicæ inſtitutioni ab hominibus adiecta. 111.
Cœlibatus caſtus ſingulare Dei donum eſt. 154.
Coboli Spiritus lares domeſtici. 260.
Coboli quomodo ſeſe in domibus habitare declarent. 260.
Concilium Florentinum. 159.
Concilium Florentinum damnauit ſimoniacos, & fornicarios Epiſcopos. 159.
Conciliorum decreta Moſcouitæ non vocant in dubium. 170.
Concilium Epheſium primum. 201.
Concilium ſub Adriano Papa. 229.
Concilium Chalcedonenſe. 203.
Concubinatus Sacerdotum pœna. 173.
Conditiones pacis inter Stephanum Regẽ Poloniæ, & Iohã. Baſiliadẽ, Moſcum facta An. 1582. 276.

Condi-

Conditiones pacis Moſcho à Rege Poloniæ latæ. 254.
Confeſſio quomodo fiat à Moſcis coram ſacerdote. 178.
Confirmationis ſacramentum Ruſſi non habent. 232.
Confitendi mos apud Ruſſos. 267.
Confirmatio. 177.
Confirmationis ritus apud Moſcos. 171.
Confirmationis ſacramentum Ruſſi contennunt. 191.
Conſecrant Moſci alio modo quam Romana Eccleſia. 182.
Conſecratio ſacramenti per ſacerdotes non eſt Apoſtolus tradita. 115.
Conſtantinopolitani imagines coluerunt. 139.
Conſtantinopolis capta. 217.
Conſtantinopolis expugnata. 101.
Conſtitutiones Eccleſiaſticæ multiplices. 29.
Cõuiuiorum funebrium ritus apud Ruſſos. 245.
Cœnam Dominicam porrigunt pueris trium annorum Sacerdotes Ruſſici. 241.
Crucem portare quid ſit. 162.
Crux Euangelica. 44. & 57.
Cucullos Ruſſici ſacerdotes ignorant. 340.
Cucullum induere nõ eſt ſequi Chriſtum 162.
Cur Chriſtus homines ſit indicatu- ſecundum opera. 2.
Curnenſes Putei. 93.
Czar gloria Chriſtus. 115.

D

Damaſcenus imaginum preco. 134.
Damianus à Goes. 36. & 123.
Daniel printz. 114.
Decem præcepta Moiſis retinent Moſci. 182.
Deus tribus rebus colitur. 143.
Deus Romanum imperium conſtituit. 110.
Dei inſtitutis nihil addendum. 110.
Solus Deus colẽdus inuocandus. 55.
Dei dona noſtra merita 58.
Decimæ apud Moſcos cedunt Epiſcopis. 172.
Decima Græcorum diuiſio. 210.
Deformes abuſus Eccleſiæ. 92.
Deorum ſubterrareorum ſacrificia apud Sarmatas. 260.
Deſcenſus Chriſti ad infernos. 120. & 122.
Diabolus hominem decepit. 54.
Diabolum ſi pœnitentiam ageret

poſſe per Chriſtum veniam conſequi. 48.
Diaboli colloquium cum S. Martino. 48.
Diaconi non niſi cõiugati, & in matrimonio viuentes conſecrantur apud Ruſſos. 227.
Diana Epheſina. 156.
Dies humanus:tempus hominis. 20.
Dæmonia meridiana Ruſſorum 246
Dij Tartarorum. 252.
Dies Dominicus cur Chriſtianis ſit ſacer. 61.
Didacus Couarruuias Hiſpanus. 104
Differt Miſſa Moſcouitarum à Latinorum. 17?.
Dignitas hominum in Deo eſt. 54.
Diligere Deum, & proximum quid. 35.
Dion. 294.
Diſpenſationes & ordinationes Eccleſiaſticas Ruſſi deſpiciunt. 191.
Diuortia apud Ruſſos frequentiſsima eſſe. 197.
Diuerſi Canones Miſſæ. 112.
Diuerſitas opinionum inter doctores non obeſt veritati. 31.
Diuortia apud Ruſſos creberrima. 279.
Diuortia quomodo fiant apud Ruſſos. 279.
Doctores Eccleſiæ honorandi. 41.
Quomodo. 43.
Doctrina Dæmonum eſt prohibere nuptias. 161.
Doctores corda hominum ſiue auditorum ſuorum, non illuminant, ſed SS. 52.
Doctores veri non ex titulis ſed fructibus agnoſcuntur. 19.
Doctores quos Ruſſi ſequuntur. 250.
Dogmata Monachorum hæretica. 164.
Dominicis diebus Ruſſi populo fabulas prælegunt. 236.
Dorſi dolorum medicina. 246.
Dæmon vndè dicatur. 143.
Duo poſteriora præcepta Decalogi, de non concupiſcendo malè diſiunguntur. 62.
Duodecima & vltima Græcorum diuiſio à Rom. Eccl. 217.
Duna ſiue Dzvia Liuoniæ fluuius. 273.

E

Ebrietatis mala. 210.
Eccleſia vrbi captæ ſimilis. 95.
Eccleſia, non ſolus Petrus habet poteſtatem ligandi & ſoluendi. 24.
Eccleſia Romana doctores non profitentur

ſitentur veritatem. 188.
Eccleſia nunquam caruit Imaginibus. 132.
Eccleſiam Græcam à Romana damnatam. 4.
Eccleſiæ Moſcorum orationum domus dictæ. 180
Eccleſia Romana non eſt princeps & rectrix aliarum. 188.
Eccleſiæ Patriarchales in Oriente quatuor. 199.
Eccleſiæ Romanæ obedientes nō ſunt veri Chriſtiani. 188.
Eccleſiarum ornatus. 145.
Eccleſiam diu abſq; Imaginibus fuiſſe. 145.
Eleander. 16.
Electorum Dei ante Chriſti aduentū apud inferos cruciatus. 119.120.
Embecus Liuoniæ fluuius. 273.
Enſiferorum ordo à quo, & quando inſtitutus. 274.
Epiphanius Cypri Epiſcopus Imaginem concerpit. 132.
Epiphanius de Imaginib. 145.
Epiphanij Electio. 132.
Epiſcopi doceant & paſcant oues, nō regnent. 149.
Epiſcopi miniſtri non Domini ſunt. 149.
Epiſcoporum apud Moſcos ornatus. 172.
Epiſcoporum nouorum mos. 204.
Epiſcopi Moſcorū villas, & caſtra poſſident. 172.
Epiſcopi plures in Moſcouia. 170.
Epiſcopi viſitatores. 19.
Epiſcoporum vicarij & officiales apud Moſcos. 171.
Epiſcoporum in Ruſſia ueſtitus. 227.
Eraſmi Roterodami teſtimonium de Luthero. 88.
Eraſmi Roterodami de Luthero iuditium. 16.17.
Eraſmus de Monachis. 163.
Eremitarū Priſcorū diſciplina. 167.
Eremitæ Priſci. 166.
Eremitarum cum Monachis nulla collatio. 166.
Euangelia ſi nō fuiſſent ſcripta, quomod. verbum Diuinum potuiſſet intelligi. 42.
Euangelicos non eſſe hæreticos. 13.
Euangelium pœnitentiam requirere teſtatur confeſſio Auguſtana, & quomodo. 57.
Euchariſtiā in defectu vini Ruſſi ſucco pomorum celebrant. 191.
Euchariſtiæ panem quomodo Ruſſi conſecrent. 231.

Euangelium quibus temporibus, & diebus annunctietur plebi à ſacerdotibus. 174.
Euchariſtiæ vſus apud Ruthenos 268.
Euchariſtiæ ſacramentũ pueris exhibetur. 183.
Eucratitæ. 155.
Euſebij Nicomediẽſis & Antiochenſis dogmata. 200.
Eutyches. 13.
Eutychetis error. 202.
Examen ſacerdotum apud Moſcos. 172.
Exempla varia de imaginib. 128.
Excommunicationis ritus apud Moſcos. 183.
Execrationes creaturarum non eſſe prohibitas in verbo Dei. 183.
Exercitus Polonici commendatio. 285.

F

Fabula de Chriſto obuiam facto B. Mariæ matri. 236.
Feſta quatuor ſolemnia cum Romana Eccleſia celebrant Moſci. 182.
Feſta Mariæ virginis apud Moſcos. 174.
Feſta Ruſſorum. 229.
Furta quomodo apud Ruſſos puniãtur 196.
Fides mortua. 3.
Fides in malis promiſſis non ſeruetur. 160.
Fides à Græcis ad Romanos deriuata. 217.
Fides ſi ſana non ſit, non poteſt inde iuſtitia eſſe. 218.
Filius Dei declarabit quinam ſint orthodoxi, qui pro hæreticis. 169.
Flaccius illyricus. 158.
Fluuij Roſſorum. 250.
Flauianus in carcere ingulatur. 202
Frãciſcus Petrarcha de Eccleſia Romana, & Roma. 83.
Fratrum Bohemorum ſententia de deſcenſu Chriſti ad inferos. 123.
Fridericus Barbaroſſa. 148.
Fructus coactæ caſtitatis. 158.
Funebria conuiuia Ruſſorum. 245.
Funerum ritus apud Tartaros. 253.
Funerum ritus apud Ruſſos. 243.
Funerum ceremoniæ apud Ruſſos. 233.

G

Gangrenſis Synodus permitit Sacerdotibus coniugia. 228.
Gardæotes nautarum Deus. 258.
Georgius Caſſander. 146.
Georgij Sabini Elegia ad Bembum de

de ſacrificio capri, & anguium cultu. 257.
Gentilium ieiunia. 101.
Genicularí & adorare idem eſſe. 141.
Gilbertus Cognatus. 112.
Gilbertus Gennebrardus. 15.
Gottia Orientalis. 273.
Gottfridus Viterbienſis 159.
Gradus conſang. & affin. in contrahendis matrimonÿs apud Moſcos. 177.
Gradus pœnitentiæ, & ſatisfactionum modi apud Moſchos. 180.
Græci Ienuenſium auxilio imperium recuperant à Latinis. 214.
Græci mendaces & ſuperſtitioſi. 136.
Græci qualia aduerſus Romanam Eccleſiam ediderant. 220.
Græcorum diuiſio à Romanis prima. 199.
Græca fides. 288.
Græci duodecies à Romana Eccleſia defecerunt. 198.
Græci à Gallis & Venetis victi Imperium amittunt. 214.
Græci Symbolum Latinum ſuſcipiunt. 215.
Græcia defecit à Papa Romano. 211.
Græcæ Eccleſiæ concedunt Sacerdotibus coniugium. 9.
Groſſus Polonicus. 89.
Guicciardinus de Luthero. 91
Guilelmus Cardinalis Mutinenſis 292.
Gymnaſium nullum per totam Moſcouiam eſt. 69.

H

Harduicus Bremenſium Epicopus 274.
Haſencampius. 292.
Hæreticus quis hodie & quis olim. 168.
Hæretici charitatem non habent. 218.
Hæretici humilitatem non habent. 218.
Hæretici ſcripturas deprauant. 81.
Hæreſes in Polonia præſertim Ebionitica. 49.
Hæreſes in Eccleſia Chriſti ſemper fuiſſe. 31.
Hæreticus quisnam. 13.
Helpis. 110.
Helcheſaitæ. 136
Haluetiorum de ieiunÿs ſententia. 104.
Henricus ſeptimus. 114.
Hermanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 129.
Hiſtoria de Abgaro. 128

Hiſtoria Tripar de Monachis. 163.
Hiſtoria belli Moſcouitici ad ocium deducti die 15 Ianuarij An. 1582. 270.
Homicidij pœna apud Ruſſos. 247.
Homines quales natura ſint. 49.
Hominem operibus ſaluari Moſchi contendunt. 38.
Horas Canonicas Sacerdotes Ruſsici non dicunt. 194.
Horologijs ſciothericis Ruſſi carent. 237.
Hyero Siracuſanus. 293.

I

Iacobi & Pauli Conciliatio de operum iuſtificatione. 38.
Iacobus Spinula. 148.
Iconomachi. 207.
Ieiunia Chriſtianorum, 6.
Ieiunium duplex. 6.
Ieiuniũ in abſtinentia conſiſtere. 6.
Ieiunij quadrageſimalis tempus à Moſcis religioſe obſeruatur. 179.
Ieiunia iuxta conſenſum Auguſtanæ confeſsionis. 105.
Ieiunia iuxta Bohemorum Apologiam. 105.
Ieiuniorum tempora quæ Moſci obſeruant. 179.
Ieiuniorum variæ ſpecies apud Moſcos. 179.
Ieiunium Petri. 266.
Ieiunium D virginis. 266.
Ieiunium Philippi. 266.
Ieiuniorum ſpecies. 99.
Ieiuniorum vſus. 100.
Ieiunia Turcarum. 101.
Ieiunia apud Ruſſos creberrima. 241
Ieſuitæ Cornuti quo auctore prodierint. 165.
Ieſuitæ Tartaros ad fidem Chriſtianam conuertere debebant. 252.
Ieſuitis Rex Poloniæ templum Polotiæ extruit. 282
Ieſuitæ herbæ malæ citò creſcentes. 166.
Ieſuitarum patroni & promotores. 166.
Ieſuitarum conatus. 166.
Ieſuitarum hypocriſis. 166.
Idololatra punita. 144.
Ignis perpetuus in Samogitia ſicut apud Perſas Orymaſda. 261.
Indulgentiæ Moſcorum. 182.
In ieiunijs Ruſſi etiam piſcibus non veſcuntur. 195.
In quibus Ruſſi à Romana Eccleſia diſsideant. 220.
In malis promiſsis reſcindenda fides. 160.

180.
Interceſſio Sanctorum & Apoſtolorum. 119.
Iohan. Wicleuus. 16.
Ioannes Faber. 114.
Ioannes Papa vniuerſalis titulum vſurpat. 205.
Ioannes de Rupeſciſſa predixit Monachatus interitum. 164.
Ioannes Zamoſcius. 289.
Ioannes Rochizana Bohemorum concionator. 94.
Iodocus Chlichtouens 15.
Iodocus Decius. 16.
Io. Gualbertus. 139.
Imagines Iudæi non adorarunt. 135.
Imagines Dei Pontificij perdũt. 135.
Imagines eſſe Idola. 133.
Imago & Idolum idem ſunt. 133.
Imago B. Mariæ in Moſcouia ſponte facta. 129.
Imaginum differentiæ. 129 & 130.
Imagines cur non adorandæ. 7.
Imagines nullæ in templis Chriſtianorum aliquot ſeculis poſt Chriſtum natum fuerunt. 8.
Imaginum origo à Seruch. 129.
Imaginibus Eccleſia nunquam caruit. 132.
Imaginum cultus apud Moſcos. 180.
Imaginum cauſæ. 144.
Imaginum origo. 140.
Imago Florentina. 139.
Imaginum vſus in ſcripturis nuſquam eſt interdictus. 181.
Imagines Diuinæ. 130.
Imagines quales Ruſſi venerentur 189.
Imaginum veneratio. 125.
Imaginum abuſus quando creuerit. 146.
Imperator Papæ equiſo. 211.
Imperium ex Oriente in Occidentẽ redit. 214.
Imperatores εἰκονόμαχοι *& quidam alij pij homines.* 147.
Impoſitio manuum ſolis Epiſcopis conceditur apud Moſcos. 177.
Immerſio trina, tinctio, & aſpertio apud Moſcos indifferens. 176.
Indocta garrulitate nihil difficilius 121.
Infames qui dicantur. 218.
Informa & materia Baptiſmi Ruſſi ab Eccleſia diſcrepant. 193.
Infernus. 122.
Infinitæ calamitates ſubito Moſcum obruunt. 291.
Interceſſiones ſanctorum non eſſe inanes. 131.

Inuocatio Sanctorum ſpecies idololatriæ præcipua. 109.
Irene impia Regina. 208.
Iſiodorus Metropolita Kiouienſis à Ruſsis indigne exceptus. 186.
Iſidori canon. 160.
Iſidorus. 170.
Iſidorus Metropolitanus Ruſsiæ. 230.
Iſraëliticæ, & Romanæ Eccleſiæ collatio 70.
Iter Sabbathi. 74.
Iudæorum Sententia de miraculis Chriſti. 25.
Iudas Taddæus. 128.
Iuſticia aliena nobis ad ſalutem opus eſſe. 35.
Iuſti per Chriſtum ab orco liberati. 117.
Iuſtificatio hominis coram Deo. 2.

K

Kiouia ſedes Metropolitani Ruſsici. 225.

L

Laicis nulla datur poteſtas in praſbyteros animaduertendi apud Moſcos. 171.
Lambertus Aſſaſunburgenſis. 15.
Latinæ Eccleſiæ errores. 221.
Latina Eccleſia verſutiſsima. 68.
Laurentius Ciſcouius Anabaptiſtarum in Polonia Superintendens. 256.
Leo Pontifex cur Indulgentias in Germania promulgarit. 91
Leges & iudicia Ruſſorum. 247.
Leonardus Ghiēſis. 101.
Leopolis Armeniorum metropolis eſt. 250.
Lex Moralis perpetua eſt. 34.
Legis Moralis definitio. 34.
Chriſtiani à Lege liberati quomodo & quatenus. 34.
Liberi arbitrij homo ſecundum Moſchos. 37.
Libo Dux Italus à quo Liuones & Liuonia. 272.
Libri S. ſcripturæ quibus Ruſsi vtuntur. 236.
Literæ Lutheri ad Maguntinum Cardinalem. 87.
Liuonia vndè dicta. 272.
Liuones quando ad Chriſtianam religionem ſint conuerſi. 274.
Liuoniæ ad Regem Stephanum gratiarum actio. 291. 292. 293. 294. & 295.
Liuoniam recipit Poloniæ Rex Stephanus. 276.
Liuonum primus concionator. 273.

Li-

Liuoniæ deſcriptio. 273
Linguæ in Liuonia diuerſæ quinq; 273
Liuoniæ ciuitates primariæ quatuor 273.
Liuoniæ fluuij. 273.
Librorum Euangelij veneratio apud Ruſſos. 228.
Lingua patria apud Ruſſos ſacra peraguntur. 239.
Loyolas Hiſpanus Ieſuitarum primus auctor. 165.
Lucas non fuit pictor. 136.
Lucidus. 158.
Lucæ pictura. 139 & 134.
Ludi Ruſſorum. 247.
Luis Caſtrenſis medicatio. 246.
Lutherus. 14.
Lutherus à quo vocatus 84.
Lutherus non corrupit doctrinam Chriſti. 16
Oſtendit vitia Rom. Eccl. ibidem repurgat doctrinam. 18.
Lutherus coactus repurgauit doctrinam 70.
Lutherus quãta præſtiterit hiſce ſeculis. 124.& 125.
Lutherũ Monachi produxerũt. 165.
Lutherus Decretales comburit. 90.
Lutheri Etymon. 14.
Lutheriani Epiſcopi an rectè & legitimè vocati 20.
Luth. vbi natus quibus parent. 14.
quo tempore mortuus. 15.
Lutheriani à Catholica Eccleſia nõ defecerunt. 4.
Latinam Eccleſiam à Catholica diſceſſiſſe. 4.
Lutheri duo magna peccata. 17.
Lutherus de ſeipſo ad Regem Angliæ 17.
Lutheriani truculenti. 19.
Lydorum templum ab Apoſtolis cõditum. 128.
Lyturgia Moſcouitarum. 175.
Liturgia. 107. & 110.
Liturgia Moſcorum. 114.
Liturgiæ Bohemicæ & Moſcouiticæ collatio. 113.

M

Macedonius. 200.
Marcoppilus Deus magnatũ. 269.
Magiſtri nomen Alberto Marchioni Brandeburgico in Pruſſia ademtum. 275.
Meinardus à Zigenberg primus Liuonum concionator. 273.
Mala conſilia mutanda. 160.
Maqueda Regina AEthiopum. 36.
Maria virgo, nulla ſua dignitate,

Rr 3

ſed gratia Diuina eſt Electa. 53. & 54.
Maria beata quia credidit. 54.
Mariæ virginis veneratio. 42.
eiuſdem inuocatio. 43.
Per Mariam Deo nos reconciliatos eſſe Moſci putant. 42.
Maria obijt. 137.
Maria mediatrix ſalutis hominū. 130.
Maria cur virgo, & mulier dicatur. 157.
Mariæ imago in Polonia. 136.
Maria Lorettana. 137.
Mariæ virginis reuerentia apud Moſcos. 174.
Martionitæ. 155.
Martinus Bielſcius. 60.
Maſſæus de indulgentijs, & Luthero. 89.
Matrimonium duo dirimunt tā tùm. 156.
Matrimonia Moſcorum. 177.
Matrimonij contrahendi ratio apud Ruſſos. 241.
Matthias Miechouienſis. 161.
Matrimoniorum contrahendorū mos apud Ruſſos. 270.
Matrimonio Sacerdotibus interdictum. 159.
Marinus. 16.
Medad. 22.
Medicamentum anodynum contra dorſi dolores. 247.
Memoria Sanctorum. 43.
Memoriam Chriſti fieri non poſſe abſq; Liturgia. 108.
Merces piorum gratuita. 57.
Merita noſtra Dei dona. 58.
Metropolitani Ruſsiæ quomodo eligantur. 226.
Metropolitanus Ruſsiæ & Moſcouiæ olim vnus fuit. 225.
Metropolitæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Monachi carnibus perpetuò abſtinēt in Moſcouia. 227.
Michalo Lituanus. 102.
Miniſtrorum Euangelicorum officium. 21.
Miſſæ S. Georgij apud Moſcos deuotio maxima. 174.
Miſſam vnicam in die Ruſſi celebrant. 194.
Miſsio Filij. 45. 46.
Miſſa pro quacunq; neceſsitate. 112.
Miſſæ quomodo peragantur apud Ruſſos. 230.
Miracula falſa ad quid fiant. 139.

Miracula

Miracula Ethnica ad idola edita. 138.
Miracula cur hodie non fiant. 6.12.
Miraculum ad ſepulchrum Abbatis Sergij. 172.
Miracula quæ hodie fiunt in noſtris Eccleſiis. 30.
Miracula falſa Eccleſiæ quantum noceant. 31.
Miſſæ Canones diuerſi. 112.
Monachi mendicantes. 164.
Monachatus interitus. 164.
Monachi. 9.
Monachi vxores duxerunt. 158.
Monachorum varij ordines ſubinde excogitati. 164
Monachus bombardæ inuentor. 165
Monialibus apud Moſcos nubere denegatum. 173.
Monachi non ſunt cibo digni 163.
Monachi in India vxores habent, & laborant. 163.
Monachorum impudentia impulit Lutherum vt ſcriberet cõtra Indulgentias. 88.
Monachorum Priſcorum diſciplina quomodo degenerarit. 167.
Monachi Priſci. 165.
Monachorum in Ruſſia diſciplina. 227.
Monachis vxores ducere non conceditur apud Moſcos. 173.
Monachorum veterum victus. 165.
Monaſticæ vitæ authores Apoſtolos Moſcus ſomniat. 153.
Moneta Ruſſorum. 250.
Monaſterium non procul ab vrbe Moſcouia 300. fratrum Baſilij Magni. 172.
Mortuorum ſtatus ante Chriſtum natum ſecundum Moſcos. 36.
Moſcorum & Romanorum in conſecratione Sacramenti diſſenſio. 182.
Moſci deteſtantur Idolorum cultũ. 127.
Moſchi quomodo excipiant Latinæ Eccleſiæ homines. 60.
Cur Moſci exiſtiment Sanctos mortuos eſſe inuocandos. 124.
Moſci ſalaces & libidinoſi. 161.
Moſcus peruertit ſcripturas. 47.
Moſchorum ieiunia triplicia. 13.
Moſcouiæ amplitudo. 69.
Moſcus in abdita ſpeluncarum loca detruditur. 286.
Moſchi crudelitas. 56.
Moſchorũ de ieiunio ſententia. 98.
Moſcorum vicia. 64.
Moſcouiæ Archiep. & Epiſcopi 226

Moſcus cogitur pacem petere. 284.
Moſci elatus animus. 284.
Moſci Græcis ſimilimi. 288.
Moſcouitarum & Latinorum Miſſæ diſcrepantia. 175.
Moſcouitæ vtuntur pane fermentato in miſſa. 175.
Moſci quomodo Liturgiam celebrēt 114.
Mortuorum per Chriſtum ex Ado liberatio. 117.
Moſcouitæ Patrum decreta rata habent. 170.
Moſcouitarum Archiepiſcopi ſedes in vrbe Moſcouia. 170
Moſcouitarum Epiſcopi & Archiepiſcopi in perpetuum ab eſu carnium abſtinent. 172.
Moſcus ſuas vxores detrudit in Monaſteria. 167.
Moſchi oſſa ſanctorum mortuorum venerantur. 57.
Moſcus cedit Liuonia. 290.
Moſcus decennalem pacem Cum Rege Poloniæ facit. 290
Moſcus concedit Polono plures ciuitates. 290.
Moſcus filium ſuum necat. 291.
Moſcus quamdiu Liuoniam tenuerit. 292.
Moſcouitæ dubia religionis, & rituum ad Archiepiſcopum & reliquos Epiſcopos deferunt. 170.
Moſci cur imagines colant, & quis ſit autor tanti ſtudij. 140
Moſci quam ſuperſtitioſè de imaginibus quærant. 147.
Moſcouitici Eiſcopi omnes Patriarcham Conſtantinopolitanum pro Archiepiſcopo agnouerunt. 171.
Moſci quomodo capita Noui Teſtamenti diſtinguant. 63.
A quo Moſci religionē Chriſtianam acceperint. 63.
Moſcouitæ gloriantur quòd acceperint fidem Chriſtianam ab Apoſtolo S. Andrea. 170.
Moſcouitæ quo tēpore fidem Chriſtianam receperint. 190.
Moſci in colendis imaginibus ſuperſtitioſi. 62.
Moſci fruſtra in imaginum præſidio confidūt, in expugnatione caſtri Vielcoluco. 62.
Moſchorum ingenium. 101.
Moſchorum Principis ieiunia. 102.
Moſchi Tyrannis. 102.
Filius Moſchi patrem defendit. 102.
Moſchus filium propriū occidit. 102.
Moſchus trecentos captiuos Polonos nobiles

nobiles in arce Isborg interemit. 102.
Mulieres Ruſſicæ bibulæ. 249.

N

Nabides. 394.
Naianenes. 250.
Neſtorij error. 201.
Neſtorius. 13.
Nicena Synodus. 208.
Nicenæ Synodi decreta Moſcouitæ amplectuntur. 170.
Nicolaum Moſci pre cæteris ſanctis colunt 183.
Nicolai Hemmingij encomium 146.
Non vſus, ſed abuſus rerum à Deo creatorum prohibitus. 161.
Nouogardiam quomodo Moſchus occuparit. 288.
Nona Græcorum diuiſio. 209.
Noſtrum ſeculum fœliſſimum. 124.
Nuptias ſecundas & tertias Ruſſi non concedunt. 197.
Nuptiarum ritus apud Ruſſos. 242.
Nuptiarum ritus apud Samogitas 261.
Nullus ſanctus adorandus. 142.

O

Obitus Mariæ. 137.
Oblatio ad imagines. 127.
Occopirnus Deus. 258.
Octaua Synodus. 208.
Oleo & Chriſmate in Baptiſmo infantum vtuntur Moſci. 176.
Oecolampadij de Luthero iuditiū. 17
Opera quib. Deus honore afficitur 3.
Opera præcedentia iuſtificationem 44. & 57.
Opinio Ruſſorum de animabus. 232.
Oppidum Angliæ Lutherworth. 16.
Ordinatio Miniſtrorū Euangelij. 5.
Ordinandi & confirmandi præsbyteros apud Moſcos ratio. 171.
Ordo Monaſticus edidit miracula non Apoſtoli. 153.
Ordo Teutonicus. 274.
Origo fratrum Bohemorum, quos Picardos vocant. 93.
Orcus Moſcis Adus. 123.
Oſtrouia capta. 283.

P

Palmas conſecrant Moſci. 183.
Pane azimo in Cæna vtuntur Ruſſi 239.
Panis Euchariſtiæ apud Ruſſos qualis, & quomodo formetur & diuidatur. 192.
Panem Similagineum pro bellantibus Ruſſi in corpus Chriſti conſe-

erant 192
Pane fermentato non azymo Ruſſi in Euchariſtia vtuntur. 268. & cur. 269.
Panem Euchariſtiæ apud Ruſſos mulieres conficiunt. 269.
Papa Romanus eſt hæreticus. 188.
Papæ Romani nomen Ruſſi execrantur. 237.
Papa excõmunicatur à Dioſcoro 203.
Papæ legatus quomodo à Moſco tractatus. 60.
Papa de regno Chriſti inſtaurando non eſt conſulendus. 97.
Papa Imperium à Græcis ad Germanos tranſtulit. 77.
Papa Imperatorẽ calcat pede. 148.
Papæ ſunt terrori Imperatoribus. 212.
Papæ equiſo Imperator. 211.
Papa parit filium. 155.
Papa expetit ſeſe adorari. 148. 149.
Paphuntij dictum. 156.
Pargnus Deus tonitruum. 258.
Parentalia Samogitarum. 263.
Partes catechiſmi. 1.
Patribus quatenus credendum. 28.
Patrum authoritas non eſt ſimilis Apoſt. 30.
is quatenus credendum 30.
Quomodo imitandi. 30.
Patriarchalæ Eccleſiæ in Oriẽte quatuor. 199.
Patrum Authoritas. 124.
Patrum authoritas non æquiualet authoritati Apoſtolorum 124.
Patrini adhibentur Baptiſmo apud Moſcos. 176.
Patrum decreta Moſcouitæ in dubium non vacant. 170.
Pauperum rationem habent Moſci. 181.
Phalaris 294.
Phariſæus & publicanus Luc. 18. 103.
Phariſaica inſtituta. 75.
Photius hæreticus. 209.
Philo de Eremitis. 166.
Pedes Papæ oſculantur Reges & Reginæ. 149.
Peibas lacus. 273.
Pecunia indulgentiarum in muliebrem libidinem conuerſa. 92.
Pelagiani. 51.
Perſecutiones fratrum Bohemorum. 46.
Perfidia Moſconiticorum Ducum. 288.
Pergrubius Deus. 258.
Pergrubio quando & quomodo ſacrificent

crificent

criſicent Beruſſi. 258.
Pernauiam quomodo poſſideat Moſcus. 288.
Peregrinationes ad ſanctos Moſſi inſtituunt. 181.
Petrus Apoſt. mortuus ſcripſit. 204.
Petrus ſignificat Eccleſiam. 24.
Petrum cur Chriſtus ter compellet. 19.
Petrus negatur ſedis Romanæ Antiſtes & Eccl. militãtis caput. 187.
Perſecutio Chriſtianorum in Bohemia. 93.
Pluitus & Plutus idem ſunt. 258.
Pleſcouia oppugnata 283.
Plettenbergius. 292.
Polocia Lituaniæ iterum adiungitur 281.
Pocelus Deus inferni. 258.
Poccolus Deus aëriorum Spirituum 259.
Purſcætus lucerum Deus. 259.
Polotiam quomodo Moſcus ceperit. 288.
Polonicorum Regum precipuorum nomina. 295.
Polydorus Vergilius de monachorum diſciplina. 167.
Polidorus Vergilius de Euangelicis. 29.
Pontificij imagines Dei diſperdunt. 135.
Pontificem Romanum pro vicario Chriſti Moſci agnoſcunt. 182.
Pontifex Romanus legatum miſit ad Poloniæ Regem, qui cum ipſo ageret de pace cum Moſco facienda 287.
Poſtellus. 15.
Precandi ratio apud Chriſtianos. 7.
Præparatio ad Sacrã Synaxin. 178.
Præcepta de ieiunio. 106.
Precepta etiam non ſcripta obſeruanda. 66. & 73.
Prima diuiſio Græcorum à Romanis 199.
Procopius Lupatius. 139.
Propoſitiones de indulgenijs. 86.
Pro imaginum aſſertione ad pontificiorum argumenta. 146.
Pruſſia quãdo regno Polonico ſit adiecta. 161
Pſalmos Dauidis Ruſſi iuuentuti tradunt. 241.
Pueris quomodo Euchariſtiã exhibeant. 183.
Pugna ad Socolum. 281.
Pugna ad Turopecium. 289.
Purgatorium Ruſſi negant. 232. & 196.

Purgatorij opinionem Faber ſeſe probare velle putat etiam apud Moſcos eſſe. 175.

Q

Quomodo Chriſtus ſit mediator 118 & .119.

Quando ceperit reformare Eccleſiam Lutherus. 85.

Quæ & à quibus inſtitut: Cœnæ Dominicæ ſint adiecta. 111.

Quando ſit à Domino poteſtas data ſacerdotibus. 132.

Quantam ſibi pontifices Romani authoritatem arrogẽt. 63.

Quatuor concilia principalia. 13.

Quo ritu ordinem ſacerdotes 178.

Qui damnentur. 56.

Quid ſit Deus alienus. 143.

Quarta Græcorum diuiſio. 204.

Quinta Græcorum diuiſio. 205.

Quinta Synodus. 206.

Quartũ conſanguinitatis gradum in contrahendis matrimonijs Ruſſi non attingunt. 270

Quomodo Petrus & Angelus in Apocal. noluerint adorari. 131.

Quomodo cũ Patre & Filio, & SS. vnum ſimus. 27.

R

Raka quid ſignificet Matth. 5. 60.

Rex Poloniæ proficiſcitur ad obſidendam Pleſcouiam. 254.

Regina cœli. 144

Regis Polonici frater princeps Tranſyluaniæ moritur. 255.

Reges & Reginæ oſculantur pedes Papæ. 149.

Religio Chriſtiana hæreſis appellatur. 168.

Regnum Moſcouiticum quam late pateat. 69.

Regiones ditionis Moſcouiticæ. 69.

Regum Adoratio. 142.

Reliquias calicis & panis Ruſſi aſſeruant. 192.

Ritus porrigendi Sacramenti Cœnæ apud Ruſſos. 129.

Ritus baptizandi apud Ruthenos. 231.

Robertus Gagninus. 167.

Rex Wladiſlaus Iagello. 161.

Rezihorcnſes. 250.

Rohita. 1. 11. 12.

Rohitæ elogium. 169.

Roma omnis impietatis ſentina. 84.

Roma Occidentalis Babylon. 94.

Romanorum Pontificum præſumptio, & arrogantia. 63.

Romanum imperium à Deo cõſtitutum. 110.

Romanæ

Romana cum Iſraelitica Eccleſia collatio. 70.
Romani Imperatores ignauiores. 294.
Romani Imperatores bellicoſi. 294
Romanum Pontificem vt Petri ſucceſſorem agnoſcunt Moſci. 171.
Romani Epiſcopi non ſunt Chriſti & Apoſtolorum ſucceſſores. 188.
Romano pontifici omnes ſacerdotes totius orbis Chriſtiani ſubſint. 212
Roma Sodoma & Babylon. 160.
Ruſſorũ ſacerdotes in perpetua. viuunt aſotia. 241. 242.
Ruſsi vinum aduſtũ copioſè bibunt & cur. 245.
Ruſsi in acie ſeipſos communicant. 193.
Ruſsica fides. 67.
Ruſſorum errores. 222.
Ruſsi libris & ſcriptis patrum Latinæ Eccleſiæ fidem non habent. 189.
Ruſsi quatenus Græcorũ doctorum ſcripta recipiant. 189.
Ruſsi duas aut tres guttas vini immiſcent aquæ calidæ quãdo Cœnã Domini adminiſtrantur. 191.
Ruſsi quibus inſtrumentis Muſices delectentur. 249.
Ruſſorum victus. 249.
Ruthenorum Ieiuniam. 265.
Rutheni Chriſtiani quando facti. 225.
Rutheni Regi Poloniæ hodie ſubiecti partim Lutherani partim Zuinliani ſunt. 225.
Ruſsi non niſi de calice aquæ euaporantis bibunt quando Cœnam peragunt Sacram. 192.
Ruſſorum progenitor Czar Wlodimirus primus, baptiſmo initiatur. 67.
Ruſsi fornicationem ſimplicem & vſuram non exiſtimant eſſe peccatum mortale. 196.
Ruſsi quales ſint erga hoſpites. 248.
Ruſſorum veſtitus. 248.
Ruſsi non ſunt de regno Dei. 187
Ruſſorum erronei articuli. 187.
Ruſsi Græcis pertinaciores aduerſus Eccleſiam. 198.
Ruſsi vnde dicti 82.
Roſsi quaſi diſperſi. 82.
Ruſsi cum Græcis conſentiunt. 273.
Ruſsi Bizantinum põtificem agnoſcunt. 237.
Ruſsi duplicem habent Euchariſtiam. 268.
Ruſsi integra Euchariſtia vtuntur. 268.

Ruſſi tertiam vxorem viro ducere ægre, quartam omnino nõ concedunt. 270.
Ruſſorum preces publicæ 238.
Ruſſi quomodo miſſas celebrãt. 238.
Ruſſorum ludi. 247.
Ruſſi venatores. 248.
Ruſſi concionatores non habẽt. 230.
Ruſſi tintinabulis populum ad ſacra vocant. 237.
Ruſſorum ſumma deuotio. 237.
Ruſſi pertinaciſſ. ſchiſmatici. 184.
Ruſſi Chriſtiani ſanguinis ſitientiſſimi. 185.
Ruſſiæ metropolitanus in Lituania eligitur. 226.
Ruſſi Sacramentum in azymis non conſecrant. 190.
Ruſſi Cõciliorum decreta ſpernunt. 190.
Ruſſi baptiſant in aqua acida expreſſa de ſucco pomorum. 191.

S

S. Andreas dicitur in Ruſſia eſſe & quomodo eò venerit. 226.
Sabellicus. 148.
Sacerdotes Moſcorum ante & poſt celebrationem Miſſæ à concubitum vxorum vna nocte prohibentur. 174.
Sacerdotum ordinatio apud Moſcos. 178.
Sacerdotes in India ſunt vxorati. 163.
Sacerdotum vitia propria. 148.
Sacramentum poſt conſecrationem in ara S. Nicolai reponunt Ruſſi. 239.
Sacerdotis in celebratione Miſſæ habitus apud Moſcos. 175.
Sacerdotes Moſcorum vnde viuãt & alantur. 172.
Sacerdotum in Ruſſia habitus. 228.
Sacerdotum regulæ apud Ruſſos. 228.
Sacerdotes Ruſſis gratiores qui ſint 240.
Sacerdotes Ruthenici vxores habent 340.
Sacerdotibus licet ducere vxores & quales. 173.
Sacerdotum authoritas. 131.
Sacramenta Ruſſi contemnunt. 190.
Sacramentis Ruſſi nullum honorem exhibent. 189.
Sacrificij capri ritus. 259.
Sacramentum pro infirmis Ruſſi in die Cœnæ Domini cõſecrant. 193.

Sacramenta Septem Moſci credunt 181.
Sacrificium capri. & anguium cultus apud Sarmatas. 257.
Sanctos pro nobis apud Deum intercedere Moſci credunt. 183.
Sancti non ſunt inuocandi. 109.
Sancti peccant. 50.
Sanctorum iuſticia. 50.
Sancti quid impetrarint ſuis interceſsionibus. 131.
Sancti honorandi. 51.
Sancti nihil per ſe ſed gratiam Dei agunt. 52.
Sancti non ſatisfecerunt voluntati Diuinæ 49.
Sarmatiæ Europeæ deſcriptio per Alexandrũ Guagninum. 103.
Satisfactionum modi apud Moſcos. 180.
Scargæ odium in Lutheranos. 224.
Scarga conſpuit concionatores Euãgelicos. 224.
Scholæ Ruſſorum. 241
Scheol. 122.
Schytæ nomen Ieſu adorant. 252.
Scriptura Diuina abſolutam viuẽdi rationem tradit. 73.
Secunda Græcorum diuiſio. 201.
Secundum præceptum de non adorandis & faciendis imaginibus perperam omittitur. 62.
Seculum noſtrum fabulis delectatur 134.
Sedes Ruſsici metropolitani Kiouia. 225.
Septẽ Sacramenta confitentur Moſci. 181.
Septem generalia cõcilia Ruſſi tantùm amplectuntur, cætera pro hæreticis habent. 223.
Septima Græcorum diuiſio. 207.
Sepulturæ ritus apud Ruſſos. 197
Sergij Abbatis ſepulchrum. 172.
Sergij Abbatis miraculum. 172.
Serpentes familiares Ruſſi domi alunt. 246.
Serpentum cultus apud Lituanos & Samogitas. 260.
Serui & mãcipia quomodo à Ruſſis dominis tractantur. 247.
Seruus ſeruorum Dei Papa. 206.
Sexta Synodus. 107.
Sexta Græcorum diuiſio. 206.
Sigiſmundi Regis Poloniæ prudentia in adminiſtrando bello. 281.
Sigiſmundus Poloniæ Rex Magiſtrum ordinis Teutonici in Pruſſia ſuum ſtipendiarium fecit. 273.

Signum Crucis Moſci contra hoſtes in acie gerunt. 183.
Sinus Abraæ. 122.
Simonia apud Ruſſos non eſt prohibita. 195.
Spiritus. S. à Filio non procedere cur Ruſsi dicant. 197.
SS. à ſolo Patre Procedere ſicut & Græci Moſci credunt. 182.
S. Martini cum diabolo colloquium. 48.
Smolenſcum quando à Moſco captum. 288.
S. Nicolaus percipuè apud Ruſſos, & Moſcos colitur. 229.
Sola fide nos iuſtificari. 51.
Solon ter in menſe cum mulieribus congrediendum voluit tantùm. 156.
Solitus Gallicus 89.
Solus Deus inuocandus. 7.
Sonetti. 83.
Sortilegi Ruſſorum Burty dicti. 261.
Sortium ratio quibus fratres Bohemi vſi ſunt. 96.
Sortes Apoſtolorum. 96.
Spiritualis cognatio in contrahendis matrimonÿs obſeruatur. 177.
Spitkon Iordanus. 290.
Sponſalium ritus apud Ruſsos. 271.
Sponſos quomodo Tarari ſepeliant 253.
Sponſæ à Ruſsis rapiunt per cognatos ſponſi. 242.
Statuä Ieſu & hermoroiſſæ. 135.
Statuæ nullæ ſed pictæ imagines ſunt in Ruſsia. 239.
Statura & forma corporum hominum in Ruſsia. 249.
Starodubũ quomodo in poteſtatem Moſci venerit. 288.
Sudini. 258.
Sudini capræ litant & quomodo. 258.
Superſtitio Moſcorũ de imaginum inquiſitione. 147.
Succinum vbi colligatur. 258.
Summa fidei Ruſsicæ. 67.
Summa indulgentiarum. 86.
Surius de Luthero. 92.
Swatoſtauus Dux Nouogrodianus. 82.
Symulacra nulla apud Tartaros. 251.
Symbolum Apoſtolorum aliquibus tum verbis immutatum pueros Ruſsi docent. 241.
Synodus Gangrenſis ſacerdotibus concedit vxores. 228.
Synodus Nicæna. 208.

Synodus

INDEX.

Synodus Epheſina Lyſtrica. 202.
Synodales literæ. 204.
Synodus Lipnicenſis. 115.
Syricij lex. 159.

T

Tartari Chriſtianam religionem aſpernantur. 252.
Tartarorum Religio. 251.
Tartarorum populi. 250.
Tartari. 250.
Tartarorum victus. 253.
Tartari poligami. 252.
Tartarorum lingua qualis. 252.
Tartarorum Dij. 252.
Tauricenſes. 250.
Templa Ruſſorum lignea. 237.
Templum Aeſculapij in Epidauro. 138.
Tetzelius. 85.
Tertia Græcorum diuiſio. 201.
Timotheus hæreticus. 205.
Traditiones humanæ ſeruandæ. 66. 73.
Traditiones humanæ. 8.
Trina immerſione, & tinctione, raro autem aſperſione in Baptiſmo vtuntur Moſci. 176.
Trina immerſio 74.
Turcæ Aſiam minorem vaſtant. 216
Tyrannorũ vis & potẽtia humanis corporibus ſimilis. 294.

V

Varda, 208.
Varſouiana comitia. 282.
Vbiquitas Corporis Chriſti. 116.
Veneratio Calicis. 193.
Velicolucenſis expeditio. 282.
Venenum in Sacramẽto porrectum. 114.
Veronica imago. 135.
Vnctionem extremam retinent Moſci. 181.
Veſtes ſacerdotum Ruſsicorum quales ſint. 240.
Veſtitus Ruſsici ſacerdotis quando vult celebrare ſacra. 238.
Vilna 30. templa habet. 239.
Vinnenus primus Magiſter Teutbnicus iu Liuonia. 274.
Vinum aduſtum à Ruſsis largiſsime bibitur. 245.
Vitalianus Papa. 15.
Vitæ Monaſticæ Apoſtoli autores & ipſe Chriſtus. 153.
Virginitas non tã virginum quam etiam mulierum. 151.

Vincentij Speculum hiſtoricum. 148.
Vndecima Græcorum diuiſio. 215.
Vnius noui Teſtamenti Sequeſter Chriſtus. 109.
Vocatio miniſtrorũ Euangelicorum 321.
Volatile occidens apud Ruſſos grauiter peccat & quomodo eiuſmodi peccatum expietur. 194.
Vota & caſtitas Monachorum. 250 151.
Vota cœlibatus & alia in genere. 157.
Votorum præuaricatores quomodo puniantur à Moſcis. 163.
Vſus imaginum in ſcripturis non eſt interdictus. 181.
Vxorati fuerunt Petrus & Paulus Apoſtoli. 155.

W

W*aldenſes Bohemi dicti Picardi.* 63.
W*aldenſes quando cœperint.* 21.
W*iteberga* 86.
W*ilhelmus Firſtenberg vltimus Magiſter Liuonienſis.* 275.
W*ladiſlaus Iagello.* 161.

Z

Zaga epiſcopus AEtiopiæ. 163.
Zapolciam legati mittuntur de pace vt tractent. 287.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.

30

SPIRAE NEMETVM
Ex officina Typographica Bernadi Albini.

CIƆ IƆ LXXXII.

[illegible]